TRACTATVS QVIDAM LOGICALIS DE PRÆDICABILIBVS ET PRÆDICAMENTIS.

Viro eruditissimo Viro EDVARDO BRERE WOOD Artium Magistro, è Collegio Ænei-Nasi, olim conscripti; nunc vero ab erroribus (qui frequenti transcriptione irrepserant) vindicati, ad pristinum nitorem, nativamq; puritatem diligentissimâ manuscriptorum collatione restituti, & in lucem editi,

Per T. S. Art. Mag. & Collegij Ænei-Nasi Socium.

IVL. SCALIGER Exerc. 108.

Quod si addideris, cariora esse, quæ ignorant alii: iam hoc iuveris est, non hominis. Gaudeo enim si quæ scire mihi persuadeo, cognita esse aliis intelligam: Quin hasce noctes infestissimo Cauro gelidissimas, huiusce rei causâ vigilo, vt ingeniorum fœlicitates communicentur: is est sapientum finis, qui libros edunt; vesanorum gloria præmium est.



OXONIÆ,
Excudebat GVILIELMVS TVRNER, Academiæ Typographus. 1628.
CVM PRIVILEGIO.



UNIVERSITY LIBRARY
– MAY 19
CAMBRIDGE

89.. 441

Viro, non magis genere celebri,
quàm pietate,

Dno RICHARDO BROOK,
DE *NORTON*, IN COM. *CESTRENS.* EQVITI AVRATO SALVTEM.



Enignus iſte pietatis affectus (Domine inſigniſsime) quo me ſemper proſequutus es, obſequium meum non demeretur tantum, ſed imperat: tanto enim amore Muſarum alumnos amplecteris, ſine vel faſtu, vel ſupercilio, vt omnem gratitudinis conatum, non tam invitare videaris, quam vincere: hunc literis adjuvas, illum opibus, alterum conſilio: hærent mihi adhuc, animumque mulcent pij iſti frequenteſque ſtimuli, quibus me olim ad literas Muſasque prudentiſsimè

Senec. l. 2. de benef. c. 7.

tissimè provocasti. Fabius Verrucosus (*apud* Senecam) *beneficium ab homine duro asperè datum,* panem Lapidosum *appellabat: effluunt vero tua, non extorquentur, quippe inter dantis manus diu non hærent, nec ingrata aliqua tarditate minuuntur; tam celeri animo tardantis voti* verecundiam *prævenis, &* impudentiam *properantis, corripis ipsâ beneficentiâ.*

Expectas hic forsan gratissimmm beneficiorum catalogum: nullum dabo,

Mart.

Occani fluctus me numerare jubes.

Ita enim usu venit, dum cumulata benevolentia stylum vincit, loquaciori silentio magnitudinem profitemur: nec tam inani verborum pompâ, quam votis precibusq; gratulamur; adeo ut te non aliter alloquar, quam Furnus Augustum Cæsarem: hanc unam habeo injuriam tuam, effecisti ut viverem, & morerer ingratus. *Cæterum paratissimum est illud* Stoicorum *scutum:* qui meminit sine impendio gratus est: *ego vero qui pertinaci memoriâ adhuc debui, ulterius furtive gratias non ago, & in angulo; ne non tam verecundia videretur, quam genus quoddam inficiandi: ansam arripio, & dum literario munusculo, nomen tuum ornare volui (sagaci quodam gratitudinis compendio)*

Apud Senec.

dio) & patrocinium simul ambio, & testor obsequium. Fœliciſſimũ hunc ingenij fætũ peperit dudum *Summus immortalitatis aucupator, (vt Catanæus de Plinio Secundo) conterraneus tuus eruditiſſimus Brerewoodus, ſcriptor verè πολυμαθέστατος, aureum ſanè eruditionis flumen; imo * ὁλόκληρα ἐμψυχα ἐκ πεπαιδευμένου μυσείου: cuius eruditio tam amœna fuit (vt verbis vtar Vincentii Lyrinenſis de Origene,)* ut mihi, ex ore ipſius, non tam verba, quam mella quædam fluxiſſe videantur. *Vix me contineo (inſigniſſime literarum Patrone:) iuvat vltra epiſtolij ripas diffluere, iuvat excurrere pauliſper, & iuvenili impetu paulatim laſcivire: quid enim? cineribus libera venit, & opportuna laudatio: hoc crudele ſolamen mors ipſa habet, vt circa rogum evaneſcat invidia, livorque poſt fata quieſcat: Sed* Epiſtolium *eſt, non* Panegyricus. *Partus ſane, & veræ laudi natus, & longæ vitæ: eteum victurum genium ipſi indiderat paterna eruditio, quæ vtrumque & famâ ſimul donaret, & æternitate: verum orbatus patre, poſtumuſque factus, maculas contraxit, & rubiginem: cœcâ quadam* tyrannide *in ipſum ſævit tranſcribentium ignorantia, & dum oſculari eum voluit tyronum inſcitia, vulnerat: ſiquidem rapaci eruditionis cupidine,*

* In vita eius.

Eunapius de Longino.

* Lyrinenſ. adverſ. proph. hæreſinov. c. 9.

in Brerewooddum *ruunt, exẽplaria quærunt, transcribunt, corrumpunt, & portentosâ diligentiâ pene jugulant: quid enim? hic brachium dissecat, ille pedem.*

Quis laceros artus, æquataque vulnera membris
Repetat? Lucan.

In ipsum denique truncum adeo sævitum est, (vt scite * Casaubonus *de operibus* Athenæi: *)* quod quâuis Soricinâ næniâ, nobis confossiorem reliquerunt.

* In epist. ad Lect. præf. animadvers. in Athenæi Diphnosophistas.

Iamque magno conatu, frustra Brerewooddum *quærunt in* Brerewooddo, *pallidisque lucubrationibus, pro genuino authoris sensu, morbos & vlcera amplectuntur. Sancte enim testor, nullum me vidisse exemplar, in quod aliquot errorum* centuriæ, *(pene dixeram)* millia *non irrepserant.*

Ægrè iamdudũ traxerat languentes spiritus sauciata proles, medicumque *non maiori tædio quam periculo, diu desideravit, nec invenit tamen; miserentur omnes, & queritantur, nemo succurrit.*

Ego tandem, vt non minus tam dilecto authori consulerem, quam publicæ vtilitati, calamum arripui; & diligentissimâ exemplarium *collatione, primò* chirurgum *egi, deinde* obstetricem;

tricem: *nihil hic meum est præter* limam & censuram: *etenim* (*vt modeste* Costerius *de aureo libello* Vincentii Lyrinensis) *ita ego de hoc*: * nemo post Apellem lineam ducere præsumpsit. *Sed rectissimè illud mihi assumam* Iani Gruteri *de operibus* Tullianis: * Ego multâ scabie atque ulceribus fœda, ad pristinum nitorem restitui, illustraui, correxi. *Vbi singula defecerunt* manuscripta, Criticum *etiam egi, sed caute & timidè, vt qui potius* verecundâ *quadam ossitantiâ peccarem, quam* scleratâ *curiositate*; artisque *meæ dispendium mallem, quam* pietatis; *ne sacratissimos manes, audaci nimis criticismo perturbarem. Tandem sub nominis tui auspitijs (honoratissime Miles) ceu post-liminio in lucem aspectumque emergit, & quasi renascitur: author ipse nec apologiâ indiget, nec panegyrico: ego vero patrocinium tuum sedulo peto, limatumque* Brerewood-dum *nomini tuo (vt perenne gratitudinis meæ monumentum) consecro; sed* (*vt* Lipsius *olim de tribus suis Libris* Variarum Lectionum) * tanquam rudimenta trepidantis ingenij, & parum adhuc consistentis: *animat, stimulatq; iuvenilem modestiam, celeberrima ista tua in* Deum pietas & *religio, in pauperes* charitas, *in humanitatem compositi mores, candor in literatos:*

* In præfatione ad Lect.

* Gruterus ep. ad lect. præf. oper. Tull. edit. Hamb. an. 1617

* Epist. ad lect. inter opera Critica.

teratos: ſed nolo diutius cum modeſtia tua pugnare: poſthumum hoc opus amplectere & fove ac memetipſum ſerium nominis tui cultorem exiſtima. Vale.

Oxonij, è Muſæo meo, in Collegio *Æneæ-Naſenſi*, 13. Calend. Octob. 1628.

Dignitati tuæ omni obſervantiæ vinculo aſtrictus

THOMAS SIXESMITH.

THOMAS SIXESMITH.

ERVDITO LECTORI,

præsertim vero iunioribus Academiæ Alumnis, Salutem.

PArtum hunc literarium (florentissimi Iuvenes) debetis magno illi *Philosophici cœli Atlãti*, nostro *Brerewooddo*: ego tãtùm (vt *Gruterus* de excerptis *Senecæ*) *Sustuli, lavi, fovi, & in lucem edidi*: vtinam & fausto obstetricatu; quotidiano *Logicorum* fœtu, ferax prælum ingemiscit, & tam frequenti puerperio lassatur; cæterum *ars* ipsa, naturæ senium imitatur, & inter *nostros* plerumq; graciles edit & macilentos partus, libros non dicam, sed libellos, nanos & pusillos, quasi ipse ingeniorum impetus, eodem ruentis mundi fato decoqueret, quo corporum: hinc misera ista Chartarũ ludibria *Lulliana* compendia, quæ nec cultum ingenio afferunt, nec robur: sic nobilissimam artẽ ad meram vocum farraginem, crudeli industriâ reduxerunt, nec tam corpus ipsius Vobis exhibent, quam σκίασμα: quibus rectissimè convenit censura * *Senecæ* de *Chrysippo*: illorum *acumen nimis tenue retunditur, & in se sæpè replicatur: etiam cùm agere aliquid debet, pungit, non perforat*. Quid enim? rideo ieiunum cui condimenta tantum sapiunt.

Pag. 492. in edit. *Amstel.*

Raymundus Lullius.

* Lib. 1. de benef. cap. 4.

Hunc volo, qui fiat, non sine pane, satur.

Mart.

Scilicet involuta veritas in alto latet, nec tam levi velitatione elicitur: rectissimè magnus ille subtilitatis magister, * *Iulius Scaliger*: Ait *Vives, tacitis meditationibus magis proficere nos, quam altercationibus; quod verum non est; siquidem sicuti Lapidum collisione ignis: ita ex disceptationibus elicitur Veritas: quin egomet mecum sæpe, diu, multum nisi pugnem, infæliciter cadet mihi*: à magistro *igitur plus exercitamur, at*

* Exercit. 108. de ista quæst. An Audita lectis præstantiora?

Vallius, Masius Smigleſius, &c.

adverſarius *ſuâ vel pertinaciâ vel ſapientiâ, mihi duplex magiſter erit.* Ieſuitæ verò triſtiùs ineptiunt, & quaſi ex profeſſo laſcivirent, docta quâdam inſaniâ, eo periculoſiùs errant, quo diligentiùs: de quibus ego, vt *Seneca* dudum de antiquis *Philoſophis, inveniſſent forſitan neceſſaria, ſi ſuperflua non quæſiviſſent.* Magna ſc. parturiunt & Gigantea Volumina,

* Pro Ieſuitis.

ſed tumida & morboſa: hinc prodigioſa iſta * *Apologiſtæ* arrogantia; *Imperium literarum eſt penes Ieſuitas:* verùm ambitioſam hanc jactationem, & ridiculum non minus quàm ſuperbum φρίαμα μεγαλαυχήματος, i. ingentis arrogantiæ fremitum perſtrepentem, ſibilo accipiamus; vt rectè ad *Frontonem-Ducæum* regerit doctiſſimus * *Caſaubonus*: etenim introſpicite penitiùs, & rectè fortaſſis pronuncietis illud *Lyrinenſis* de *Neſtorio*, *plus ſemper admirationis habent, quam vtilitatis*; quam miſerè enim ſcientias inter ſe confundunt? adeò ut juretis illos non tam *Logicam* ſcripſiſſe, quam *Miſcellanea*: præterea ſolâ ſpeculatione volitant; ad praxin & vſum *Logicæ* omninò non deſcendunt, cum vera Philoſophia ſcholis non clauditur, nec ad ſolius contemplationis vmbras protruſa eſt, ſed in *Rempublicam* fœliciùs ſe diffundit: mitto, quod non tam ſe invicem imitantur, quam manifeſto latrocinio penitùs expilant.

* Ep. ad Front. Ducæum. p. 54

cap. 16.

Tumor verò iſte vnde oritur? vnde in tanta volumina creſcunt illorum ſcripta, niſi ex inani alienarum opinionum repetitione? quin diſtrahit animum tanta *Authorum* multitudo, quos vbiq; ingerunt; Lectori vero nec prodeſt, nec delectat: hoc *Zeno*, hoc *Cleanthes*, hoc *Aquinas*, hoc *Scotus*, quid tu? ſic inter turbidos hoſce opinionum fluctus, penduli & vacillantes miſere conſeneſcimus.

Cæterùm vtinam tantum non prodeſſent, nocent: ca-

cavete (ſpectatiſſimi Iuvenes) fucum vobis imponunt,& eruditam impoſturam: cavete fidei naufragium,ne pro *arte* imbibatis *hæreſin*,& fatali diligentiâ fidei morbos devoretis, pro ingenij medicinâ. Siquidem (vt mutuar iſta * *Sixti Senenſis* verba) *pro Ambroſia & Nectare, fæces & excrementa; pro remediis & antidotis, lætifera Venena melle prælita venditant: lolium tritico, & facem vino commiſcent*: quippe inter *Logica* hæc & *Philoſophica*, quædam ſubdolè aſtruunt, quibus Papalis illa *tyrannis*, & turris *Babylonica* ſecuriùs innitantur: figmentis & mendaciis 'dulcioribus (inquit *Minutius Fælix*) corrumpun-'tur ingenia puerorum,& ijſdem fabulis inhærentibus, aduſque ſummæ ætatis robur adoleſcunt: mens imperitorum artis concinnitate facilè eluditur; juvenilis veſter impetus affectibus malè imperat, nec tam ſaluti conſulit, quam curioſitati: ſubtilis & doctus error, quam ſimilis eſt veritati? quam non tantum imitari didicit, ſed aliquando etiam quodammodo vincere: apertis & propitijs auribus recipitur, & in præcordia ima deſcendit, eo ipſo gratioſus quo lædit: quippe humanis pectoribus tacito illabitur, ipſumq; intellectum & titillat ſimul, & vulnerat, tanquam præſtigiatorum acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipſa delectat.

* Præfat. ad 8. lib. Biblioth. Sanctæ.

P. 378. in edit. Hannov. cum Arnob.

Doloſa illa eſt & fraudulenta *Pontificiorum* vafrificies, quâ noſtris quibuſcunq; ſcriptis alumnos ſuos penitùs interdicunt; ſic enim occupant animos, ſic obſtruunt pectora, vt veritatem prius odiſſe incipiant quam noſſe: vobis verò mellitos impunè exhibent hamos, libros *faſcinantis lænocinij*, qui dum *acuere* ingenium videntur, *illaqueant*.

Martial.

Et piſcatorem piſcis amare poteſt?

Quin ecce vobis (quem privatis laribus, & chariſſimis

mis *ſuis Ænea-naſenſibus* toties invidiſtis) jam *veſtrũ Brerewooddum*; & lima donatũ, & luce: ac ne tenella veſtra ingenia, inter hiſpida *Ariſt.* ſẽticeta, devij oberrarẽt, textũ plerũq; adieci: mihi credite, facilius eſt eũ ſine *tædio* legere, quã imitari ſine *invidiâ*.

Delicias haſce non lautas magis quàm ſalubres, *feraciſſimæ ingeniorum matri, & nobiliſſimo Philoſophiæ oraculo, Collegio AEneanaſenſi* gratulamini; quas ingenioſa gulâ, & pio quodam *Epicuriſmo* tutò devoretis: huic operã date, hunc amplectimini: faſtidientis ſtomachi eſt, (tãquã cõvivæ iſti apud *Polybiũ*) plurima guſtare, nulla digerere: mora opus eſt, & multiplici concoctione, vt in ſuccũ & ſanguinem convertatis; hinc enim paratiſſimi evadatis, & ad ſubtiliorẽ Philoſophiam, & ad nodos *Scholaſticos*.

Lib. 3. 3. hiſt.

Plura nonnulla, & nondum edita ſcripſerat eruditionis monumenta, illorum aliqua temporis invidiæ ſuperſunt, plurima fato conceſſerunt; quorum jacturam, nos qui ſeveriores colimus Muſas, ſingultimus ſæpiùs & ingemiſcimus, quàm proloquimur: ſed nolo plura, ne quod coivit Philoſophiæ vulnus, præpoſteræ pietatis culpâ recrudeſceret: infra authorem eſt omnis Apologia: quod me attinet, *Perſium nolo legere*; tyronibus parantur hæ epulæ, nõ veteranis. Vos vero (dilectiſſimi Iuvenes) indulgete mihi hanc culpã, *quod vobis prodeſſe volui*: quicquid vel feſtinantis præli celeritate, vel incuria meâ peccatũ eſt, ſecundis forſan curis corrigatur: leviuſculis erratis Typographicis candor veſter adſit; gravioribus, lima & judicium. I, fuge Liber, cœlo & fato propitio fruere; nec aliâ Apologiâ te munitũ emitto, præter illam quam *aureo ſuo libello* præpoſuit *Vincentius Lyrinenſis. Nihil in eo temerè reprehẽdant, quod adhuc videant promiſſâ emendatione limandum.* Valete.

Profectus veſtri in pietate & literis
ſtudioſiſsimus. *T. S.*

INDEX SECTIONVM quæstionumque quæ in hisce *Tractatibus* continentur.

TRACT: 1.

De Vniuersalibus in genere.

Sect. 1. De definitione Vniversalis & eius explicatione. *p.* 1.
2 An vniuersalia res an tantum nomina sint? *p.* 3.
3 An vniuersalia sint solum in intellectu? an in rebus extra intellectum? *ibid.*
4 An vniuersalia sint separata à singularibus, an in ijs existant? *p.* 5.
5 An vniuersalia sunt corporea, an incorporea? *p.* 6.
6 An speculatio (Vniuersalis) ad Logicam tantum spectet. *ibid.*
7 An vniuersale sit subjectum hujus libri. *ibid.*
8 De titulo hujus libri. *p.* 7.
9 De resolutione proœmij. *ibid.*
10 De diuisione libri, pro ratione materiæ. *p.* 8.
11 De numero vniuersalium & quomodo iste numerus colligatur. *ibid.*
12 De sensu istius quæstionis, an sint 5. tantum Vniversalia. *ibid.*
13 In qua argumenta in hanc quęstionem, & eorum resolutiones continentur. *p.* 9.
14 An vniversale sit verum genus ratione horum quinque, an Analogum? *p.* 12.
15 Dubitationes quædam propositæ, & solutæ. *p.* 13.
16 De vsu cognitionis vniuersalium, An eorum cognitio conducat ad quatuor? p. 14.
17 In quo sensu horum cognitio, dicitur ad hæc quatuor esse necessaria? *p.* 15.
18 In qua dubitationes hujus quæstionis, & explicationes proponuntur. *p.* 16.
19 An hæc pars Logicæ de vniuersalibus contineatur sub inuentione an judicio. *p.* 18.

¶ TRACT.

TRACTAT. 2.

De Genere.

Sect. 1. In qua summa eorum traditur, quæ à *Porhyr.* dicuntur, in cap. de Genere. *p.* 19.

2. De ordine tractationis Generis, & quare in primo loco consideratur? *ibid.*

3 In qua explicantur acceptiones Generis. *p.* 21.

4 De Comparatione ipsarum acceptionum Generis ad se inuicem. *ibid.*

5 De duplici definitione Generis, & inprimis de prima; ejusque explicatione. *p.* 22.

6 De secunda definitione Generis & ejus explicatione, ac primò de definito. *p.* 23.

7 De duplici differentia hujus definitionis, & primo de explicatione primæ. *p.* 25.

8 In quâ explicantur modi, quibus aliqua dicuntur eadem esse aut diuersa. *ibid.*

9 In qua discrimen inter (differens) & (diuersum) explicatur; & modi differendi inter (diuersum esse) & (esse differens.) *p.* 24.

10. De secunda differentia hujus quæstionis, quæ est (prædicari in *quid*: & quibus modis aliquid prædicetur in *quid*.) *p.* 25.

11 De distinctione Generis à cæteris vniuersalibus per positas differentias. *p.* 28.

12 In qua difficultates de Generis distinctione obijciuntur, & resoluuntur. *ibid.*

13 In qua, breuis explicatio superioris expositionis ad definitionem. *p.* 34.

14 De diuisione Generis, in summum & subalternum. *p.* 35.

15 De Nominibus Generis summi, & subalterni. *ibid.*

16 De explicatione ipsarum definitionum Generis summi & subalterni. *p.* 36.

17 In qua explicantur dubitationes in diuisione prædicta Generis. *p.* 37.

18 Sequuntur quæstiones tres de Genere, & primò an genus prædicetur de suis speciebus, tanquam æquale, aut superius? *p.* 40.

19 In qua quæstio est, an tota natura generis conseruetur in vnica specie? *ibid.*

20 In qua quæstio explicatur. An genus sit materia speciei, an potiùs forma? *p.* 41.

TRACTAT.

TRACT. 3.

De ſpecie.

Sect. 1, In qua eſt eorum Analyſis, quæ in cap. de ſpecie, à Porph. dicta ſunt. *p.* 43.
2 De methodo & ordine tractationis ſpeciei, & quare ſpecies præponitur Differentiæ? *p.* 44.
3 De diſtinctione ambigui nominis ſpeciei. *ibid.*
4 De tribus ſpeciei definitionibus, & primò de prima, ejuſque explicatione. *p.* 45.
5 In qua dubitationes, earumque ſolutiones, de hac definitione continentur. *p.* 46.
6 De ſecunda ſignificatione ſpeciei ejuſque explicatione. *ibid.*
7 An ſpecies vt in prioribus definitionibus deſcribitur, ſit vniuerſale? *p.* 48.
8 In qua diſtinctio ſpeciei traditur, quæque in quaque definitione deſcribitur. *p.* 49.
9 De tertia ſpeciei definitione, ejuſque explicatione. *p.* 50.
10 De duabus differentijs in hac definitione poſitis, & primò de primâ. *ibid.*
11 De poſteriori diferentia in hac definitione poſita. *p.* 52.
12 In qua adhibetur applicatio eorum quæ dicta ſunt de definitione. *p.* 53.
13 In qua reſpondetur objectionibus, quæ huic ſpeciei definitioni difficultatem afferunt. *ibid.*
14 De diuiſione ſpeciei in ſpecialiſſimam & ſubalternam, & de ſubalternæ definitione. *p.* 59.
15 De definitione ſpeciei ſpecialiſſimæ, ejuſque explicatione. *p.* 60.
16 De ſecunda, tertiaque infimæ ſpeciei definitione. *p.* 61.
17 Demonſtrationem præcedentium ab exemplo vnico idque exemplo prædicamentali faciemus luculentiorem. *p.* 63.
18 De nominibus ſpeciei infimæ & ſubalternæ. *p.* 65.
19 De ipſo diuiſo prædictæ diuiſionis. qualis ſit diuiſio, an omnes ſpecies contineat? *ibid.*
20 In qua dubitationes de prædicta definitione ſoluuntur. *p.* 66.
21 De indiuiduo, & primò de ipſius indiuidui nomine ejuſque explicatione *p.* 69.
22 De definitione Indiuidui, ab *Ariſtotele* aſſignata, ejuſque explicatione *p.* 70.
23 De definitione Indiuidui à *Porphyrio* aſſignata. *ibid.*

24 In qua dubitationes de indiuidui definitione exponuntur. *p.* 71.
25 De indiuidui diuiſione, & quot modis indiuiduum dicatur? *p.* 72.
26 De ordine & comparatione indiuidui ad ſpeciem. *p.* 73.
27 In qua tres quæſtiones de indiuiduo ſoluuntur, quarum prima eſt, An indiuidua ſub ſcientiam cadant: *p.* 74.
28 An indiuidua ſint finita, an (vt *Porphyrius* ait) infinita? quæſt. 2. *p.* 75.
29 De principijs indiuiduationis, an ſit materia? an forma? an proprietatum collectio? quæſt. 3. *ibid.*

TRACT: 4.

De Differentia

Sect. 1. In qua ſumma eorum exhibetur, quæ a Porphyr: in hoc cap: dicuntur. *p.* 77.
2 De ordine tractationis differentiæ, & quare præponitur proprio, & accidenti, & vt nomen differentiæ hic ſumitur? *p.* 78.
3 De generali definitione differentiæ, & ejus explicatione. *ibid.*
4 De prima diuiſione differentiæ, in communem, propriam, & maximè propriam; & primo de communi differentia: *p.* 79.
5 De Differentia propria: *p.* 80.
6 De differentia maximè propria. *p.* 81.
7 De diſcrimine à *Porphyrio* aſſignato, inter differentiam maximè propriam & alias acceptiones: *p.* 82.
8 De ſecunda diuiſione differentiæ, in ſeparabilem & inſeparabilem. *p.* 83.
9 De diſcrimine inter differentiam ſeparabilem, quæ per ſe conuenit ſubjecto, & eam quæ conuenit per accidens: *p.* 84.
10 De diuiſione differentiæ in conſtituentem & diuidentem. *p.* 86.
11 De modo, quo differentiæ dicuntur ipſum genus diuidere. *p.* 87.
12 De exemplis differentiæ à *Porphyrio* aſſignatis, an rationale conueniat Angelis? An mortale ſit differentia hominis? *p.* 88.
13 In quo ſenſu ſenſibile & rationale, item inſenſibile irrationale & inanimatum ſunt differentiæ. *p.* 90.
14 De definitione differentiæ, & primò de prima, ejuſq; explicatione. *p.* 91.
15 In qua dubitationes contra hanc quæſtionem explicantur. *p.* 92.
16 De ſecunda Definitione differentiæ ejuſque explicatione. *p.* 95.
17 Applicatio eorum, quæ dicta ſunt ad definitionem. *p.* 97.
18 In quâ diſcutiuntur difficultates, quæ hanc definitionē inuadunt. *ib.*
19 De tertia definitione differentiæ, & ejuſdem explicatione. *p.* 101.

20 In qua ſoluuntur dubitationes hujus definitionis. *p.* 102.
21 De quarta definitione differentiæ & ejus explicatione. *p.* 103.
22 In qua dubitationes hujus quæſtionis mouentur & amouentur. *p.* 104.
23 An differentia forma ſit? & in quo ſenſu? *p.* 105.

TRACTAT. 5.

De proprio.

Sect. 1. In qua *Porph.* ſumma, & ordo Tract. proprij. *p.* 107.
2 De Proprio primo modo accepto. *ibid.*
3 De Proprio ſecundo modo. *p.* 108.
4 De proprio tertio modo, ejuſque explicatione. *p.* 109.
5 De proprio quarto modo, atq; primò de ejus definitione ejuſdemq; explicatione. *p.* 111.
6 De ipſo definitionis ſenſu: *p.* 112.
7 In qua dubitationes hujus definitionis objciuntur & reijciuntur: *p.* 113.
8 In qua oſtenditur, qualis hæc proprij diuiſio ſit in hæc quatuor ſignificata, & de proprij quarto modo diuiſione. *p.* 122.
9 In qua ſunt quæſtiones tres de proprio: quarum prima eſt; An proprium profluat à principijs ſpeciei? *p.* 123.
10 An proprium à ſua ſpecie re diſtinguatur nec ne? *p.* 124.
11 De riſibili & flebili, vbi eorum diſtinctio; de inſtrumento riſus, & de cauſis riſus; & de duplici eius ſubiecto. *p.* 125.

TRACTAT. 6.

De Accidente.

Sect. 1. In qua ſumma eorum, quæ ab *Ariſtotele* in hac cap. dicuntur. *p.* 127.
2 De diſtinctione ambigui nominis Accidentis. *p.* 128.
3 De prima accidentis definitione, eiuſque explicatione. *p.* 129.
4 In qua eſt applicatio breuis, (eorum quæ dicta ſunt) ad definitionem *p.* 130.
5 In qua dubitationes huius definitionis obijciuntur & reijciuntur: *p.* 131.
6 De ſecunda definitione Accidentis, ejuſque explicatione. *p.* 136,
7 De tertia definitione Accidentis & ejus explicatione. *p.* 137.
8 De diuiſione accidentis in ſeparabile & inſeparabile, *p.* 150.
9 In quo ſenſu dicantur omnia accidentia à *Porphyr.* per intellectum à ſubiectis ſeparari? vbi quædam dubitationes ſoluuntur. *p.* 151.

10 Quæstiones tres de accidente, quarum prima est, an idem accidens numero, sit in diuersis subjectis? *p.* 153.
11 An Inhærentia sit de essentia Accidentis? *p.* 155.
12 An Imago sit in speculo, vt in subjecto *ibid.*

TRACT. 7.

De communitatibus & differentiis vniuersalium.

Sect. 1. De generali communitate & differentia omnium vniuersalium (quod de multis prædicantur) *p.* 157.
2 In qua dubitationes, earumque resolusiones sunt. *p.* 158.

Comparat: generis & differentiæ.

3 In qua ipsæ communitates & differentiæ, generis & differentiæ recensentur. *p.* 159.
4 De explicatione primæ communitatis. *p.* 160.
5 De explicatione secundæ & tertiæ communitatis. *p.* 162.
6 De expositione differentiarum primæ, secundæ, & tertiæ. *p.* 165.
7 De explicatione differentiarum, Quartæ, Quintæ, Sextæ. *p.* 165.

Comparat: secund: generis & speciei.

Sect. 1. In qua communitates & differentiæ generis & speciei, à *Porph.* assignatæ recensentur. *p.* 166.
2 De communitatum explicatione. *p.* 167.
3 De differentiarum intellectu. *ibid.*

Comparat: tert: generis & proprii.

Sect. 1. In qua communitates differentiæque generis & proprij enumerantur. *p.* 170.
2 De communitatum explicatione. *ibid.*
3 De sensu differentiarum. *p.* 172.

Comparat: quart: generis & accidentis.

Sect. 1. In qua consensio differentiæque accidentis cum genere recensentur. *p.* 174.
2 De ipsius communitatis & differentiarum sensu. *p.* 177.

Comp: quint: Differentiæ & speciei.

Sect. 1. In qua ipsæ communitates & differentiæ enumerantur. *p.* 177.
2 De communitatum explicatione. *ibid.*
3 De ipsarum differentiarum intellectu. *p.* 178.

Comparat: sext: differentiæ & proprii.

Sect. 1. In qua communitates & differentiæ proprij, & differentiæ recensentur. *p.* 181.
2 In qua communitates explicantur, *ibid.*
3 De intellectu differentiarum. *p.* 183.

Comparat.

Comparat: sept: differentiæ, & accidentis.

Sect. 1. De differentiarum & communitatum enumeratione. *p.* 184.
2 In qua communitates explicantur. *ibid.*
3 In qua differentiæ exponuntur. *p.* 186.

Comparat: oct. speciei & proprii.

Sect. 1. In qua communitates & differentiæ recensentur. *p.* 189.
2 In qua differentiæ dilucidantur. *p.* 190.

Comparat: non. speciei & accidentis.

Sect. 1. In qua communitates, & differentiæ recensentur. *p.* 192.
2 In qua communitas explicatur. *ibid.*
3 De differentiarum explicatione. *p.* 193.

Comparat: dec. proprii & accidentis.

Sect. 1. In qua communitates & differentiæ recensentur. *p.* 194.
2 De communitatum explicatione. *p.* 195.
3 De differentiarum intellectu. *p.* 196.

TRACTAT. 8.

De Ante-prædicamentis.

Sect. 1. De Ante-prædicamentis in genere. *p.* 197.
2 De Ante-prædicamentis in specie, & primò de definitionibus. *p.* 199.
3 Differentia inter Æquivoca, multivoca, diuersiuoca, & vnivoca. *ibid.*
4 Distinctio Æquiuocorum. *p.* 200.
5 Ordo Æquiuocorum. *ibid.*
6 Definitio Æquiuocorum. *ibid.*
7 Diuisio Æquiuocorum. *p.* 203.
8 De vsu Æquiuocorum, & fine istius Tractat. *p.* 204.
Sect. 1 De Vniuocis & primò de eorum distinctione. *p.* 205.
2 Distinctio inter (vniuocè prædicari) vt sumitur à *Porphyrio*, & vt ab *Aristotele* sumitur. *ibid.*
3 Definitio vniuocorum & ejus explicatio. *p.* 206.
4 De fine tractationis vnivocorum. *p.* 208.
5 De distinctione Æquiuocationis & vniuocationis. *ibid.*
Sect. 1. De Denominatiuis & primò de eorum distinctione. *p.* 209.
2 De definitione denominatiuorum. *ibid.*
3 Quæ requiruntur ad perfectam denominationem? *p.* 210.
4 Quid abstractum & concretum? *p.* 211.
5 De diuisione denominatiuorum. *p.* 213.
6 De vsu tractationis denominatiuorum. *p.* 214.
7 Epilogus trium dictorum Ante-prædicamentorum. *ibid.*

De duabus diuiſionibus.

Sect. 1. De prima diuiſione. *p.* 215.
2 De diuiſo. *ibid.*
3 De membris diuidentibus, & primò de ſimplicibus vocibus. *p.* 216.
4 De conjunctis vocibus. *p.* 217.
5 De diuiſione vocum complexorum. *ibid.*
6 De diuiſione complexionis vocum. *p.* 218.
7 De ſubjecto complexionis. *p.* 220.
8 Quomodo poſſit hæc diuiſio applicari rebus? *ibid.*
9 De vſu primæ diuiſionis. *p.* 221.
10 De ſecunda diuiſione, quæ eſt diuiſio rerum. *ibid.*
11 De diuiſionis explicatione *ib.*
12 De definitione (ejus quod eſt ineſſe in ſubjecto, aut) accidentis *p.* 223.
13 De vſu hujus ſecundæ diviſionis. *p.* 227.

De duabus regulis.

Sect. 1 De prima regula & ejus explicatione. *ibid.*
2 De extenſione hujus regulæ: *p.* 228.
3 De vſu huius regulæ. *p.* 229.
4 De ſecunda regula Ante-prædicamentali. *ibid.*
5 De applicatione eorũ quæ dicta ſunt in explicatione verborũ. *p.* 231.
6 Eandem rem eſſe non poſſe in diuerſis prædicamentis. *p.* 232.
7 De vſu hujus regulæ. *p.* 233.

TRACT: NONVS.

Sect. 1. De prædicamentis in genere. *p.* 235.
2 De definitione prædicamenti. *ibid.*
3 De partibus prædicamentorum: ſc. quæ in prædicamentis ponuntur res vel voces? *p.* 236.
4 De conditionibus requiſitis, vt aliquid ponatur in prædicamentis. p. 237.
5 De modis quibus aliquid ponitur in prædicamentis. *p.* 238.
6 De diuiſione prædicamenti, ſeu prædicamentorum numero. *ibid.*
7 De modis diſtinctionis prædicamentorum. p. 239.
8 Prædicamenta eſſe *Dialecticæ* conſiderationis. *ibid.*

De ſubſtantia.

Sect. 1. Eorum quæ *Ariſtoteles* dixit de ſubſtantia Analyſis. p. 241.
2 De diſtinctione nominis ſubſtantiæ. p. 242.
3 De ordine prædicamenti ſubſtantiæ *ibid.*
4 De diuiſione ſubſtantiæ in primam & ſecundam. p. 243.

5 De derivatione Subſtantiæ: *ib.*
6 De definitione primæ Subſtantiæ: *ib.*
7 Quare prima Subſtantia definiatur per negationem? *p:* 244.
8 De definitione ſecundarum Subſtantiarum: *p:* 245.
9 Caput Objectionum contra hanc diviſionem, & ordinem: *p:* 246.
10 De comparatione ſecundarum Subſtantiarum, & accidentium, reſpectu prædicationis de primis Subſtantiis: *p.* 248.
11 De comparatione ſecundarum Subſtantiarum, & accidentium reſpectu dependentiæ à primis: *p:* 249.
12 De comparatione primarum Subſtantiarum ad ſecundas, quantu. ad dignitatem: *p:* 251.
13 De differentiâ inter ſingulare, individuum, primam Subſtantiam, ſuppoſitum, & perſonam: *p:* 252.
14 De comparatione ſpecierum huius prædicamenti ad genera quantum ad dignitatem: *p:* 253.
15 De comparatione ſecundarum inter ſe; vt ſpecierum ad ſpecies; generis ad genus: *ib.*
16 De iis Subſtantiis quæ non ponuntur in hoc prædicamento: *p:* 254.
17 Angelos eſſe in prædicamento: *p:* 255.
18 Quomodo differentiæ ſunt in prædicamento: & quomodo ſuperior de inferiori differentiâ prædicatur? *p:* 256.
19 De proprietatibus Subſtantiæ: & primò de generali ratione, & vſu proprietatum ſummorum generum: *p:* 257.
20 De primâ proprietate Subſtantiæ, & eius explicatione: *p:* 258.
21 De ſecundâ proprietate Subſtantiæ: *p:* 260.
22 De tertiâ proprietate Subſtantiæ, & eius explicatione: *ib.*
23 De quartâ proprietate Subſtantiæ, & eius explicatione: *p:* 262.
24 De quintâ proprietate Subſtantiæ, & eius explicatione: *p:* 264.
25 De ſextâ proprietate Subſtantiæ, et eius explicatione: *p:* 266.
26 De tribus præcipuis proprietatibus huius prædicamenti: *p:* 268.

De Quantitate.

Cap. 1. De Prædicamento Quantitatis, & primò, de eorum, quæ ab *Aristotele* traditа sunt, resolutione. *pag.* 269.
De ordine tractationis hujus Prædicamenti. *p.* 270.
De descriptionibus Quantitatis. *ibid.*
De explicatione dictarum omnium descriptionum, & primò de primâ. *p.* 271.
De explicatione secundæ descriptionis. *p.* 272.
De definitione tertiâ, & quartâ. *p.* 273.
De primâ divisione Quantitatis, in continuam, & discretam: earumq; definitionibus. *p.* 274.
De terminis Quantitatum continuarum. *ibid.*
De Longitudine, Latitudine, Profunditate, quid sint? & de earum acceptionibus, & quibus modis definiantur apud interpretes continuæ quantitatis. *p.* 276.
10 Quibus modis continuæ Quantitates definiantur apud Philosophos? *p.* 278.
11 De descriptionibus lineæ. *ib.*
12 De objectionibus contra definitionem lineæ. *p.* 279.
13 De divisione lineæ. *p.* 281.
14 De descriptionibus superficierum, & earum explicatione. *ib.*
15 De Objectionibus contra tractationem de superficie. *p.* 283.
16 De divisione Superficiei. *ib.*
17 De tractatione corporis: & primò de ejus distinctione. *p.* 284.
18 De descriptionibus corporis. *ib.*
19 De objectionibus contra hanc tractationem de corpore. *p.* 285.
20 Quomodo dictæ species sunt subalternæ, aut infimæ? *p.* 286.
21 De tractatione loci, & primò locum esse superficiem. *p. ib.*
22 De refutatione argumentorum Casi, contendentium contrarium. *p.* 287.
23 De distinctione loci. *p.* 288.
24 De definitione loci, & ejus explicatione. *p.* 289.
25 Quomodo locus sumitur hic ab *Aristotele*? *ib.*
26 Refelluntur aliæ opiniones. *p.* 290.
27 De objectionibus contra tractationem loci. *p.* 291.
28 De tractatione temporis: & primò de distinctione durationis. *p.* 292.
29 De definitione temporis, & ejus explicatione, atque primò de primâ particulâ. *ib.*

30 De expoſitione ſecundæ particulæ, poſitæ in defi nitione temporis *p.* 293.
31 De explicatione tertiæ particulæ in definitione temporis. *ibid.*
32 De ſubjecto temporis. *p.* 294.
33 De ſpeciebus temporis. *p.* 295.
34 De definitione temporum: vt anni, menſis, diei, &c. *ib.*
35 Objectiones contra ea quæ dicta ſunt de corpore. *p.* 296.
36 De diſcretæ quantitatis tractatione, atque primò de Numero, & de ejus diſtinctione. *p.* 298.
37 Numerum eſſe diſcretam Quantitatem. *p.* 299.
38 De definitione Numeri. *ib.*
39 De diviſione Numeri. *ib.*
40 Objectiones contra ea quæ dicta ſunt de Numero. *p.* 300.
41 De tractatione Orationis, & primò de ejus diſtinctione. *p.* 301.
42 De Orationis definitione. *ib.*
43 De differentia inter numerum, & orationem. *ib.*
44 Objectiones contra id, quod dictum eſt, Quantitatem eſſe dictarum ſpecierum genus: & de ſpecierum earum diſtinctione. *p.* 302.
45 De ſecundâ diviſione Quantitatis, in quantitatem habentem, & non habentem ſitum. *p.* 303.
46 De tertiâ diviſione Quantitatis, ſeu potiùs Quanti, in quantum per ſe, & quantum per accidens. *ib.*
47 De Menſuris, An ad hoc prædicamentum pertinent. *p.* 304.
48 De proprietatibus Quantitatis: & primò, de explicatione primæ. *p.* 305.
49 Quid *Ariſtoteles* dixerit, de hâc proprietate? *ib.*
50 Dubitationes adverſus ea quæ dicta ſunt. *p.* 306.
51 De ſecundâ quantitatis proprietate, atq; ejus expoſitione. *p.* 307.
52 De tertiâ proprietate Quantitatis, & primò de definitione æqualitatis, & inæqualitatis. *p.* 308.
53 De expoſitione hujus proprietatis. *p.* 310.
54 De triplici ratione hujus proprietatis. *p.* 311.

De Relatis.

Sect. 1. De Prædicamento *ad aliquid*, & primò de eorum, quæ *Ariſtoteles* tradidit, reſolutione. *p.* 312.
2 De differentiâ inter relationem, & relativum: & vtrum eorum magis ponatur in Prædicamento? *ib.*
3 De diſtinctione ambigui nominis relationis. *p.* 313.

4 De ordine hujus prædicamenti ; quare collocetur poſt Quantitatem: *p*: 314.
5 De primâ definitione relativorum , atque eius explicatione: *p*: 315.
6 De illis conditionibus,quæ concurrunt ad relativorum exiſtentiam: *p*: 317.
7 De modis quibus Accidentia intereunt et corrumpuntur & ſpecialiter Relativa: *p*. 318.
8 De fundamento relationum: *ib*.
9 De iis quæ concurrunt ad eſſentiam relationis: *p*: 319.
10 De triplici modo relationis, et quibus relativis modi iſti conveniant: *p*. 320.
11 Quibus caſibus relativa ad ſe invicem referantur? *p*: 321.
12 De diviſione relativorum in relativa ſecundum eſſe, & ſecundum dici, & quænam eorum in Prædicamento collocantur: *p*: 322.
13 De ſecundâ definitione relativorum, & ejus explicatione: *ib*.
14 Solutio cujuſdam dubitationis, quæ ex verbis *Ariſt*. naſcitur: *p*: 323.
15 An Relativum ſit de eſſentiâ correlativi ſui, & quomodo: *p*: 324.
16 An correlativa per ſe invicem definiri debeant? *p*. 325.
17 An unum correlativum habeat eſſentiam ab altero , ſeu potius ad alterum? *p*. 326.
18 De duplici modo definiendi relata: *ib*.
19 De ijs quæ ponuntur per ſe, in ſerie hujus prædicamenti; & primò de ſummo genere: *p*: 327.
20 De diviſione relationis in ſuas ſpecies: *ib*.
21 Caput dubitationum contra ea quæ dicta ſunt de relatis: *p*: 328.
22 De proprietatibus relationis; & primò de primâ, atq; ejus explicatione: *p*: 330.
23 De ſecundâ communitate Relationis, atq; ejus expoſitione: *p*: 332.
24 De argumentis *Tolleti*, quibus contendit relativa per ſe, & non gratia fundamenti , intenſionem ſuſcipere & remiſſionem: *ib*.
25 Diſſolutio ſecundi argumenti *Tolleti*: *p*: 333.
26 De tertiâ proprietate, atq; ejus explicatione, & primò de diſtinctione converſionis: *p*: 334.
27 De expoſitione hujus tertiæ proprietatis: *p*: 335.
28 De impedimentis converſionis, atque eorum remedijs: *ib*.
29 De quartâ proprietate relationis , & primò de diſtinctione ejus quod eſt ſimul naturâ: *p*. 336.
30 Quid *Ariſtoteles* de hâc proprietate dixerat: *p*: 337.

31 De

31 De quibus relativis ſit intelligenda hæc proprietas: *ib.*
32 Solutio dubitationum quæ poſſunt ex ijs quæ dixit *Ariſtoteles*, conſurgere: *p:* 338.
33 De explicatione hujus proprietatis: *p:* 339.
34 De regula eorum quæ ſunt ad aliquid, quæ apud quoſdam quinta proprietas nominatur: *p:* 340.
35 De triplici dependentiâ correlativorum ex ſe invicem: *ib.*
36 Diſſolutio iſtius quæſtionis, an ſunt plures paternitates in vno patre? *p:* 341.
37 Dubitationes contra ea quæ de definitione relativorum dicta ſunt. *p:* 342.

De Qualitate.

Sect. 1. De Prædicamento qualitatis, & primò de reſolutione eorum quæ de qualitate *Ariſtoteles* dixerat: *p:* 343.
2 De diſtinctione qualitatis: *ib.*
3 De ordine hujus prædicamenti reſpectu aliorum conſequentium: *p:* 344.
4 De definitione qualitatis & ejus explicatione: *ib.*
5 De diviſione qualitatis in ſuas ſpecies: *p:* 346,
6 De primâ ſpecie qualitatis, & 1° de diſtinctione nominis habitus: *ib:*
7 De definitione habitus, atque eius explicatione: *ib.*
8 De definitione diſpoſitionis, atque ejus explicatione: *p:* 347.
9 De comparatione habitus & diſpoſitionis, vbi oſtenditur eorum convenientia & diſcrepantia: *ib.*
10 De ſecundâ comparatione habitus & diſpoſitionis; quæ eſt quoad nomen: vbi oſtenditur quomodo habitus dicitur diſpoſitio ab *Ariſtotele?* 348.
11 De ſecundâ ſpecie qualitatis, & primò de diſtinctione ambigui nominis potentiæ: *ib.*
12 De definitione naturalis potẽtię, & 1° de ejus explicatione: *p:* 349.
13 De definitione naturalis impotentiæ, & ejus explicatione: *p:* 350.
14 De comparatione naturalis potentiæ & impotentiæ: *p:* 351.
15 An rationale & ſenſibile ſint naturales potentiæ: *ib.*
16 Comparatio inter potentiam naturalem & habitum: *p:* 352.
17 Dubitationes contra ea quæ dicta ſunt de potentiâ: *ib.*
18 De tertiâ ſpecie qualitatis, & primò de diſtinctione patibilis qualitatis: *p:* 353.
19 De diſtinctione ſenſibilis ex *Ariſtotele*, 2° lib: de animâ, text: 63: *ib.*

20 De definitione patibilis qualitatis. *p.* 354.
21 De distinctione & definitione passionis,& ejus explicatione. *p.* 355.
22 De comparatione patibilis qualitatis & passionis. *ib.*
23 De divisione sensibilium qualitatum in primas & secundas. *p.* 356.
24 De quartâ specie qualitatis, & primò de distinctione ambigui nominis, formæ & figuræ. *p.* 357.
25 De differentiâ inter formam & figuram: & earũ definitionibus. *ib.*
26 De definitione Qualis, & ejus explicatione. *p* 358.
27 De proprietatibus Qualitatis; & primò de primâ. *p.* 360.
28 De secundâ proprietate, & primò de intensione & remissione. *ib.*
29 De distinctione hujus proprietatis, quæ est capere magis & minus. *p.* 362.
30 De expositione ipsius proprietatis. *p.* 363.
31 De tertiâ proprietate Qualitatis, & 1° de distinctione similitudinis. *ib.*
32 De definitione similitudinis expositioneq; proprietatis. *p.* 365.

De Actione.

Sect. 1, De prædicamento Actionis, & primò de distinctione nominis ambigui Actionis. *p.* 367.
2 De ordine hujus prædicamenti. *p.* 368.
3 De distinctione Actionis, & ejus explicatione. *ib.*
4 De definitione actionis in primâ acceptione. *p.* 369.
5 De definitione actionis in secundâ acceptione. *ib.*
6 Quot modis res agere dicitur? *p.* 370.
7 De ijs quæ necessariò requiruntur ad actionem. *p.* 372.
8 De ratione distinguendi Actionem, Passionem, & Motum: *ib.*
9 De subjecto Actionis. *ib.*
10 De divisione Actionis: *p:* 373.
11 Dubitationum caput, contra ea quæ dicta sunt: *p.* 374.
12 De proprietatibus Actionis, & primò de primâ proprietate, ejusq; explicatione. *p.* 375.
13 De secundâ Actionis communitate, & ejus explicatione. *p.* 376.
14 De tertiâ Actionis proprietate, & ejus explicatione: *ib.*
15 De quartâ proprietate Actionis, & ejus explicatione, *p.* 377.

De Passione.

Sect. 1. De Prædicamento Passionis, & primò de distinctione ambigui nominis. *p.* 378.
2 De definitione Passionis, à Porretano assignata: *ib.*
3 De aliâ Passionis definitione, & ejus explicatione: *p.* 380.

4 De diuisione Passionis. *p.* 381.
5 De proprietatibus ipsius Passionis: *p.* 382.

De Vbi.

Sect. 1 De Prædicamento *Vbi*, & primò de ejus distinctione: *p.* 383.
2 De differentia inter *Locum* & *Vbi*: *p.* 384.
3 De definitione ipsius *Vbi*: *ib.*
4 De diuisione *Vbi*, & ejus explicatione facillimâ: *ib.*
5 De definitione *Vbi* simplicis, & ejus explicatione: *p.* 385.
6 De definitione *Vbi* compositi & ejus explicatione. *p.* 386.
7 Caput obiectionum contra ea quæ dicta sunt de *Vbi*: *ib.*
8 De prima proprietate *Vbi* & ejus explicatione. *p.* 387.
9 De secunda proprietate *Vbi* *p.* 388.

De Quando.

Sect. 1 De prædicamento *Quando*, & primo de ambigui nominis distinctione: *p.* 389.
2 De ijs quæ ad *Quando* requiruntur. *p.* 390.
3 De definitione *Quando*, atque ejus expositione. *ibid.*
4 De diuisione ipsius *Quando*: *p.* 391.
5 De proprietatibus *Quando* & earum explicatione: *p.* 392.

De Situ.

Sect. 1 De prædicamento Situs, & promò de ambiguo nomine *Situs*: *p.* 393.
2 De diuisione Situs. *p.* 394.
3 Objectiones contra definitionem Situs. *ibid.*
4 De proprietatibus ipsius Situs. p. 396.

De Habitu.

Sect. 1 De prædicamento vltimo Habitus, & primò de ordine *p.* 397.
2 De diuisone ipsius *Habitus*. *p.* 398.
3 De proprietatibus Habitus. *ibid.*

TRACTATVS 16.

De Post-prædicamentis.

Sect. 1 De Nomine, & definitione ipsius Post-prædicamenti: *p.* 399.
2 De diuisione Post-prædicamentorum: *ib.*
3 De Post-prædicamento oppositionis, & primò de analysi eorum, quæ ab *Aristotele* in hoc cap. dicuntur *p.* 400.

4 De definitione ipſorum in genere ex *Rodolpho*: l. 1. c. 20. *p*. 401.
5 De diviſione oppoſitorum, ac ejus ſufficientiâ: *p*. 402.
6 An dicta diviſio ſit generis in ſpecies? *ib*.
7 De relativè oppoſitis: *p*. 403.
8 De contrariè oppoſitis, & primò de communi eorum definitione, à dialecticis tradita: *p*. 404.
9 De alia definitione contrariorum, ab *Ariſtotele* tradita: *ib*.
10 De habitudine contrariorum ad ſubjectum, quantum ad inhæſionem, & quomodo ſimul vel ſucceſſivè (eidem ineſſe) dicãtur? *p*: 405.
11 Dubitationes de ijs quæ dicta ſunt de contrarijs, in ordine ad ſubjectum: *p*: 407.
12 De habitudine contrariorum ad ſubjectum, quantum ad actionem: & quibus actionibus ſe invicem expellunt contraria? *p*: 408.
13 Objectiones contra ea quæ dicta ſunt de objectionibus contrariorum: *p*: 409.
14 Qualis ſit ea intelligenda contrariorum diſtantia? *p*: 412.
15 De diviſione contrariorum in mediata, & immediata: *p*: 413.
16 De definitione immediatorum contrariorum, & ejus explicatione: *p*: 414.
17 Quale medium concedendum eſt inter contraria immediata? vbi conciliatur medicis *Ariſtoteles* de ſano & ægro: *p*: 415.
18 De definitione contrariorum mediatorum, & ejus explicatione: *p*: 417.
19 Aliâ ratione repugnare media extremis, quàm extrema ipſa extremis: *p*: 418.
20 Quomodo extrema contraria in medijs formis participationis eſſe dicantur? *ib*.
21 De privativè oppoſitis, & primò de diſtinctione nominis ambigui *privationis*: *p*: 420.
22 De definitione privationis atque ejus explicatione, & primò de definito: *p*: 421.
23 De primâ parte definitionis, & quomodo privatio dicitur negatio? 422.
24 De ſecundâ particula definitionis: & in quo ſubjecto ſit privatio? *p*: 323.
25 Dubitationes circa ea quæ dicta ſunt, de inhærentiâ privationis *p*: 424.
26 Qualis aptitudo ad formam requiratur ad rationem privationis? *p*: 425.

27 De definitione priuantium,& ejus explicatione.p.426.
28 De ſtatu iſtius quæſtionis: An ſit regreſſus a priuatione ad habitum? p. 427.
29 Objectiones contra definitionem priuatiuè oppoſitorum. p.428.
30 De contradicentibus & eorum definitione, ejuſque explicatione. p.429.
31 De ſenſu definitionis contradicentium.p.430.
32 De comparatione dictarum ſpecierum oppoſitorum & primò Relatiuorum,& priuantium.p.431.
33 De comparatione priuatiuè oppoſitorum ad contraria.p. 432.
34 De comparatione contradicentium ad alias oppoſitorum ſpecies: p.433.
35 De proprietatibus,ſeu potius quinque regulis Oppoſitorum. *ibid.*
36 De ſecunda contrariorum regula.p.434.
37 De tertia,quarta,& quinta contrariorum regula.p.435.
38 de vſu prædictæ tractationis Oppoſitorum. p.436.

De Modis Prioris.

Sect. 1. De modis priorum,& primo de ijs in genere. p. 437.
2 De primo modo prioris,quo aliquid prius tempore dicitur.*ibid.*
3 De ſecundo modo prioris, & primo de diſtinctione nominis ambigui,(naturæ prioris.)p.438.
4 De definitione ejus, quod eſt prius natura, in conſequutione.*ibid.*
5 Quæ conditiones requiruntur,vt quid quoad conſequutionē (prius natura)eſſe dicatur?p.440.
6 De tertio modo prioris,qui eſt *prius ordine*. p. 441.
7 De quarto modo prioris, ſiue de eo, quod eſt prius dignitate. p. *ibid.*
8 De quinto modo prioris,ſiue de eo quod prius eſt quoad affectionē. p.442.
9 De diſtinctione horum modorum inter ſe & de modis poſterioris. *ibid.*

De Modis ſimul.

Sect. 1. De modis ſimul, & primo de primò modo, qui eſt ſimul tempore p. 443.
2 De ſecundo modo ſimul, qui eſt ſimul natura per relationem.*ibid.*

3 De tertio modo ſimul, qui eſt ſimul natura per diuiſionem. p.444.
4 Quomodo accipiendum ſpecies vel differentias ſimul eſſe natura. p. 445.

De Motu.

Sect.1. De motus generibus, & primo de ambigui nominis (motus) diſtinctione. p.447.
2 Motum varijs modis acceptum varijs modis in prædicamentis collocari. *ibid.*
3 Quam vario apud *Ariſtotelem* nomen motus ſit acceptum? p.448.
4 Quibus modis definitus ſit motus ab *Ariſtotele*? *ibid.*
5 De definitione motus ejuſque explicatione, primo autem de prima ipſius definitionis particula. p.449.
6 De terminis duobus motionis. p. 451.
7 De explicatione ſecundæ particulæ ipſius definitionis motus. *ibid.*
8 De expoſitione tertiæ particulæ ipſius definitionis motus. p.452.
9 Applicatio breuis dictorum ad propoſitam definitionem motus. p. 453.
10 De omnibus cauſis motionis. *ibid.*
11 Motum eſſe verum genus vniuocum, reſpectu ſuarum ſex ſpecierum. p.454.
12 De diviſione motus in ſuas ſpecies. *ibid.*
13 Dubitationes de hac diuiſione motus. p.455.
14 De duplici modo definiendi prædictas motus ſpecies. p. 557.
15 De definitione Generationis & ejus explicatione. p.458.
16 Dubitationes contra ipſam definitionem. *ibid.*
17 De Generatione ſecundum Quid. p. 459.
18 De definitione Corruptionis, atque eiuſdem expoſitione. p.460.
19 Dubitationes contra poſitam definitionem Corruptionis: *ibid.*
20 De Corruptione ſecundum quid: p. 461.
21 An Generatio & Corruptio genera ſint, an ſpecies infimæ? *ib.*
22 De Augmentatione, & primò de ejuſdem diſtinctione: p:462.
23 De definitione Augmentationis atq; ejuſdem explicatione: p.463.
24 De Definitione diminutionis, atq; ejuſdem explicatione: *ib.*
25 De Alteratione ejuſq; definitione, & ejus explicatione: p: 464.
26 De Latione, & primò de ejus definitione, & ejuſdem explicatione: p. 465.

27 De ratione hujus diverſitatis, in motionibus Cœlorum, & inferiorum corporum: p. 466.
28 Applicatio dictorum ad definitionem: p. 467.
29 Triplicitèr dici corpora moveri localitèr- *ib.*
30 De contrarietate motus, & quietis. p: 468.
31 De contrarietate ſpecierum motus ad ſe invicem: *ib.*
32 De diſtinctione prædictarum ſpecierum aſſignata ab *Ariſtotele*: p. 469.

De Modis Habendi.

Sect. 1 De vltimo Poſt-prædicamento, quod ſit Habitus: p: 471.
2 De Modis Habendi: *ib.*
3 De Vtilitate horum modorum. p: 472.

FINIS.

Propositum præliminare generale *Logices* systema, cujus singulas partes perpendemus, quem nimirum situm habent in organo *Aristotelis*; & etiam quod subjectum in quoquo libro organi traditum est: hâc enim ratione præter quãdam totius artis faciem, etiam certi facti erimus, ex qua organi parte eliciatur *Sophistria*, quæ vtcunq; non *naturâ*, in faciliori tamen *doctrinâ*, primos labores inter *Logicæ* studiosos vendicat

Prima pars agit de *simplici termino*, & dirigit primum actum: & hæc pars *Logicæ* traditur partim per modum, vel

Præfationis, in *Porphyrii* introductione, qui liber de quinq; *prædicabilibus*, sc. *genere*, *specie*, *differentiâ*, *proprio*, & *accidente*, instituitur; vt *Chrysaorius Porphyrii* discipulus faciliùs intelligeret prædicamenta, vt patet initio *introductionis*.

Tractationis in libro *Categoriarum*, qui est primus liber *Logicus*; liber autẽ *Categoriarum* tres in se tractatus habet,

1um De *Ante-prædicamentis*, quæ ideo tractantur, quia cõducunt à *priori* ad notionem *Prædicamentorũ*: cum in *Prædicamentis* tria spectantur,

1 *Ratio prædicandi*, sic conducunt tres *definitiones*.
2 *Ratio essendi*, sic conducunt duæ *divisiones*.
3 *Ordinatio in serie*, & hinc duę *regulæ*: quare sunt septem *Ante-prædicamenta*.

2um De *Prædicamentis* decem: scil. *Substantiâ*, *Quantitate*, *Qualitate*, *Relatione*, *Actione*, *Passione*, *Quando*, *Vbi*, *Situ*, & *Habitu*: de quatuor prioribus *copiosè* egit *Aristoteles*: *præcisè* de sequentibus; de quibus tamen *Gilbertus Porretanus* prolixè.

Vltimum de *Post-prædicamentis*, quæ ideo tractantur, quia conducunt à *posteriori*, scil.

1 Cum res aliæ ingrediantur Prædicamenta quoad esse; hinc earum distinctio patet ex Post-prędicamento *motus*.

2 Cum in *Prædicamentis* detur oppositio, Post-prædicamentũ *oppositionis* cognitioni illius inseruit.

3 Cum in serie vnum ens est alio *prius* hinc Post-prædicamentum *modorum prioris*.

4 Cum aliqua entia sint *simul*, hinc Post-prædicamentum *simultatis*.

5 Cum denique sit habitudo vnius ad aliud Prædicamentum, hinc Post-prædicamentum de *modis habendi*.

Secunda pars agit de *complectione* terminorum simplicium, seu *propositione*, quæ si sit *affirmans*, actum mentis secundum, *componentem*, si *negans*, actum mentis secundum *dividentem*, dirigit: & hæc pars proprium locum in *organo* vendicat, scilicet, librum περὶ ἑρμηνείας, id est, de *Interpretatione* quia cum duplex sit propositio, alia internè *concepta*, alia vocibus *prolata* hæc posterior quæ ab *Aristotele* traditur, priorem interpretatur.

Tertia pars agit de *discursu* & dirigit hanc operationẽ intellectus scil. *ratiocinationem*: Syllogismus autem duplicem considerationẽ habet, vel

Generalem, quæ non restringitur ad hanc vel illam materiam; & *formalis* appellatur, & proprium tractatum vendicat in duobus *priorum Analyticorum* libris.

Specialem, vt restringitur ad materiam: scil. certam, & triplex est, sc. vel


1 *Apodicticus*, siue demonstratio quæ versatur in materâ *necessariâ*; & tractatur in duobus *posteriorum Analyticorum* libris.

Topicus, qui in *probabili* materia versatur, & tractatur in octo libris *Topicorum*.

Sophisticus, qui in *fallaci* materiâ versatur; & tractatur in duobus libris *Elenchorum*.

Hæc *Analysis*, in vnico tantùm exemplari reperta est; *Brerewoodianam* illam esse, audactèr non assero; si cuiquam arriserit, perlegat, & fruatur;

Prætereat, si cui non ficit ad stomachum.



TRAC

TRACTATVS PRIMVS

De Vniverſalibus.

SECT. 1.

De Definitione Vniuerſalis ac eius explicatione.

VNiverſale definitur ab *Ariſtotele* libro de Interp: cap. 7. t. 1. eſſe *id quod eſt aptum natum prædicari de multis*; ad cuius explicationem, *definitum*, & *partes definitionis* ſunt animadvertendæ.

De *definito* notandum, quod *vniverſale* multifariam capitur vel pro *vniverſali* in

Efficiendo, quod eſt *univerſale* principium; vt *Deus*.

Significando, quod eſt *univerſale* ſignum multa repræſentans, ut omne, quodlibet, &c.

Prædicando, quod eſt *vniuerſale* attributum multis commune, ut homo, color. & hoc in loco ſic accipitur.

Definitio ipſa conſtat ex duabus partibus, *genere*, & *differentia*; *genus* primis verbis inſinuatur (id quod) id eſt, vnivocum, ſiue vox ſit, ſiue res; nam & res & vox eſt (*univerſale*,) diverſo tamen modo:

res tanquam id *quod* prædicatur de multis; vox tanquam id *per quod* res prædicatur; *obiectum* ideo prædicationis res est, *instrumentum* vox; siue autem res sit, siue vox, oportet esse vnivocum (id est) vnius nominis, ut excludantur æquivoca & ambigua nomina.

Differentia duobus explicatur (scil.) per *affectionem* & *subiectum*; *affectio* explicatur istis verbis (aptum prædicari,) nam aptitudo prædicandi est proprietas vniuersalis. Vbi notandum: illud non definiri quod *actu* prædicatur, sed id quod est *aptum* prædicari: *Actus* enim prædicandi accidens est, nec convenit vniuersali per se, sed gratiâ eius qui enunciat: *Aptitudo* vero prædicandi per se conuenit & ex suâ naturâ.

Notandum autē quod prædicatio est duplex

1 Alia *directa*, & ea quoque est triplex, quâ
- 1° *Superius affirmatur de inferiori*; vt, de homine animal.
- 2° *Par de pari*, vt, risibile de homine.
- 3° *Accidens de subiecto*, ut, album de pariete.

2 Alia *indirecta*, eaq; est duplex, vel
- 1° *Quâ inferius prædicatur de superiori*; vt, homo de animali.
- 2° *Quâ subiectum prædicatur de accidente*, vt, paries de albo.

Cum igitur vniuersale definitur *id quod est aptum prædicari de multis*, intelligitur quod est aptum directè.

Subiectum istis verbis designatur (de multis) hoc est, de multis inferioribus, vel sub se positis.

Aliquid prędicatur (de multis) bifariàm

1 *Sigillatim, & diuisim*; quod non solum de omnibus simul junctis, sed de quovis per se sumpto prædicatur: vt, homo de *Socrate* & *Platone*, & sic in definitione intelligitur.

2 *Coniunctim, & copulatè*, quod non de quovis per se sumpto prædicatur, sed solum de pluribus collectis: ut, exercitus non prædicatur de vnoquoque viro, sed de totâ militum multitudine. ita hic non accipitur.

Sic itaque intelligite definitionem; (*Vniuersale*) in prædicando est (*id*) scil: ea vox, vel ea res, (*quæ est apta*) voce mediante tanquam instrumento (prædicari) directe & secundam ordinem, (de multis) subiectis, aut singularibus diuisim acceptis. *vl homo, equus, al*

Sect.

SECT. 2.

An Vniuerſalia res, an tantum nomina ſint?

Vniverſalia ſunt duplicia, vel quoad
- 1° *Participationem*, quæ ſunt ſubiecta vniuerſalitatis; & ſic ſunt *res*, ut Animal; homo: &c.
- 2° *Significationem*, quæ ſunt ſigna vniuerſalitatis, & ſic *voces*, (ſcil.) genus, ſpecies, & differentia, dicuntur vniuerſales.

Res ideo ſunt (vniuerſales) quatenus ſunt aptæ deſignari ab hiſce intentionibus; intentiones ſunt (vniuerſales) quatenus rebus communibus ſunt applicabiles.

SECT. 3.

An Vniuerſalia ſint ſolum in intellectu? an in rebus extra intellectum?

Aliquid eſt in intellectu tripliciter, vel,
- 1° *Subiectivè*, quod hæret in intellectu: vt, ſcientia.
- 2° *Effectivè*, quod intellectus fabricat; ut, notiones.
- 3° *Obiectivè*, quod intellectus cognoſcit: vt, res omnes.

Iam quod primo modo eſt in intellectu, eſt in eo per *inhærentiam*, vt in ſede & in ſubjecto: quod ſecundo modo, eſt in eo per *efficientiam*, ut in cauſa: quod tertio, eſt in eo per *conceptum*, ut in cognoſcente.

Vniuerſalia ergo realia ſunt in intellectu *obiectivè*, quatenus ab eo apprehenduntur, & intentionalia *effectivè*, quatenus ab eo facricantur.

Vniverſale conſideratur bifariam, quoad
- 1° *Materiam* & ſic deſignat id, quod eſt univerſale.
- 2° *Formam*, & ſic deſignat ipſam univerſalitatem.

Atque de hâc, quæſtio intelligitur (ſcil.) an ipſa vniuerſalitas, (id eſt) ordo ad plura, vel facultas prædicandi de pluribus, pendeat ab intellectu?

Notandum quod vniuerſale tres habet gradus, vnde & tria nomina adeptum eſt.

nàm
1 Primò, *Vniversale dicitur ante rem*, & sic designàt naturam communem, (quemadmodum est in se & sine respectu ad singularia) vt, homo quatenus homo.
2 Secundò, dicitur *Vniuersale in re*, & sic designat naturam communem, quemadmodum diffusa est, in rebus singularibus, vt, homo quatenus est in *Socrate* & *Platone*.
3 Tertiò, *Vniversale dicitur post rem*; & designat naturam communem, quemadmodum abstracta est vi intellectus à rebus singularibus.

Iam prima designatio, respicit *constitutionem* & est *Metaphysica*; secunda, *participationem aliis*, & est *Physica*; tertia *collectionem ab aliis*, & est *Dialectica*; quocirca in Vniversali quoad formam

duo respiciuntur
Primò, *Convenientia singularium*, & quantùm ad hanc, est in rebus ipsis, singularia enim sine omni intellectus operatione in vno aliquo convenire possunt.
Secundò, *Notio Vniversalis*, & quantum ad hanc, est in intellectu, quæ distinctio ut melius intelligatur notandum.

Ordinem Vniversalis ad singularia esse duplicem
1°, Vnum *participationis*, per quem multis communicatur.
2°, Alterum *attributionis*, per quem de multis prædicatur, prior *per se* rebus ineſt, posterior *per operationem intellectus*.

Notandum *secundò*, quod tres sunt actus intellectus

circa Vniversale,
Primus, est *collectio singularium*, in quibus respicit convenientiam.
Secundus, est *abstractio eius naturæ* (in qua conveniunt) à singularibus; vnde provenit vnitas.
Tertius, est *notio seu conceptio eius*, in communi & indefinitâ suâ naturâ, vnde provenit *intentio* & nomen *Vniversalis*.

Quocirca cùm quæritur, num Vniuersalia sint in rebus extra intellectum, an ipso intellectu? respondendum est, esse in rebus *inchoatè*, in intellectu *perfectè*.

Duo enim ad naturam Vniversalis exiguntur, sc. naturæ,
1°, *Diffusio*, ut eam multa participent; & quoad hanc, est in rebus.
2°, *Vnitas*, ut participent eam tanquam eandem; & quoad hanc, est in intellectu.

Cum

Cum autem dico vnitatem vniuerſalis, ab intellectu pendere, non intelligo vnitatem *rei* quatenus *res eſt*, ſed quatenus *Vniverſalis res eſt*; exemp : grat. homo vniuerſalis quatenus vnus eſt homo, non eſt in intellectu, ſed quatenus vnum vniuerſale eſt, aut vna ſpecies; prior enim vnitas ſequitur *conſtitutionem* formæ; poſterior ſequitur *collectionem & abſtractionem* intellectus.

SECT. 4.

An vniuerſalia ſint ſeparata à ſingularibus, an in iis ſubſiſtant?

Notandum quod aliquod ab alio ſeparari poteſt triplicitèr, vel

1° *Quoad eſſentiam*, ſic aliquę vniuerſalia ſeparantur, vt proprium & accidens; licet enim hæc cum ſubjectis ſatis conjungantur quoad *exiſtentiam* & *inhærentiam*, habent tamen differentes & ſeparatas *eſſentias* & *definitiones* ab ipſis ſubiectis.

2° *Quoad exiſtentiam*, ſic nulla vniuerſalia ſunt ſeparata à ſingularibus.

3° *Quoad intellectum*; ſic omnia à ſingularibus ſuis ſeparantur, quatenus intellectus ea quandoq; intelligit, non intellectis ſingularibus; vt cum hominem conſidero nullo particulari homine conſiderato.

Notandum quod duplex eſt ſeparatio intellectus, vel

1° *Abſtractionis*, quâ vnum cognoſcit altero non cognito: & nihil aliud eſt, quam ſimplex alicuius rei apprehenſio, cæteris non apprehenſis.

2° *Remotionis*, quâ duo cognoſcit, alterum autem ab altero removet: & ſicut prior in ſimplici apprehenſione: ita hæc in negatione vnius de altero conſiſtit; ut cum intelligam hominem, non intellecto *Socrate*, aut *Platone*, dicitur *abſtractionis* ſeparatio; ſi autem intelligam hominem & *Platonem*, & removeo vnum ab altero per negationem, vt cum intelligo *Platonem* non eſſe hominem, dicitur ſeparatio *remotionis*. Cum itaque dicitur vniuerſalia per intellectum ſeparari à ſingularibus, intelligitur prior abſtractionis ſeparatio.

SECT. 5.

An Vniuerſalia ſint corporea an incorporea?

Vt omittamus varias acceptiones corporei & incorporei, notandum quod per *corporeum*, id quod eſt quantum & extenſum, per *incorporeum*, id quod eſt immateriale & indiuiſum intelligitur.

Quæſtio itaque reſolvenda eſt ad hunc ſenſum: (ſc:) quod univerſalia *per ſe*, nec ſunt corporea nec incorporea (ſi per *corporeum*, extenſio, per incorporeum *priuatio* extenſionis intelligatur,) ſed per *participationem* & ratione ſingularium; ea enim vniuerſalia quorum ſingularia ſunt corporea, & ipſa ſunt corporea; ut, homo, brutum; &c. quorum etiam ſingularia ſunt incorporea (ut, Angelus, anima;) ea itidem ſunt incorporea: nec digna eſt quæſtio, altiori indagatione.

SECT. 6.

An Speculatio (Vniverſalis) ad Logicam ſolum ſpectet.

Vniuerſale ſumitur bifariam, ſc.
1° *Abſolutè*, pro ipſa re quæ eſt vniuerſalis ſine reſpectu ad intentionem; ſic ſpectat ad *Metaphyſicam*.
2° *Comparatè*, pro re ipſâ, quatenus ſuſcipit rationem & intentionem vniuerſalis & ſic à *Logico* ſolùm conſideratur.

SECT. 7.

An Vniuerſale ſit ſubiectum huius libri?

Vniuerſale conſideratur ſub triplici ratione, ſcil.
1° *Prædicationis*, quatenus habet rationem *prædicabilis*: & ſic eſt peculiare ſubiectum huius libri.
2 *Ordinationis* in ſerie prædicamenti, quatenus ſecundum prædicationem & ſubjectionem collocatur cum alijs in eadem ſerie: & ſpectat ad librum prædicamentorum.
3° *Illationis*, prout habet rationem *partis* & *termini* in argumentatione, vel inferentis, vel illati, & ſic ad libros Topicorum pertinet.

SECT.

SECT. 8.

De Titulo huius libri.

Librorũ duo ſolent eſſe veſtibula
- 1° *Titulus*, qui quaſi proœmium curtum eſt.
- 2° *Proœmium*, quod eſt quaſi titulus fuſus & explicatus.

In Titulo hujus libri duo conſiderantur
- 1 *Author.*
- 2 *Forma.*

Author explicatur duobus modis, per
- *Perſonam*, quæ *Porphyrius.*
- *Genus*, quod fuit *Phœnicia.*

Forma traditur per introductionem, eſt enim introductio, *compendioſa & facilis inſtitutio ad artem aliquam perdiſcendam.*

SECT. 9.

De *reſolutione Proœmii.*

In hoc Proœmio quatuor explicantur (ut cauſæ) hujus libri, cauſa ſc.

1° *Efficiens*, quæ duplex erat
- *Præcipua*, & tanquam author hujus libri & ſic *Porphyrius.*
- *Minus præcipua*, & tanquam impulſor ad ſcribendum; & ſic *Chryſaorius* hujus libri efficiens cauſa fuit.

2° *Materialis*, quæ ſunt quinq; vniverſalia ſcil.
1 Genus,
2 Species,
3 Differentia,
4 Proprium,
5 Accidens.

3° *Finalis*, ſeu vſus qui eſt quadruplex, ſcil. cognitio
1° Prædicamentorum,
2° Definitionis,
3° Diviſionis,
4° Demonſtrationis, quia hæc vniuerſa conficiuntur ex vniuerſalibus (vt ſtatim dicemus.)

4° *Formalis*, quæ eſt introductio, in quâ tria obſervantur, nempe
1° *Facilitas*, ne avertat,
2. *Brevitas*, ne fatiget,
3° *Methodus*, & *ordo*, ne confundat, auditores.

SECT.

SECT. 10.

De Divisione libri pro ratione materiæ.

Vniversalia dupliciter à *Porphyrio* tractantur, tum
- *Absolutè* & separatim, quantum ad earum naturas.
- *Respectivè*, & conjunctim, quantum ad proprietates.

In priore tractatu, qui continet quinque capita prima, explicatur quid sit eorum vnumquodq; *per se & absolutè*; in posteriore, qui continet communitates & differentias, explicatur quid sit eorum vnumquodque *respectu alterius*, per mutuam ad se invicem comparationem,

SECT. 11.

De Numero Vniversalium & quomodo iste numerus colligatur?

Quod autem nec sint plura nec pauciora quam quinque Vniversalia, inde colligitur, quia omne quod prædicatur, aut de vno solo prædicatur, & sic inviduum: aut de pluribus, & sic vniuersale; hoc autem prædicatur aut in (quid,) aut in (quale quid;) in quid, vel de pluribus *specie* differentibus, ut genus; vel de pluribus differentibus *numero*, ut species; In (quale quid) item, vel *essentiali*, vt differentia; vel *accidentali*, idque vel *convertibiliter*, vt proprium; vel non *convertibiliter*, vt accidens,

SECT. 12.

De sensu istius quæstionis, An sint quinq; solum Vniversalia?

Vt intelligatur hujus quæstionis status, notandum est (quod supra diximus Sectione sextâ) Vniuersalia considerari,

vel
1. *Absolutè* sine relatione ad intentiones.
2. *Respectivè* in ordine ad ipsas intentiones: priori modo multo sunt plures res Vniversales; posteriori modo sunt quinq; solum, quia sunt quinq; solum voces aut intentiones Vniversales.

Quocirca si de rebus loquamur prout res sunt, & respiciamus earum naturam & differentiam, multo plura sunt Vniversalia; at si de

ijs

ijs loquamur, non quatenus res, sed quatenus Vniversalia, & prout hisce intentionibus indicantur, sic quinq; distincta specie censeri possunt, v:g: (faciemus enim dilucidius exemplo) homo & equus quæ sunt Vniversalia, realitèr distinguuntur quatenus *res* sunt, non autem specie differunt quatenus *Vniuersalia*; cum ambo comprehendantur sub intentione speciei: sic substantia, & qualitas, secundum realem naturam *essentialiter* differunt, at secundum naturam intentionalem, quatenus sunt Vniversalia, in eadem ratione generis conveniunt. Non ergo quæritur, An res Vniversales sunt quinq; solum, sed an sint solum quinq; voces aut intentiones Vniversales, sub quibus omnisariam res Vniversales continentur?

SECT. 13.

In qua argumenta in hanc quæstionem, & eorum resolutiones continentur.

Ob. Ens est Vniversale, quia de multis prædicatur, sed nec genus, vt *Aristoteles* dicit, 4. Topicorum: cap. vltimo, textu 2. & 3. Metaphysi: cap. 2. textu 10. nec species, quia nulla species de omnibus prædicatur: nec differentia, quia vnam rem non distinguit, neq; aliquod reliquorum, (vt patet) ergo.

Sol. Ens prædicatur, sed vt æquivocum, (vt docet *Porphyrius* cap. de specie;) non autem omne quod prædicatur de multis est Vniversale, sed illud quod *univocè* prædicatur (vt supra Sect. 1.) id est secundum idem nomen & eandem nominis rationem; Ens ergo prædicatur secundum nomen non secundum nominis rationem.

Ob. Ratio entis est (id quod est,) ens autem secundum hanc rationem prædicatur de omnibus; qui omnia sunt id quod sunt: ergo prædicatur secundum eandem rationem & consequentèr *univocè*.

Sol. Ratio duplex est, vel
1 *Nominis*, quæ, sc. nominis rationem interpretatur, & talis est ea ratio entis (id quod est.)
2 *Naturæ*; quæ rei essentiam explicat; & talem rationem ens non habet, nec vllam realem naturam, hæc autem requiritur, vt quid *univoce* prædicetur: altera non sufficit.

Ob: Sunt decem summa genera; at omne genus est prædicabile: ergo sunt decem prædicabilia.

Sol: In summis generibus duo respiciuntur { *Essentia*, & sic summa decem genera differunt; *Vniversalitas*, & sic conveniunt, & continentur sub vnâ generis definitione.

Ob: Ea non sunt specie diversa quorum vnum prædicatur de altero; at genus prædicatur de specie: definitur enim species esse id, de quo genus prædicatur, in capite de specie t: 21: ergo.

Sol. Constituitur genus & species vel quoad { 1 *Res vocibus* generis & speciei *designatas*: sic genus de specie prædicatur, vt animal de homine. 2 *Ipsas intentiones* & voces, & sic non prædicatur de specie; non enim dicimus quod species est genus. & sic sumitur in proposito.

Ob: Definitio est prædicabile, quia est prædicatum: 1. Topic: cap: 4. tex. 2. valet enim affirmatiuè argumentum ab actu ad potentiam: at prædicatum prædicandi actum, prædicabile potentiam designat; ergo plura sunt.

Sol. Eodem modo quo dicitur prædicatum, est etiam prædicabile, (i:) *complexum* non *simplex* & *incomplexum*, quod hìc intelligitur.

Ob: Vniversale quod in ista quinque dividitur est vniuersale, (nam nihil potest negari de seipso,) at non est aliquod istorum quinque; nam si sit genus horum quinque, tum genus speciei subiicitur, nam genus respectu Vniversalis species est.

Sol: Vniversale genus est, & genus est Vniversale; nec hoc inconveniens est; Vniversale enim continetur sub genere ex parte *nominis*, genus continetur sub Vniversali ex parte *naturæ*.

Ob: Eodem modo quo genus & species differunt, differunt generica & specifica differentia; Nam sicut genus prædicatur de pluribus differentibus specie in(quid;)species de pluribus differentibus numero in(quid;) sic generica differentia prædicatur de pluribus differentibus specie in (quale quid,) specifica, de pluribus differentibus numero in (quale quid,) ergo si ea sint distincta prædicabilia, et hæc erunt, et consequenter sex.

Sol: Duo spectantur in prædicabilibus, vt in genere & specie;

vel { 1 *Quantitas prædicandi*, quæ sumitur ex multitudine, vel Vniversalitate subiectorum de quibus prædicantur.

vel { 2 *Qualitas prædicandi*, & hæc est, vel { 1 *Materialis*, scil. prædicari in *quid*, vel in *quale*. 2 *Formalis*, sc. prædicari vel completè, vel incompletè.

Quamvis igitur generica & specifica differentia conveniunt, vt genus

genus & ſpecies quoad *quantitatem* prædicandi, & *materialem qualitatem*, quia ambæ prædicantur in (quale quid) vt genus & ſpecies in, (quid:) differunt tamē in *qualitate formali*, quia ſpecies prædicatur de individuis *completè*, cum totam eorum eſſentiam contineat; genus *incompletè* de pluribus ſpeciebus, quia eſt pars ſolum eſſentiæ: at generica & ſpecifica differentia eundem formalem prædicandi modum habent; ambæ enim *incompletè*, & vt partes eſſentiæ tantum prædicantur.

Ob: Individuum eſt Vniverſale, quia prædicatur de multis, vt de *Socrate* & *Platone*, & quovis homine ſingulari: ergo ſunt plura quam quinque.

Sol. Individuum ſumitur dupliciter, vel
- 1° *Materialiter*, pro re ipſâ, quæ eſt individua, vt pro *Socrate*: & ſic eſt ſingulare, & de vno ſolo prædicatur.
- 1 *Formaliter*, pro intentione & voce ipſâ, & ita de omnibus realibus individuis prædicatur.

Ob: Quantitas eſt accidens, quia non eſt ſubſtantia, & eſt etiam genus, quia eſt vnum ex ſummis generibus, ergo accidens & genus confunduntur, & (per conſequens) non ſunt quinque diſtincta Vniverſalia.

Sol. Quantitas conſideratur dupliciter, vel reſpectu
- 1 *Subiecti inhæſionis*, ſc. ſubſtantiæ, & ſic eſt *accidens*.
- 2 *Subiecti prædicationis*, ſcil. ſpecierum ſuarum ac inferiorum in eodem prædicamento, & ſic eſt *genus*: ideò licet aliquando confundantur quoad *materiam*, & *ſubiectum*, quatenus eadem res poteſt eſſe & genus & accidens; diſcernuntur tamen quoad *rationem*, & *formam*, quia alia eſt ratio cur dicatur genus, alia cur dicatur accidens.

Sol: Quatuor ſolum ſunt prædicata, vt affirmat *Ariſtoteles*, 1. Topic: cap. 4. tex. 2. at idem ſunt quoad rem, prædicatum, & prædicabile, (cum reſpectu ſolum diſcernantur) quatenus alterum actum, alterum potentiam denotat, ergo ſunt ſolum quatuor prædicabilia.

Sol: Prædicabilia conſiderantur

duplicitèr, vel quatenus
- 1 *Prædicabilia*, & ſic quinque ſunt, ſicut quinque ſunt diſtincti prædicandi modi.
- 2 *Principia & loci argumentationis*, & ſic ſunt ſolum tria diſtincta, nam ſpecies ad genus, & differentia ad proprium poteſt reduci, quia ſimilem habent argumentandi

tandi rationem, alitèr ideo de illis loquitur *Aristoteles*, quam *Porphyrius*.

Ob. Sunt quatuor & non plura: ergo non suntquinq;. probatur antecedens, sunt quatuor & vnum, at vnum non est plus quatuor, ergo sunt quatuor & non plura quàm quatuor.

Sol: Negatur argumentum; Sophisma enim est á *divisione* eorum quæ debent coniungi; licet enim *vnum per se*, non sit plura quam quatuor, tamen *vnum et quatuor* sunt plura; ergo admittitur fallacia divisionis.

SECT. 14.

An Vniuersale sit verum genus respectu horum quinq;, an Analogum?

Vniversalia spectantur duobus modis, vel quoad

1. *Materiam*, & *rem significatam*, & sic vnum eorum est *prius* altero: vt, genus specie, species accidente; & in hoc sensu est analogum.

2 *Formam* & *intentionem*: sic autem istæ intentiones omnes *simul* sunt, & Vniversale est eorum genus; Cum itaque priori modo concedamus Vniversale esse analogum respectu horum quinque,

duo sunt observanda, 1° Quid sit *Analogum*, 2° Quam multiplex sit *Analogum*,

Vt intelligamus in quo sensu Vniversale sit *Analogum*. *Analogum est id quod prædicatur de suis speciebus secundum prius & posterius:*

Est autem *Analogum* sicut (triplex) analogia.

1 *Quoad ordinem*, solum, quando ex subjectis vnum est prius; alterum posterius: hoc modo concedimus Vniversale esse *analogum*, quia genus est prius specie si pro rebus sumatur.

2 *Quoad perfectionem* solum, quando ex subjectis vnum est perfectius altero, & sic etiam Vniversale est *analogum*: Cum genus & species (quæ prædicantur in quid) perfectiora sunt cæteris, quæ in (quale) prædicantur.

3 *Quoad significationem*, quando inter subiecta est non solum ordo prioris, & posterioris, sed & æquivocatio, sc. diversitas significationis: cum in aliquâ vnâ definitione

definitione prædicati non conveniunt, & hæc tollit rationem generis, non priores; at ſic Vniverſale non eſt *Analogum*, quia in ejus definitione omnia Vniverſalia conveniunt.

SECT. 15.

Dubitationes propoſitæ quædam, & ſolutæ.

Ob. Omnes ſpecies eiuſdem generis ſunt ſimul naturâ, vt aſſerit *Ariſtoteles* cap: de modis ſimul, text. 3. at genus non eſt ſimul cum ſpecie, cũ ſit cauſa eius & principiũ, (vt ait *Porphyrius* cap: de genere text. 6.) ergo Vniverſale non eſt genus eorum, ſed analogum.

Sol. Genus & ſpecies ſumuntur dupliciter, vel
1 *Abſolutè*, pro rebus ſubiectis, & ſic genus eſt prius ſpecie, & Vniverſale dicitur analogum.
2 *Comparatè*, pro ipſis intentionibus, & ſic ſunt ſimul, ac eo reſpectu Vniverſale eſt genus.

Vel dicendum iſta quinq; comparari dupliciter,

vel reſpectu
1 *Generis ſui*, ſc. Vniverſalis, & ſic ſimul ſunt, quoniam ſimul & æque generis rationem participant.
2 *Sui ad ſe invicem*, ſine reſpectu ad Vniverſale, & ſic habent inter ſe ordinem prioris & poſterioris.

Ob. Nullum genus de ſuis ſpeciebus prædicatur ſecundum magis & minus, vt ait *Porphyrius* capite de collatione generis & proprij text. 2. ſed Vniverſale dicitur de iſtis ſecundum magis & minus; nam genus eſt magis Vniverſale cæteris, cum de pluribus prædicetur quam cætera; ergo non eſt genus.

Sol Magis Vniverſale bifariam ſumitur, vel
1 *Extenſivè*, quoad *quantitatem*, quæ conſiſtit in multitudine ſubjectorum, ſic genus eſt magis Vniverſale quam cætera.
2 *Intenſivè*, quoad *eſſentiam* Vniverſalis, quæ conſiſtit in aptitudine de multis prædicandi, & ſic vnum non eſt magis Vniverſale altero, quia ex æquo definitionem Vniverſalis ſuſcipiunt. Aliud enim eſt *æque prædicari de multis*, aliud, *de æque multis*: prius omnibus Vniverſalibus convenit, poſterius non convenit omnibus.

SECT. 16.

De vsu cognitionis Vniuersalium, An eorum cognitio conducat ad quatuor?

Conducit cognitio prædicabilium ad quatuor secundum *Porphyrium* cap. 1. sc. definitionem, divisionem, demonstrationem, & prædicamenta.

- Definitio est duplex, vel
  - *Essentialis*, quæ rerum essentias explicat, & hæc constat ex genere & differentiâ quia genus & differentia sunt eius essentiales partes.
  - *Accidentalis*, seu *descriptiua* quæ rerum proprietates & affectiones explanat: & hæc ex genere & proprió constat, vel genere & accidentium cumulo.
- Divisio item est duplex, vel
  - *Per se & perfecta*, quæ est distributio generis in suas species per differentias, vt animal dividitur in hominem & brutum per differentias, rationale & irrationale.
  - *Per accidens & imperfecta*, quę iterum est triplex
    - 1° *Subiecti in accidentia*, vt cum elementum dividitur in calidum, frigidum, humidum & siccum.
    - 2° *Accidentis in subiecta*, vt feritas dividitur in feritatem hominis, leonis, & tygridis.
    - 3° *Accidentis in accidentia*, vt aliud album est dulce, aliud amarum.

Demonstratio etiam est *Syllogismus, cuius minor terminus est species, maior terminus est proprium, medius terminus est definitio, per quam proprium demonstratur de specie.*

Prædicamenta nihil aliud sunt, quam *series generum, specierum & individuorum similis naturæ, in vnum ordinem reductorum.*

Ex quibus apparet cognitionem vniversalium esse necessariam ad hæc quatuor, quia hæc omnia constant ex Vniversalibus ideoq; sine ijs cognosci non possunt.

SECT.

SECT. 17.

In quo ſenſu horum cognitio dicitur ad hæc quatuor eſſe neceſſaria?

Aliquod dicitur neceſſarium duplicitèr, vel

1 *Abſolutè*, & *quoad eſſe*, quod neceſſariò exiſtit, ſicut *Deus* dicitur eſſe neceſſariò, quia non poteſt non eſſe.

2 *Reſpectivè*, quoad *vſum* & *finem:* idque vel *ſimpliciter*, ſic illud eſt (neceſſarium) ſine quo finis penitus acquiri non poteſt: vel *ſecundum quid* neceſſarium, & vt aiunt, ad *bene eſſe*, ſic neceſſarium dicitur quod vtile eſt, & ſine quo commodè acquiri non poteſt.

Cum itaq; dicimus *cognitionem Vniuerſalium eſſe neceſſariam* ad hæc quatuor, non intelligitur vt ſit *utilis* ſolum, & ad facilitatem cõparata, (vt quidam imperiti ſentiunt:) ſed *ſimpliciter* ad hunc ſenſum, vt ſit impoſſibile iſtorum cognitionem acquirere, niſi his cognitis.

Notandum vero quod omnium iſtorum cognitio, ad hæc quatuor non eſt eodem modo neceſſaria.

Nam alia neceſſaria ſunt

1° *Directè*, quæ ideo cognoſcuntur, vt adhibeantur & includantur, vt genus & differentia, ad *definitionem*, ſpecies & proprium, ad *demonſtrationem*.

2° *Obliquè*, quæ ideo cognoſcuntur, vt excludantur & evitentur, (quia malum niſi cognitum non evitatur:) & ſic neceſſaria eſt accidentis cognitio ad *eſſentialem definitionem*, & *demonſtrationem*, & cognitio proprij ad *prædicamenta*.

Quocirca aliter intelligitur hæc quæſtio, ſi de ipſis vniuerſalibus, proponatur; aliter ſi de eorum cognitione. Nam ſi de Vniverſalibus, tum hic eſt ſenſus, quod omnia hæc Vniverſalia ſunt neceſſaria ad iſta quatuor, non *coniunctim* ſed *ſeparatim*, ſcil. quædam eorum ad vnum, quædam ad alterum, vt genus & differentia ad *definitionem*; genus, differentia, & ſpecies ad *diviſionem* & *prædicamenta*; genus, ſpecies, differentia & proprium, ad *demonſtrationem*; at non omnia ſimul ad vnumquodvis. Verùm, ſi non de Vniverſalibus, ſed de eorum cognitione proponatur, tum ita intelligitur, vt cognitio omnium coniunctè acceptorum, ſit neceſſaria ad eõrum vnumquodvis, in hunc ſenſum; vt nullum ſit Vniverſale, cuius cognitio non eſt neceſſaria vel *directè* vel *obliquè*, eo modo quo explicatur, ad horum vnumquodvis perficiendum.

Notan-

Notandum autem quod cum dicimus, Vniverſalium cognitionem eſſe neceſſariam ad cognitionem iſtorum quatuor, non intelligimus vt neceſſaria ſit *ſimpliciter*, ad eorum cognitionem, quæ ad *eſſentiam* ſpectat, quaſi non cognoſcere valeamus quid ſit eorum aliquod, niſi hæc omnia priùs diſcamus, ſed neceſſariam eſſe eâ cognitione intelligo, quæ ad fabricationem & formationem ſpectat; ita vt non poſſimus cognoſcere, quomodo hæc formanda & fabricanda ſunt, niſi præcognitis iſtis. Nam (verbi gratiâ) licet de definitione ſatis perfectè cognoſcam quoad *eſſentiam*, cum novero *eſſe orationem ex genere & differentia conflatam*: non tamen poſſum accuratè rerum definitiones effingere, niſi cognoſcam generis & differentiæ ab accidentibus diſcrimen; quod ſine accidentis cognitione haberi non poteſt, ne illud in definitione pro genere & differentiâ includam.

SECT. 18.

In qua dubitationes huius quæſtionis, & explicationes proponuntur.

Ob. Nihil eſt neceſſarium ad eius cognitionem, quod eſt per ſe notum, at prædicamẽta ſunt per ſe nota; nã ſunt principia; vt *Porphyrius* cap. de ſpecie text 32. at principia ſunt per ſe nota: 1. Topic. cap. 1. text. 6. ergo prædicamenta ſunt per ſe nota, & conſequenter non alijs opus eſt, ad eorum cognitionem.

Principia ſunt duplicia, vel
1 *Conſtitutionis*, & quoad *eſſentiam*, & talia ſunt prædicamenta (i) ſumma rerum genera; quæ licet per ſe ſint nota quoad *naturam*, quoad *nos* non ſunt.
2 *Demonſtrationis* & quoad *ſcientiam*, & talia ſunt notiſſimæ primæq; propoſitiones alicuius ſcientiæ: & hæc principia ſunt quoad nos per ſe nota; loquitur ibi *Ariſtoteles* de principijs *complexis* non *incomplexis*, vt de principijs *cognitionis*, non *naturæ*.

Ob. Si horum cognitio ſit neceſſaria ad demonſtrationem tum oportet hæc eſſe præcognita demonſtrationi; docet vero *Ariſtoteles* lib. 1. poſter: analyt: cap. 1. text. 4. tria ſolum eſſe præcognita, ſcil. *principium*, *ſubiectum*, & *paſſionem*, ergo hæc quinque non debent præcognoſci.

Sol.

Sol. Præcognita demonſtrationis duplicia ſunt vel;
1. *Immediata*, quæ oportet præcognoſci, vt demonſtrationis *cauſas*, & ſic iſta tria ſunt ſolum præcognita.
2. *Mediata*, quæ oportet præcognoſci, vt demonſtrationis *rudimenta*, & ſic hæc oportet eſſe præcognita.

Obi. Vniverſam artem dialecticam, ad tria ſolum ponit eſſe utilem, *Ariſtoteles* 1. Topic. cap. 2. Text. 2. ſed pars Logicæ non eſt vtilis ad plura, quam tota, ergo hæc pars dialecticæ non eſt utilis ad quatuor.

Sol. *Ariſtoteles* ibi per (Dialecticam) non vniverſam Logicam, ſc. totam diſputandi artem intelligit, ſed *topicam* ſolum partem, & quæ probabiles fabricat ſyllogiſmos. Cùm ideò horum cognitio, non ſolùm ad *topicam* Logicæ partem, ſc. *dialecticam*, ſed etiam *apodicticam* ejus partem ſit neceſſaria; ad plura conducere poteſt quam *dialectica*. vel dicendum quod,

Dialectica bifariam conſideratur, velvt eſt
1. *Inſtrumentum* cæterarum ſcientiarum, & quantum ad externos fines ipſius artis.
2. *Scientia*, & in ſeipſa conſideratur, *Dialectica* primo modo conſiderata (ut inſtrumentum) ad ea refertur quæ ſunt extra artem; ſecundo modo ad ea tantum quæ ſunt in ipſâ dialectica; Nam *externus* Dialecticæ finis eſt aliarum artium cognitio; *Internus* autem eſt perfecta cognitio ſolius *Dialecticæ*.

Quocirca *Ariſtoteles* 1. Topic. de finibus *extra artem*; *Porph.* hoc in loco, de finibus *intra artem* eſt intelligendus, ille de finibus *vtendi* dialecticâ, hic de finibus *diſcendi & cognoſcendi dialecticam*, loquitur.

Obi. Topicæ argumentationes non minùs conficiuntur ex vniverſalibus, quam demonſtrationes; ergo ad eas etiam conducunt vniverſalia, proinde ad plura quam quatuor quæ numerantur.

Sol. Conducunt quidem ad omnes ſyllogiſmos; demonſtratio autem nominatur, quia eſt ſyllogiſmorum abſolutiſsimus, cæteræ autem vniverſæ argumentationes per modum inductionis intelliguntur.

SECT. 9.

An hæc pars Logicæ de prædicabilibus contineatur ſub inventione an iudicio?

Notandum quod vniverſum *organon* in tres partes dividitur, ſc. in

1° *Inventionem*, quæ locos continet, & præcepta, *inveniendi* argumenta.

2° *Iudicium*, quod regulas comprehendit *iudicandi* de argumentis inventis.

3° *Elementa* inventionis & judicij, quæ exhibentur in tribus primis *organi* libris; de prædicabilibus, de prædicamentis de interpretatione.

In hac enim, materia *proxima* quæ conſiſtit in *propoſitionibus*, in illis materia *remota*, quæ conſiſtit in *terminis ſimplicibus* pro argumentis præparatur; verum ideo eſt quod partes *conſummatæ* dialecticæ ſunt aut inventio aut judicium; hæc autem pars quæ *inchoata* eſt (ſolùm prima dialecticæ rudimenta) *formaliter*, ſub neutra continetur; *finaliter*, ad vtramque partem ordinatur.

Hactenus de Vniverſalibus generatim: ſequitur Tractatus de Genere.

TRAC-

TRACTATVS SECVNDVS
De Genere.

SECT. 1.
In quâ ſumma eorum traditur, quæ à Porphyrio dicuntur in capite de Genere.

Dividitur hoc caput in duas partes, quarum altera reſpicit generis
- *Significationem* in communi, & cõſiſtit in earum ſignificationum.
  - 1 *Enumeratione* & ſunt 3, vel enim ſumitur nomen generis pro
    - 1 *Familiâ* & *multitudine* hominum ab uno patre ortum ducente.
    - 2 *Ipſo principio* talis multitudinis.
    - 3 *Genere Logico*, cui ſpecies ſubjicitur.
  - 2 *Comparatione* ſc. generis primo & ſecundo modo accepti, cum genere Logico.
- *Definitionem*, vbi
  - 1 Proponit definitionem; *genus eſt id quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quæſtione quid eſt.*
  - 2 Oſtendit ex partibus definitionis, differentiam generis à cæteris vniverſalibus.

SECT. 2.
De ordine tractationis generis, & quare in primo loco conſideratur.

Duplex eſt ordo in rebus tractandis (ſc.) vel
- 1° *Naturæ*; ordine autem naturæ, id prius eſt tractandum, quod re ipſâ & quoad *conſtitutionem* prius eſt.
- 2° *Doctrinæ*, ordine verò doctrinæ id prius tractandum, quod reſpectu noſtri & quoad noſtram *cognitionem*

prius est, id est, quod prius incurrit in cognitionem nostram, & quod nos ducit in aliarum rerum cognitionem.

Genus autem primo loco tractatur ratione utriusque ordinis, & *naturæ*, quia prius est, cùm sit causa & principium cæterorum: & *disciplinæ*, cum nobis notius sit, & via cognoscendi cætera, nobis autem est notius, quia communius est, atq; latius se extendit & diffundit, tale autem nobis est notius, quam quod magis angustum est, ut *Aristoteles* asserit; 1. Physico: textu 4.

Obi. Genus & species sunt relata. ut *Porphyrius* asserit cap. de specie; text. 2. sed relativa sunt simul naturâ; asserente *Aristotele* in Capite de relatis, textu 17, ergo genus non est prius naturâ quam species.

Sol. Genus & species considerantur dupliciter quoad

1. *Materiam*, id est, quoad rem substratam, vt pro rebus, sc. sumuntur, quæ nomina generis et speciei suscipiunt, et sic genus est *prius naturâ* quam species.

2. *Formam*, id est, quoad ipsas intentiones, seu voces generis et speciei, et sic quidem relata sunt, et mutuum includunt ad se invicem *respectum, simulque sunt naturâ.*

Obi. Ea sunt nobis notiora quæ sunt magis familiaria sensui, vt *Aristoteles* affirmat lib. 1. posteriorum analit. Cap. 2. text. 11. sed singularia sunt nostro sensui magis familiaria; ut ipse asserit eodem textu; ergo genus non est nobis notius, et per consequens non preponitur cæteris ordine doctrinæ.

Sol. Cognitio nostra est duplex:

1. *Sensitiva*, et sic singulare notius est quam vniversale.

2. *Intellectiva*, et sic vniuersale est nobis notius, et inter vniversalia id quod est magis commune.

SECT. 3.

In quâ explicantur acceptiones generis.

Distribuitur genus in genus.

1. *Civile*, quod sumitur dupliciter.

1. *Completè*, pro multitudine hominum ab uno parente descendentium, et affinitate inter se conjunctorum, ut *Romani*, *Romuli* genus appellantur, quia prognati sunt à *Romulo*, atq; includit triplicem relationem:

1. *Æquiparantiæ*, per cognationem ad se invicem.
2. *Suppositionis*, per propagationem ab uno parente.
3. *Distinctionis*, ab alijs familijs, ut *Romani* eò quod *Romuli* genus dicuntur, distinguuntur à cęteris gentibus.

2. *Incomplete* pro ipso principio, unde hujusmodi multitudo oritur, estq; duplex

vel
1. *Procreans*, ut pater, sicut *Romulus Romanorum* dicitur *principium*, quia *Romani* ab ipso originem traducunt.
2. *Conservans*, sicut patria in quâ generantur, ut *Roma Romanis*.

2. *Logicum*, cui species subjicitur: de quo infra.

SECT. 4.

De comparatione ipsarum acceptionum generis ad se invicem.

Comparat *Porphyrius* dictas generis acceptiones, duplicitèr:

1. Quoad *ordinem*; et sic comparat genus primo modo, ad genus secundo modo dictum, quod genus secundo modo dictum, sit prius naturâ, (cùm sit alterius principium) eo cujus est genus.
2. Quoad *convenientiam*, et sic confert utramq; significationem generis ad genus (tertio modo) dictum.

Convenit enim genus Logicum, cum genere (primo modo) dicto, quatenus sub se multa subjecta cõprehendit, sicut ista progenies multos homines. Cum genere (secundo modo) accepto, quia ipsum est principium ipsarum specierum, sicut pater suorum filiorum; licet in modo sit differentia, quia pater est principium *externum* & *efficiens*; genus *internum* & *constituens*.

Ob. *Aristoteles* 5. *Metaphys.* text. 33; quatuor numerat generis significationes: ergo cùm *Porphyrius* tres solum recensuit, aut *Aristoteles* superfluè, aut *Porphyrius* diminutè numerat.

Sol. Quamvis *Porphyrius* insufficienter numeravit significationes generis, quantum ad eorum *numerum absolutum*, sufficienter tamen quantum ad *scopum* & *propositum*; quia nec propositum ei erat, nec oportet omnia ejus significata recensere; sed ea quæ habent similitudinem cum genere *dialectico*, ex quibus natura generis *Logici* potuit melius innotescere.

Ob. Si genus habet multas significationes est æquivocum, & per consequens non est vniversale; omne enim vniversale est vnivocum.

Sol. Genus quoad illas tres acceptiones est *æquivocum*, & sic non est vniversale; at genus tertio modo dictum, sc. *dialecticum*, est vniversale, & sic in præsenti tractandum est.

SECT. 5.

De duplici definitione generis, & inprimis de primâ eius explicatione.

Duæ definitiones generis à *Porphyrio* proponuntur, quarum prior respicit *habitudinem* generis ad species, quantum ad *posituram* & collocationis ordinem; posterior, generis habitudinem, quantum ad *extensionem* ad species & prædicandi *modum*.

Prior definitio hæc est: *Genus est cui subiicitur species*: ad quam definitionem intelligendam, est animadvertendum, quod

Aliquid

Aliquid ſubijcitur generi bifariam, vel

1. *Directè*; id nimirum, in quod propriè & *directè* cadunt nomen & natura generis; ſicut homo *directè* ſubijcitur animali, quod in ipſum nomen & natura animalis cadat.

2. *Lateralitèr*, id nimirum quod non in rectâ lineâ ſub genere collocatur; ſed quod ad latus infra genus ponitur, contrahens poteſtatem generis, non ad ſeipſum, ſed ad ſpeciem, ſicut rationale animali ſubijcitur. Primus modus ſubjectionis, reſpectu generis convenit *ſpeciei*, poſterior *differentiæ*,

Deinde obſervandum quod inter ea quæ ſubjiciuntur generi *directè*;

alia

1 *Proximè* ſubjiciuntur, de quibus *proximè* & *immediatè* prædicatur:

2 *Remotè*, de quibus genus prædicatur, mediante aliquo ſubjecto.

Priori modo *ſpecies* ſubijciuntur generi; poſteriori *ipſa Subiecta* ſpecierum generi ſubjiciuntur, ſc. individua: v. g. animal prędicatur *immediatè* de homine, (quia nihil interponitur inter hominem & animal,) prædicatur *mediatè* de *Socrate*, *Platone*, & ſingulis hominibus, quia inter eos & animal intercedit homo; quo mediante, animal de ijs prædicatur.

(Genus) itaque Logicum (eſt) illud vniverſale (cui ſpecies *directè* ſubijcitur) & *immediatè*. (*directè* ad excludendum differentias,) Quæ quidem generi ſubjiciuntur, at non in rectâ lineâ, ſed quaſi à latere, (*immediatè*) ad excludendum individua; quæ quidem *directè* ſubjiciuntur generi, at non *immediatè*; ſed intercedente ſpecie.

SECT. 6.

De ſecundâ definitione generis, ac eius expoſitione, ac primum de definito. An res ſit, vel intentio, quæ hic definitur.

Poſterior generis definitio eſt. *Genus eſt quod prædicatur de pluribus, differen-*

differentibus specie, in quid. In quâ definitione obſervandæ ſunt *definitum* et *definitionis partes.*

De *definito* autem notandū quod duplex eſt *definitum* in hac definitione

1. *Materiale*, id nempe quod definitur, et ſic genus *reale* hic definitum eſt, id eſt, ea res quæ eſt genus; ut animal, Planta, &c.

2. *Formale*, id nempe per quod, et cuius ratione definitur, et ſic genus *intentionale*, ſc. ea vox generis eſt definitum; animal ergo planta, color, et cætera genera realia hic definiantur, ſed non quatenus animal, planta, color, ſed quatenus genera.

Quocirca hæc definitio convenit animali, et cæteris rerum generibus *materialiter*; intentioni verò generis *formaliter*. vnde non per ſe, quatenus *res ſunt*, hic definiuntur; ſed quatenus *ſubſternuntur intentioni* generis. et enim hæc definitio non convenit animali in eo quod eſt *animal*, ſed in eo quod eſt *genus*.

De ipſâ autem *definitione*, notandum, quod ex *genere* conſtat et *differentiâ*; de *genere* autem ut ipſum intelligatur, animadvertendum eſt diſcrimen, inter *vniverſale*, et *prædicabile*, iſtæ enim duæ voces idem ſignificant quantum ad *obiectum* ſignificationis, quia eandem rem ſignificant; (Omne enim *vniverſale* eſt *prædicabile*, et è converſo) ſed differunt quantum ad *modum* ſignificandi: *vniverſale* ſignificat naturam communem quatenus eſt in multis. *Prædicabile*, eandem naturam quatenus prædicatur de multis; ſic homo ex communitate ineſſendi multis, *vniverſale* dicitur; ex communitate prædicandi de multis dicitur *prædicabile*.

Genus autem definitionis potius *vniverſale* eſt quam *prædicabile*, et inſinuatur in Relativo *Quod*. Genus eſt quod, ſcilicet vniverſale quod prædicatur, etc. Nam ſi eſſet *prædicabile* definitionis genus, manifeſta apparet, πλεονολογία, ſcilicet inanis repetitio, cùm *prædicabile* ſit nihil aliud, quam quod poteſt prædicari.

Differentiæ in hâc definitione ſunt duæ:

1. Altera, ex parte *ſubiectorum* (quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie.)

2. Altera, ex parte *modi* prædicandi (in quid.)

Aliquid

Aliquid prędicatur dupliciter, vel

Actu, quod actu est prædicatum, & de altero enunciatur in propositione, vt dum enuncio hanc propositionem, homo est animal, animal *actu* prædicatur de homine.

Aptitudine, & potentiâ; quod aptum est prædicari; & hoc modo intelligitur prædicari in definitione generis: Nam *aptitudo* prædicandi, est à naturâ ipsius; *actus* à nobis est, quia nos prædicamus rem vnam de alterâ.

SECT. 7.

De duplici differentia huius definitionis & primo de explicatione primæ.

Prior *differentia* generis in hac definitione est (prædicari de pluribus differentibus specie.) Notandum autem quod (specie differre,) est *differre per aliquam essentialem differentiam, speciem constituentem, & ab aliis omnibus distinguentem*; sicut homo, specie differt, à bruto; quia per essentialem differentiam sc. per *rationale* à bruto distinguitur; sic brutum à lapide, differt specie, quia per essentialem differentiam sc. per sensibile, à lapide discernitur.

Duæ conditiones requirũtur, vt res dicantur specie differre,

1 Vt *habeant diversas essentiales differentias*; vt essentialis differentia hominis est *rationale*, bruti *irrationale est*.

2 *Vt aliquo genere conveniant*; vt homo, & brutum, in animali: albedo & nigredo in colore: Si enim in nullo genere conveniant, non præcise dicuntur *specie* differre, sed potius *genere* & *prædicamento*: vt homo & albedo.

SECT. 8.

In qua explicantur modi quibus aliquæ dicuntur eadem esse, aut differentia.

Notandum, quod (cum idem & differens sint opposita) quot modis res eædem dicuntur, tot etiam & differentes.

Eadem verò sunt trifariam,

1 *Genere*; vt, omnia quæ sub eodem genere continentur; sicut homo, equus, asinus, &c: idem sunt genere, quia quamvis inter se, proprijs suis naturis differunt, tamen in eodem genere (animali) sc. conveniunt, & sub eo continentur.

2 *Speciè*; vt, quæcunque sub eâdem vnâ Specie continentur; sicut omnes singulares homines sunt idem specie, quia licet suis singularibus naturis discrepent inter se; tamen in specie sc. in homine conveniunt, & sub eo continentur.

3 *Numero*; vt, quæ inter numerandum non differunt, sed plane absoluteque eadem sunt; vt, ensis, & gladius; *Tullius*, & *Cicero*; quæ sc. inter se eandem rem denotant.

SECT. 9.

In quâ discrimen inter differens, *&* diversum *explicatur, & modi differendi inter (diuersum esse,) &. (esse differens..)*

Obseruandum est, quod aliud est (apud *Aristotelem*) *diversum esse*; aliud *esse differens*; vt 10. Metaphysicorum: text: 12. manifestum est; *diversa* enim ea dicuntur, *quæ in nullo vnivoco prædicato conveniunt* (i.) quæ diversorum sunt prædicamentorum: *Differentia* autem ea appellantur, quæ quidem, *in aliquo genere vnivoco conveniunt, inter se invicem tamen discrepant*. v. g. homo, & color, sunt *diuersa* propriè; quia sunt in diversis prædicamentis: homo in prædicamento *substantiæ*, color in prædicamēto *Qualitatis*, & in nullo genere conveniunt: sed homo & lapis propriè *differentia* appellantur; quia cū eiusdē sunt prędicamenti, & in aliquo genere conveniunt sc. *corporis* aut *substantiæ*, inter se tamen discernuntur.

Differre autem

1 *Genere*, vt quæ in nullo genere conveniunt, & hæc ea sunt quæ (diversa) *Aristoteles* appellat; vel quæ sub diversis proximis generibus eiusdem prædicamenti ponuntur: vt, homo, & pinus; nam proximum genus hominis est *animal*; proximum vero genus pinus est *arbor*.

tem

tem res dicũtur, ſicut *eadem eſſe*, tribus modis:

2 *Specie*, vt quæ ſub diverſis ſpeciebus ponuntur infimis; vel ſunt ipſæ diverſæ ſpecies, vt *Socrates*, *Bucephalus*, quorum ille ſub ſpecie *hominis*, hic ſub ſpecie *equi* comprehenditur.

3 *Numero*, vt quæ inter enumerandum differunt. i. individua, quæ ſub eadem ſpecie continentur, vt *Socrates*, *Plato*, *Virgilius* &c. hi enim inter enumerandum differre dicuntur; quia diverſas faciunt numeri vnitates, cum ſimul vniti, ſunt tres.

Notandum quod quæcunque differunt *genere*, differunt *ſpecie*, quæcunque differunt *ſpecie* & ea etiam *numero*, major enim differentia minorem includit: & è contra; quæcunque *numero* ſunt eadem; ſunt eadem etiam *ſpecie*, quæcunque *ſpecie* eadem ſunt; ſunt eadem etiam *genere*; vt maxima differentia ſit in *genere*; & maxima convenientia in *numero*.

Notandum quod res dicuntur *ſpecie differre*, bifariam;

1 *Per ſe*, & *primario*, & ſic ipſæ ſpecies diverſæ *ſpecie differunt*, vt homo, & brutum.

2 Per *participationem* ſpecierum; & *ſecundario*, ſeu *ex conſequenti*, & ſic indiuidua quæ ſub ipſis diverſis ſpeciebus collocantur, *ſpecie diſerepant*; vt, *Lælaps* & *Socrates*; alter ſub ſpecie *hominis* eſt; alter ſub ſpecie *Canis*; ideo enim *differunt ſpecie*, quia ſub illis ponuntur, quæ *per ſe differunt ſpecie*.

Notandum quod cum genus prædicari dicitur, de pluribus *differentibus ſpecie*. i. de pluribus ſpeciebus; id intelligendum eſt de *prædicatione immediatâ*, non *mediatâ* (interjectis ſc. ſpeciebus ipſis,) prædicatur etiam de differentibus numero ſolum vt animal, licet immediatè affirmetur de homine & bruto; tamen (mediante homine) prædicatur de *Socrate*, & *Platone*, & alijs hominibus, qui ſolum differunt numero.

SECT: 10.

De ſecunda differentiâ huius quæſtionis, quæ eſt (prædicari in quid) & quibus modis aliquid prædicetur in (quid.)

Pro ſecundæ differentiæ intelligentiâ; notandum quod prædicari in (quid) illud dicitur, *quod reſpondet ad quæſtionem factam per quid*. i. ad quæſtionem quærentem, quid ſit aliquid? vt quærenti, quid ſit homo? appoſitè reſpondetur; eſt animal, corpus, ſubſtantia; Quid eſt

pinus? est arbor. &c: quid est asinus? est brutum: quid est albedo? est color.

Notandum quod aliquid prædicatur in *quid* bifariàm.

1 *Perfectè, & accurate*, quomodo id solum in *quid* prædicatur, quod totam subiecti naturam explicat; & sic solùmodò *definitio* prædicatur in *quid*: vt homo est animal rationale.

2 *Incõplete, & confuse*, quomodo id in *quid* prædicatur quod materialem solum essentiæ partem explicat, et sic *genus* in *quid*, prædicatur: vt homo est animal.

SECT. 11

De distinctione generis à cæteris vniuersalibus, per posita differentias.

Porphyrius post propositam definitionem generis, per partes ipsius definitionis, ostendit generis differentiam à cæteris.

Nam primo per *genus* (vniversale) individuum excluditur; cum vniversale de multis prædicatur; individuum de vno solo.

Deinde, per *priorem differentiam* discernitur à specie, & proprio; quæ non prædicantur de pluribus differentibus specie; sed solum de differentibns numero: vt infra docebimus.

Denique per *posteriorem differentiam* sc. per hoc quod (prædicatur in quid) à differentiâ, et accidente distinguitur; nam differentiâ non in *quid*, sed in *quale quid* dicitur; accidens simpliciter in *quale*.

Ex quibus manifestum est, et hanc definitionem propriam esse generi; et perfectam esse; cum totam generis naturam explicet; et per eam a cæteris vniversis, tum *individuo*, tum vniversalibus distinguatur.

SECT. 12.

In qua difficultates de generis definitione, obiiciuntur, & resoluuntur.

Ob: Omnis definitio debet ex ijs consistere, quæ sunt priora naturâ definito, et notiora; docente, *Aristotele*: 6: Topic: cap. 4. text: 2. sed species non est prior naturâ genere, docente *Porphyrio* in comunitatibus gcneris et speciei tex. 6. ergo species malè ponitur in definitione generis.

Sol.

Sol. Res quę definiuntur ſunt duplices, vel

Abſolutæ, quæ nullam includunt in ſuâ naturâ relationem; vt, homo, equus, calor: & de harum definitionibus *Ariſtoteles* loquitur.

Reſpectiuæ, quæ ad rem aliam habent relationem; vt pater & filius; dominus & ſervus; & hæc non per ea quæ ſunt (natura priora) ſed per ea quæ ſunt (ſimul natura) & per ſua correlativa definiuntur, vt pater eſt *qui habet filium*, filius eſt *qui habet patrem*; atque in harum numero eſt genus, cum includat relationem ad ſpeciem.

Ob. Hæc definitio omnibus generibus non convenit, & proinde eſt mala: Si enim omni generi tum ſummo, at ſummũ hic non definitur: quia quod hic definitur, ſuperius genus habet ſc. aut vniverſale aut prædicabile, quod eſt definitionis genus, at ſupra ſummum genus, nullum eſt aliud genus: vt docuit *Porphyrius* in capite de ſpecie text: 32. ergo hec definitio ſummo generi non convenit.

Sol. Summũ genus bifariam conſideratur, vel quoad

1 *Rem*, & ſic nihil *ſuperius* habet reale, vt nihil eſt: ſuperius ſubſtantiâ, vel qualitate, ſummis generibus.

2 *Intentionem*, & ſic aliquod *ſuperius* habet; nempe vniverſale: quocirca ſubſtantia, quatenus ſubſtantia eſt, nulli generi ſubjicitur, Sed ſubſtantia quatenus genus, eſt ſubjicitur vniverſali. i. *intentionali*, non *reali* generi.

Ob: Nullum vnivocum convenire poteſt ſubſtantię, & accidenti: at corpus, animal, planta (quæ ſunt ſubſtantiæ,) ſunt genera: ſcientia, figura, color, quæ ſunt accidentia, ſunt genera, ergo genus quod hic definitur non eſt vnivocum, & per conſequens non eſt vniverſale.

Sol. Vnivocũ aliud eſt

Reale, & tale nullum poteſt convenire ſubſtantijs, & accidentibus, cum in nullo reali genere conveniant.

Intentionale, & tale poteſt: atque hoc modo genus illis vnivocè convenit, cum & idem nomen, & eandem nominis rationem illis tribuat.

Ob. Illud non eſt vnivocum ſed æquivocum, quod eſt in omnibus prædicamentis; ſed genus eſt in omnibus prædicamentis, cum omnia prædicamenta definiantur, eſſe *ordinationes generum, ſpecierum, & individuorum*, ergo genus non eſt vnivocum.

Sol. Aliquid est in prædicamento bifariam, vel

Per se, sicut res ipsæ, quæ in ordine prædicamenti collocantur, sic autem impossibile est aliquod *vnivocum* in multis prædicamentis esse.

Per repræsentationem, sicut nomina, & intentiones rebus applicatæ ad significandam eam habitudinem, quam habent ad sua superiora, & inferiora; & sic aliquod *vniuocum* vt genus, & species. i. ipsæ intentiones possunt esse in omnibus prædicamentis.

Sol. 2. Vnivocatio est duplex, alia

Prædicationis; & sic *res* sunt vnivocæ.

Significationis; sic *voces* sunt vnivocæ. Priori modo nullum *vnivocum* potest esse in diversis prædicamentis; posteriori modo potest; nam *significationis* vnivocatio nihil aliud est quam idem modus significandi.

Ob. Omne vniversale est *vbique*, vt docet *Aristoteles* in primo lib: poster: Analyt: cap: 31. text: 1. sed genus non est v bique (verbi g.) animal non est in cœlo; ergo genus non est vniversale.

Sol: Vniversale non est *vbiq*; respectu *loci*, sed respectu *suorum subiectorum* est *vbique:* (id est) in omnibus suis subiectis sc. singularibus; non *vbique*. i. in omnibus locis.

Sol. 2. Vel dicendum aliquod esse (vbiq;) dupliciter.

1 *Positivè*, quod est in omnibus locis; & sic non oportet vniversale esse *vbique*.

2 *Privativè*, quod non determinatur ad certum locum, vt res singulares; sic genus *vbique* est: (vbique) ibi nihil est nisi negatio singularium.

Ob. Genus prædicatur de conuenientibus specie; vt, animal de *Socrate*, *Platone*, ergo non de differentibus specie.

Sol. Genus prædicatur dupliciter, vel

1 *Immediatè*, & sic dicitur de pluribus *differentibus specie*, vt animal de homine, & belluâ.

2 *Mediatè*, (intercedente specie sc.) atque sic prædicatur de *convenientibus specie* nimirum de ipsis specierum individuis, vt de *Socrate* & *Platone*.

Ob. Pars de toto non prædicatur; docente *Aristotele* 4. Top. cap. 5. text. 6. genus autem est pars speciei; docente *Porphyrio* Capite de Differentia text. 17. cum species ex genere & differentia conficiatur; ergo genus non prædicatur de speciebus.

Sol.

Sol. Pars est duplex, alia sc.
- 1 *Integralis*, quæ ad naturæ perfectionem, sc. rei integralitatem spectat; vt in homine caput, cor, brachium, pectus, pes &c. & hæ de toto dici non possunt.
- 2 *Essentialis* quæ rē constituit; & hæc est duplex
  - 1 *Physica*, vt materia & forma, vt in homine, corpus & anima; & hæ non prædicantur: & de his, iste locus *Aristotelis* intelligitur.
  - 2 *Dialectica*, vt genus & differentia, & hæ de toto suo prædicantur.

Sol. 2. In genere duo spectātur sc.
- 1 *Ambitus* eius, & *amplitudo*, quatenus sub se plures species subiectas comprehendit; & sic *totum* est.
- 2 *Actus constituendi speciem*, quatenus non per se naturam speciei absoluit, sed simul cum differentiâ concurrit ad speciem constituendam.

Priori modo, genus sc. quoad *ambitum* respectu speciei, *totum* est, & species continet, & de ijs dicitur; posteriori vero quoad *constitutionem* est *pars*, & à specie continetur genus; ergo (vt prædicatur) non *pars* solum sed etiam *totum* est.

Ob. Definitio non explicat quid res sit, nam *quid res sit, nec demonstrarione, nec definitione cognosci potest*, vt *Aristoteles* affirmat 2. l. post analyt. cap. 7. text. 10. at definitio explicat quid res sit perfectius quam genus: ergo genus multo minus explicat.

Sol. Respondeo esse duplicem definitionem, alteram
- 1 *Nominis*, quam *explicationem vocis* appellant, vt lapis est qui lædit pedem.
- 2 *Rei*, quæ *explicat rei essentiam*, hanc, affirmant explicare (quid res sit;) illam vero nominis minimè: eamque ibi intellectam ab *Aristotele*.

Sol. 2. Vere responsum ad *verba*, sed imperitè ad *locum*, intelligentes nec scopum nec sensum *Aristotelis*: obseruandū igitur quod (quid est) capitur ab *Aristotele* bifariam, sc. vel pro
- 1 *Essentia definiti*, in quo sensu dicitur definitio *quid res sit* explicare.
- 2 *Definitione essentiali*, (quod in *Aristotele* perfrequens est,) & ita in illo loco accipitur ab *Aristotele*: hic ergo *Aristotelis* sensus est, quod ipsū (quid est,) i. ipsa rei definitio, *nec definitione, nec demonstratione potest cognosci*, verbi gratiâ, animal rationale esse definitionē hominis, nec definitione nosci tur, nec demonstratione.

Ob.

Ob. Si genus bene definiatur, tum animal eſt genus, non eſt autem, quia tum homo & brutum eſſent ejus ſpecies, at non ſunt, quia de ijs animal non dicitur; nam de quibuſcunque prædicatur genus, de ijs prædicatur aliqua generis ſpecies, at nulla ſpecies animalis prædicatur de homine, & bruto; ergo genus non bene definitur; major eſt *Ariſtotelis*: 2. Topic: cap. 4. tex: 3.

Sol. Verum eſt de *individuis*, non de *ſpeciebus* ſc. de vltimis, non de *immediatis* ſubjectis ipſius generis: de quibuſcunque igitur individuis dicitur genus, de ijs aliqua ſpecies ipſius generis prædicatur; quia individuum *immediate* non ſubjicitur generi, ſed ſpeciei: vt ſi animal prædicetur de *Socrate* & *Bucephalo*; neceſſe eſt aliquam, vel aliquas ſpecies animalis de ijs prędicari.

Ob. At genus de individuis non prædicatur, ergo locus de individuis non eſt intelligendus, antecedens patet; quia genus de ſubjectis ſpeciebus dicitur ſolum. 4: Topic. cap. 6. text: 3.

Sol: Genus prædicatur dupliciter, vel
1 *Immediate, de ſolis ſpeciebus*; & ſic ille locus *Ariſtotelis* eſt intelligendus.
2 *Mediate* de individuis.

Ob. Si genus in *quid* prædicetur, tum vel completè, vel incompletè, non *complete*, quia tum eſſet definitio; non *incomplete*, quia nihil completius indicare poteſt quid res ſit, quam id quod maxime indicat; ſed *genus maxime indicat quid res ſit. 6.* Topic. cap. 1. text. 1.

Sol. Aliquid *indicat maxime quid res ſit* dupliciter, vel
1 *Simpliciter* & *abſolute*; ſic definitio (quid res ſit) maxime indicat, cum totam rei eſſentiam comprehendit.
2 *Comparate*, reſpectu ſc. cæterorum vniverſalium: & ſic quidem *genus maxime indicat* (quid res ſit) ſc: quid ſpecies (nam quid individuum ſit, ipſa ſpecies magis indicat) hunc ergo ad ſenſum, nullum eſt vniverſale quod æque explicat naturam ſpeciei, atque genus.

Ob: Hæc definitio differentiæ convenit, nam omnes particulas convenire præter vltimam ex definitione apparet: & quod prædicatur in *quid*, *Ariſtoteles* affirmat 7. Topic. c. 3. text. 2. *Genus & differentia in eo quod* eſt quid, *prædicantur*.

S. l.

Sol. Differentia consideratur bifariam, nempe vel
- 1° *Per se*, vt separatur à genere, & sic non prædicatur in quid, sed quale quid.
- 2° *Vt annexa*, & *coniuncta* est generi in definitione, & sic in quid. prædicatur.

Non enim dicit differentiam prædicari in quid, sed genus & differentiam, sc. *coniunctim*, (vt definitionem constituunt) non *separatim* accepta,

Sol. 2° Vel dicendum vt modo dictum, ipsum quid est, dupliciter capi, aut pro
- 1° *Essentia* rei.
- 2° *Definitione*, & hoc posteriori modo accipi ab *Aristotele* ibi; sic vero prædicari in eo quod, quid est, nihil aliud est, quã prædicari in *definitione*, & tanquã definitionis pars.

Sol. 3° (Quid est) sumptum pro essentiâ, tripliciter accipitur, aut pro essentiâ
- 1° (*Materiali*, & sic Genus in quid, prædicatur.
- 2° *Formali*, & sic differentia in quid, prædicatur.
- 3° *Completâ*, quæ ex vtrisque simul coniunctis & vnitis conflatur; sic definitio prædicatur in quid.

Quocirca cum differentia negetur prædicari in quid, id non est intelligendum quoad *rem ipsam*; (prædicatur enim quoad essentiam, sicut Genus) sed de *modo prædicandi*, quia non eodem modo prædicatur sicut Genus: sc. ad modum *materiæ*, sed ad modum *formæ*.

Ob. Partes definitionis sunt formæ; *docente Aristot.* 2. lib. physic. text 28. Genus autem pars est definitionis, vt omnibus notum est; ergo est forma, & per consequens non prædicatur ad modum materiæ, sed ad modum formæ.

Sol. Duo respiciuntur in Genere
- 1° *Confusio*, quatenus in se confusum quiddam est & indeterminatum, & per differentias ipsum dividentes, ad diversas species restringitur; & sic habet modum *materiæ*, quia vt ea per formas determinatur; ita hoc per differentias.
- 2° *Prædicatio*, quatenus secundum essentiam prædicatur, & naturam rei explicat, & sic est *forma*: quocirca quatenus confusè prædicatur, rationem habet *materiæ*; quatenus essentialiter prædicatur, rationem habet *formæ*; ideoque cum differentia distinctè solum prædicetur, solius formæ rationem habet.

Ob. Definitio omni generi non convenit, & proinde mala est, nam ipsum (Vniversale) est genus respectu horum quinq; vniversalium, sed tamen hic non definitur, nam tum definitum esset genus definitionis, & idem seipsum definiret; quod absurdum est: ergo.

Sol. Vniversale dupliciter consideratur, vel sub notione
- 1° *Vniversalis*, & sic definit.
- 2° *Generis*, & sic definitur; definit ergo *per se*; definitur *per accidens*; quatenus ipsam capit intentionem generis; nec inconveniens est ita aliquod à seipso definiri.

Ob. Vocum est (*dici*) non rerum: ergo genus quod definitur (per *dici*) de pluribus (speciebus,) non res est sed vox.

Sol. *Rerum* est, (dici) de aliquo tanquam id *quod* dicitur: *vocum* est (dici) tanquam *nota* eius quod dicitur; igitur non tam est *vocum* dici, quam res ipsas *dicere*, quatenus res dicuntur per voces: Res igitur (dicitur) tanquam *obiectum* dicendi; vox autem (dicitur,) tanquam *instrumentum* dicendi.

Ob. Si res definiatur, tum animal; at animal non definitur, quia definitio soli definito convenit; at hæc definitio soli animali non convenit: quia tum nullum esset genus præter animal: ergo res hic non definitur.

Sol. Definitum est duplex, vel
- 1° *Proximum*, & *primarium*, & sic *intentio* definitum est.
- 2° *Remotum*, & *secundarium*, & sic *res* quæ est genus, definitum est: cum itaque dicatur *definitionem soli definito convenire*; id ita intelligendum est, quod definitio convenit essentialiter definito *proximo*, soli.

Quocirca genus solum *immediatè* definitur; sc. intentio generis: res vero *mediatè*, quatenus subeunt generis intentionem: ideoque solum generis intentioni *essentialiter* convenit, rebus autem ipsis quæ genera sunt, *accidentaliter*: quocirca, cum hæc definitio animali competat, non vt *proximo* suo definito, sed *remoto*, non oportet ipsam animali solùm convenire.

SECT. 13.

In qua brevis applicatio superioris expositionis ad definitionem.

Sic igitur hanc definitionem intelligite, Genus, (sc. dialecticum) est quod (scil. Vniversale quod) prædicatur (aptitudine) nam actus præ-

prędicandi generi non ſemper convenit, cum ſit à nobis: (de pluribus) ſc. de multis (ſpecie differentibus,) i. ſpeciebus immediatè; (mediantibus enim ipſis prædicatur de multis differentibus ſolum numero,) & ſpecie convenientibus (in quid), ſc. imcompletè; in quâ à definitione diſtinguitur: vt, animal dicitur de homine, & bruto; Arbor de Pinu, Pirо, Quercu: &c. Metallum, de argento, auro, ferro, &c.

SECT. 14.

De diviſione Generis in ſummum & ſubalternum.

Poſt definitionem, de diviſione generis dicendum eſt: dividitur autem genus in genus

Summum, ſeu *generaliſſimum*, quod à *Porphyrio* definitur (eſſe illud Genus *ſupra quod aliyâ Genus non ponitur*,) vel, quod *Genus eſt ſolum, non etiam ſpecies*: vt, Subſtantia, Quantitas, Qualitas; & cætera ſeptem.

Subalternum, quod & Genus eſt & ſpecies: vt, Animal, Planta, Color, Scientia; quę reſpectu eorum quę *ſupra* ſe ſunt in Prędicamento, rationem ſubeunt *ſpeciei*; reſpectu eorum quę *infra*; rationem *generis* ſubeunt.

SECT. 15.

De nominibus Generis ſummi & ſubalterni.

Vt hæc diviſio meliùs intelligatur, notandum eſt quod ſi Genus ſumatur

1° *Materialitèr*, pro ipſâ re quæ eſt Genus, tum diviſio Generis, eſt diviſio *analogi* in ſua analogata; quia genus *ſummum* eſt naturâ prius *ſubalterno*, ſi pro re ſumatur, cum ſit eius principium.

2° *Formaliter*, pro ipſâ intentione Generis, tum eſt diviſio *Generis* in ſuas ſpecies; quia licet res quæ eſt Genus *generaliſſimum*, prior ſit naturâ eâ re quæ eſt Genus *ſubalternum*, intentiones ſimul ſunt, vt ſpecies intentionis generis in communi.

Notandum quod Genus (generaliſſimum) dicitur bifariam, vel

1 *Poſitivè*, pro eo quod eſt omnibus alijs *generalius*.

2 *Negativè*, pro eo quo nullum Genus *generalius* eſt, & in hoc ſenſu Genus hic quod in aliquo

prædicamento ſummum eſt *generaliſſimum* nuncupatur: vt, Quantitas (verbi gratiâ) dicitur genus *generaliſſimum*, non quod ſit cæteris omnibus *generalius*, (nam Subſtantia, Qualitas, &c. ſunt æq; generalia:) ſed quod nullum genus eo *generalius* eſt. Eadem ratione de nomine *ſummi* diſtinguendum eſt.

Secundò, notandum quod (genus ſummum, vel generaliſſimum eſſe *poſitive*) duobus modis intelligitur, vel

1° *Abſolutè*, quod ſc. cæteris vniverſis ſimpliciter *generalius*, & *ſuperius* eſt. quo modo nullum genus *generaliſſimum* verè appellari poteſt.

2 *Contractè*, & *reſpectu ſui ordinis*, quod ſc. ſuperius vel generalius eſt omnibus ijs, quæ in ſuâ ſerie & prædicamento collocantur, & in hoc ſenſu, omne genus *poſitivè* etiam tale eſt, atq; vt genus *generaliſſimum* admitti poteſt.

Notandum quod genera ſumma appellantur à dialecticis,

1° *Summa*, quoad *ordinem collocationis*, quia in ſupremo prædicamenti loco collocantur.

2 *Prima*, quoad *ordinem conſtitutionis*, quia eorum ſunt cauſæ, & cætera omnia conſtituunt, quæ in eadem ſerie ſub ipſis collocantur.

3° *Generaliſſima*; quoad *latitudinem prædicationis*; quia nomen ſuum & naturam diffundunt, ad ea vniverſa, quæ ſunt in eodem prædicamento.

Notandum, autèm quod Genus *ſubalternum*, non ita nominatur, quia *ſub altero* ponitur, ſed quod *alternatim*, nunc faciem generis, nunc ſpeciei induit, i. aliquando genus eſt, aliquando ſpecies: vt, animal reſpectu corporis quod *ſupra ſe* eſt, eſt ſpecies: Reſpectu vero hominis & bruti, quæ ſunt *infra ſe* eſt Genus. Nam ſi ſecundum priorem interpretationem diceretur; tum infima ſpecies eſſet *ſubalterna*, quia ſub altero ponitur. quâ de re latiùs in capite de ſpecie dicemus.

SECT. 16.

De explicatione ipſarum definitionum generis ſummi, & ſubalterni.

No tandum quod aliud eſt, *ſupra ſe* non habere aliud genus, &

ante

ante se non habere aliud genus, nam prius *ordinem prædicandi* denotat; nimirum, non habere aliud genus quod de ipso directè prædicatur, & sic in definitione generis generalissimi accipitur, sc. quod *genus generalissimum id sit, de quo aliud genus non prædicatur*, sicut superius de inferiori. At posterius, *ordinem causæ* designat, nimirum *non aliud habere genus, naturâ se prius*, quodq; in suâ causâ est: hoc autem omnibus summis generibus non convenit, sed solummodò substantiæ, cum substantia & sit prior cæteris omnibus, & eorum causa: Quocirca inter summa genera vnum potest esse naturâ *posterius* altero, sed non *inferius* altero.

Duæ enim conditiones requiruntur: vt aliquod sit superius altero, nempe

1 *Vt sit prius quoad ordinem naturæ*, & hanc ob causam, non dicimus summa genera accidentium esse *superiora* infimis substantiæ speciebus, quia sunt naturâ ijs posteriora.

2 *Vt sit commune, & ad plura se diffundat*, & hanc ob causam propriam alicuius rei differentiam, (vt rationale respectu hominis) non dicimus ipsâ superiorem, quia licet eâ, naturâ prior sit cùm sit eius causa, tamen quia non est communior, superior dici non potest.

Ad intelligendam autem definitionem generis Subalterni, obseruate eius in prædicamento,

1° *Locum*, seu *posituram*, nam nec in cacumine (sicut generalissimum) nec in imo (sicut specialissimum) collocatur, sed in medio, vnde & genus *interiectum* nominatum est.

2° *Relationem*, quam duplicem habeat, alteram ad ea quæ sunt *supra se*, & sic est *species*; alteram, ad ea quæ sunt *infra se*, & sic est *Genus*.

SECT. 17.

In quâ explicantur dubitationes in diuisione prædictâ generis.

Ob. Genus generalissimum non potest esse species, (vt ex definitione eius manifestum est:) ergo hæc diuisio non est generis in suas species: Deinde species eiusdem generis simul sunt naturâ: vt affirmat *Aristoteles*, cap. de modis simul, text. 3. sed generalissimum est prius subalterno: vt substantia, corpore; cum sit eius causa, ergo non sunt species generis in communi.

Genus generalissimum bifariàm spectatur, vel quoad

1 *Rem*, eo nomine designatam, & sic quidem Genus generalissimum species esse nequit: vt Substantia, Quantitas, &c. & hoc modo est naturâ prius genere subalterno, sc. *eâ re* quæ est Genus subalternum.

2 *Intentionem*, seu *vocem*; & sic potest esse species; sicq; simul est cum Genere subalterno; nec *intentio* generalissimi prior est *intentione subalterni*,

Ob. Quod dicitur per superabundantiam vni soli convenit, vt inquit *Aristot.* 5. Topic. cap. 3: sed Genus generalissimum per superabundantiam dicitur, ergo vnum solum est Genus summum non decem.

Sol. (Per superabundantiam) aliquid dicitur bifariàm nempè, vel

1° *Positivè*, quod cæteris omnibus superabundat, & illud vni soli convenit, quale est quodvis summum Genus in suâ serie.

2° *Privativè*, cui nullum aliud superabundat, & talia plura esse possunt; in quo sensu (superabundare) dicuntur summa Genera.

Ob. Motus Genus est, respectu earum sex specierum, quas *Aristoteles* assignat in Postprædicamentis, cap. de motu: text. 1. Anima respectu vegetantis, sentientis, & rationalis, est etiam Genus; sed non *summum*, quia nullum ex decem summis, nec *subalternum*, cum sub nullo summo contineatur; ergo male dividitur Genus.

Sol. Accuratè notandum; quod Genus aliter capitur cum *definiatur*, aliter cum *dividatur*; definitur enim vt *prædicabile*, dividitur vt *prædicamentale* est, nomina enim *summi* & *subalterni*, ex loco quem in prædicamento sortitur Genus, Generi conveniunt; quocirca non dividit *Porphyrius* hoc in loco omne Genus, sed solum Genus quod in prædicamento ponitur; illud autem omne, aut *sũmum est* aut *subalternum*: quocirca illa Genera quæ in nullo prædicamento per se, collocantur, vt *anima*, *motus*, sed ob imperfectionem à Prædicamentis reijciuntur, non necesse est aut *summa* aut *subalterna* esse Genera.

Ob. Quod potest habere naturam determinatam per specificam differentiam, potest esse species; sed Generis generalissimi natura determinatur per differentias; nam aliter non possit species suas constituere & definire. ergo.

Sol. Aliquid à differen-

1 *Extrinsecè*, per *contractionem*, & sic *Genus* à differentiâ *determinatur* quatenus ejus fusa natura (adjectâ differentiâ) ad certam speciem contrahitur.

2 *Intrinsecè*, & per *complexionẽ*, & sic species, à differẽtiâ

tiâ determinatur bifariàm, ſc. vel | tiâ ſuâ *determinatur*, quatenus ipſa fuſam naturam Generis contrahens, ſpeciei naturam conſtituit; ſi igitur Genus hoc modo *determinari* poteſt à differentiâ, poteſt eſſe ſpecies.

Sol. 2. Vel dicendum, in ſummo Genere duo ſpectari
- 1° *Eſſentiam*, & hæc *determinari* poteſt, à differentiâ ad ſpeciem.
- 2° *Modum eſſendi*, & hic *determinari* non poteſt: nam modus eſſendi ſummi Generis eſt (*eſſe in ſuo Genere communiſſimum*,) qui ad nullam ſpeciem contrahi poteſt.

Sol. 3. Vel brevius reſpondetur, quod licet ſummum Genus quatenus
- *Speciem conſtituit*, contrahitur & *determinatur* (quia non conſtituit niſi quatenus differentiæ coniunctum eſt,
- Tamen vt de *ſpeciebus prædicatur* non *determinatur*, ſed commune manet.

Ob. Summa genera eſſentiam habent, quia aliter nullam tribuerent eſſentiam inferioribus, quia id tribuere non poſſunt quod non habent, at eſſentia eſt ex genere & differentiâ, ſicut definitio, cum idem ſunt: ergo ſumma genera altiora habent.

Sol. Summa genera non *habent* eſſentiam, ſed *ſunt* ipſa eſſentia, & ſic tribuunt *eſſentiam* inferioribus, quatenus, *ſeipſa* tribuunt, quæ ſunt inferiorum *eſſentiæ*: tribuunt ergo id *non quod habent*, *ſed quod ſunt*, omnis autem eſſentia non eſt ex genere & differentiâ, ſed ſolum in ſpeciebus earumq; ſubiectis.

Ob. Id quod eſt aliquibus commune, & de ijs in quid, prædicatur, eſt Genus: at ens eſt hujuſmodi reſpectu cuiuſvis ſummi Generis, quia aptè reſpondet ad quæſtionem factam per quid, de Subſtantiâ, Qualitate, &c. ergo ſumma Genera habent ſuper ſe aliud Genus.

Sol. Non aptè reſpondetur per ens, ad quæſtionem factam per *quid ſit*, ſed per *an ſit*? & ſic de re prædicatur, non ſecundum *eſſentiam*, ſed ſecundum *exiſtentiam*, ſed de ente vide ſupra, Tract. 1. Sect. 13.

Ob. Oppoſita in vnam rem non cadunt; at Genus & ſpecies ſunt oppoſita, cum ſint relativa, vt *Porphyrius* cap. de ſpecie: text. 20. ergo in idem ſimul cadere non poſſunt, ideoq; Genus ſubalternum eſſe non poteſt Genus & Species.

Sol. Genus & Species non ſunt *abſolutè oppoſita*, ſed *relativa*; ideoque non ſunt *oppoſita* niſi eiuſdem reſpectu, Genus autem ſubalternum *diverſo reſpectu* & Genus eſt & ſpecies: Genus enim dicitur reſpectu *inferiorum* de quibus prædicatur, ſpecies vero reſpectu *ſuperiorum* quibus

quibus subijcitur, itaque secundum eundem modum *opposita in idem cadere non possunt*, sed secundum diversum modum & respectum possunt.

SECT. 18.

Sequuntur quæstiones tres de Genere, & primò, an Genus prædicatur de suis speciebus tanquam æquale aut superius?

Species Generis capiuntur, vel
- 1 *Coniunctim*, & sic quidem Genus de ijs omnibus tanquam *æquale* prædicatur; quia seipsum latius diffundere non potest quam omnes suas species.
- 2 *Separatim*, & sic de ijs Genus prædicatur tanquam *superius*, quia communius est quavis specie per se acceptâ: vt, animal æquale est homini & bruto, homine autem per se accepto, & bruto per se, communius est.

Notandum autem quod licet Genus sit *æquale* suis speciebus *simul* acceptis, (si *extensionem* naturæ spectemus,) quia ad plura non extenditur, quam ad suas species: tamen quoad *ordinem* naturæ, *æquale* non est, quia prius est vtrisque, & superiorem locum in Prædicamento obtinet, dicitur ergo de vtrisque tanquam *æquale* quoad *extensionem naturæ*, tanquam *inæquale* quoad *ordinem naturæ*; quia licet non sit vtrisque communius, est tamen prius vtrisque.

SECT. 19.

In quâ quæstio est. An tota natura Generis in vnicâ Specie conservetur?

Genus reale consideratur dupliciter, vel
- 1 *Respectiuè*, & *intentionaliter*, quatenus subsstat intentioni generis, & quoad hanc intentionalem naturam sine dubio conservari non potest in vnicâ specie, quia (vt ex definitione Generis manifestum est) requirit plures species de quibus possit prædicari.
- 2 *Absolutè*, quatenus *res talis est*: vt, animal, & sic tota natura eius in vnicâ specie conservetur, nam tota natura animalis est *corpus animatum sensibile*, quod tam omni homini convenit, quam omni bruto.

Distin-

Distinguendum inter *naturam* & *essentiam* generis, & ejus *potestatem*, nam *essentia tota* in quavis per se specie, continetur, sed *potestas*, plures species necessariò respicit, nam *essentia* constitutionem, *potestas* diffusionem naturæ denotat: *omnis* igitur *essentiæ pars*, quæ in genere est, est in unâ specie, sed *non eovsq; diffusa*.

Quocirca si *rem ipsam* spectes, tota natura generis est in unâ specie; si *potestatem*, necessariò plures species exigit.

Ob. Si tota natura *generis* sit in unicâ specie tum nihil naturæ est in alterâ specie; ut si tota natura animalis sit in homine, tum nihil est in bruto; quia id totum est extra quod nihil est, est autem natura generis in utrâq; specie; ergo non est in unâ.

Sol. Tota natura est in vnica specie quoad
1. *Essentiam* ipsam.
Sed non quoad *extensionem*; nam omnes partes naturæ quæ sunt in genere, sunt etiam in specie, sed non eodem modo extensæ in specie, atq, in genere.

Cùm autem definiatur ab *Aristotele*, *Totum id esse, extra quod nihil est*, intelligitur totum quoad *extensionem*, non quoad *essentiam*.

Ob. Potestas generis, naturam generis consequitur, ergo si *natura* in unicâ specie conservetur; ergo etiam & *potestas*.

Sol. Generis *potestas* est duplex, altera
1 *Naturalis*, quæ realem generis naturam consequitur; ut potentia *sentiendi* animalis naturam; & hæc potestas se diffundit cum natura.
2. *Intentionalis*; quæ vniversalitatem generis consequitur, ut potentia *prædicandi* de pluribus speciebus; & hæc naturæ generis, solum *confusæ* appropriatur, *contractam* vero non sequitur

SECT. 2.

In quâ quæstio explicatur; An genus sit materia speciei, an potius forma?

Genus consideratur dupliciter, nempe quoad
1. *Confusionem*, quatenus nullam in se differentiam specificam includit, sed indeterminatum manet; & sic se habet ut *materia*;
2, *Constitutionem*; quatenus essentiam speciei constituit, explicat, & determinat; & sic est *forma*.

Quocirca cùm *Porphyrius* interdum dicit genus esse tanquam *materiam*; id intelligit esse confusum quiddam; alijs enim rationibus *formæ* potius similitudinem gerit quam *materiæ*.

Notandum quod duplex est actus formæ

1. *Constituere*, sc. in certâ specie reponere; ut anima rationalis hominem in specie hominis reponit.

2. *Distinguere*, & *discernere* id quod constituit à cæteris vniversis; ut anima rationalis hominem ab vniversis discernit: ratione *prioris*, genus dicitur *forma*; ratione *vtriusq;* verò *differentia* dicitur forma.

Vnde differentia magis forma est quam genus, nam genus solum *constituit* idq; *imperfectè*; differentia autem quamvis *imperfectè constituit*, tamen *perfectè distinguit*; at verò definitio rei & *perfectè distinguit*, & *perfectè constituit*, vnde & hæc maximè forma appellatur; tum differentia; deinde genus.

Deniq; notandum formam esse duplicem, alteram nempe

1. *Informantem*; quæ appellatur *forma partis*, & *dans essentiam*, ut ea quæ cum materia totum compositum consummat; vt anima rationalis respectu hominis.

2. *Formatam*, quæ appellatur *forma totius*, & *declarans essentiam*, in quo sensu, genus, differentiam, & definitionem formas appellamus, quia essentias rerum explicant; forma totius appellatur genus, & differentia, non quia totam rei naturam *continet*, sed quia de toto prædicatur.

Hactenus de Genere.

TRAC-

TRACTATVS TERTIVS De Specie.

SECT. 1.

In quâ est eorum Analysis, quæ in cap. de Specie, *à Porphyrio dicta sunt.*

Caput de *Specie* in tres dividitur partes, in quibus tradit Speciei

- 1 *Acceptiones duas*, alterã
  - 1 *Civilem*, & sic pulchritudinem designat.
  - 2 *Dialecticam*, cujus tres ponit definitiones
    - 1 Species, est *quæ ponitur sub Genere.*
    - 2 Species, est *de quâ Genus in (quid) prædicatur.*
    - 3 Species, est *quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in (quid.)*
- 2 *Cõparationes*, & hęc in duas partes dissecatur
  - 1 Explicat quæ inprędicamento ponuntur, sunt autem triplicia
    - 1 *Generalissimum* cujus duas designat definitiones.
      - 1 Priorem, generalissimũ est, *quo non est aliud genus superius.*
      - 2 Posteriorẽ, *quod solũ genus est, nunquã autẽ species.*
    - 2 *Specialissimũ* cujus tres ponit definitiones.
      - 1 Species specialissima est *quæ species sola est, non etiam genus.*
      - 2 *Quæ in inferiores species non dividitur.*
      - 3 *Quæ prædicatur de pluribus numero differentibus.*
    - 3 *Intermedium* cujus unam descriptionem ponit. *Quod nimirum & genus & species est:* hæc autem omnia exemplis illustrat.
  - 2 Ostendit *numerum* generum generalissimorũ quæ sunt decem; & *ordinem* declarat eorũ quæ in prædicamento collocantur quantũ ad prædicandi tractationem; superiora enim omnia de inferioribus prædicantur, non è converso.
- 3 *Tractatione de individuo* quod explicat dupliciter
  - 1 *Implicitè*, per divisionem.
  - 2 *Expresse*, per ejusdem
    - 1 *Definitionem*, individuum est, *quod ex iis proprietatibus consistit, quarum omnium collectio, eadẽ in aliquo alio nunquã esse potest.*
    - 2 *Ordinem ad speciem*; quia sub specie continẽtur individua, sicut species sub genere.

SECT. 2.

De methodo & ordine tractationis ſpeciei, & quare ſpecies præponitur differentiæ?

Ob. *Porphyrius* in enumeratione vniverſalium in procœmio, differentiam pręponit ſpeciei, etiam in communitatibus & differentijs differentiæ & Generis Cap. 7. Comparationem differentiæ prius exequitur quam ſpeciei: ergo *Porphyrius* in ordine inconſtans eſt.

Sol. Duplex eſt ordo, vel
- 1. *Naturæ*, quomodo id prius eſt quod in re ipſâ & quoad naturam prius eſt.
- 2. *Diſciplinæ*, quomodo id prius eſt, quod noſtrâ cognitione prius eſt, in ijs locis ordinem *naturæ* ſervat; in hoc, *doctrinæ*; proinde alio, & alio ordinis modo & præmitti poteſt et poſtponi; differentia igitur prior eſt *naturâ*, quia eſt *pars* et *cauſa* ſpeciei; at ſpecies quoad *nos* in diſcendo prior eſt, quia *totum* et *compoſitum* eſt, quod nobis eſt notius ſuis partibus. 1. Phyſic. text. 4.

Species præponitur differentiæ tres ob cauſas: ſc. vel propter
- 1. *Mutuam relationem* inter genus et ſpeciem, ſc. quia ſunt correlata; quæ autem talia ſunt, cognoſci non poſſunt à ſe invicem; uno enim cognito, alterum cognoſcitur, ideo ad generis notitiam evidentiorem, oportet immediatè poſt genus ſpeciem tractari.
- 2. *Perfectiorem prædicandi modum*, quem ſpecies habet, quam differentia, quia ſpecies prædicatur in (quid,) Differentia in (quale quid.)
- 3. *Ordinem in cognitione noſtrâ*, quia nobis notius eſt totum ſuis partibus, effectus ſuâ cauſâ, tale autem eſt ſpecies reſpectu differentię.

SECT. 3.

De diſtinctione ambigui nominis ſpeciei.

Vt autem intelligatur, in quo ſenſu nomen ſpeciei hic eſt vſurpandum, *Porphyrius* inprimis ambiguum nomen diſtinguit.

Si-

Significatio nominis est duplex, vel

1. *Vulgaris*, seu *civilis*, quo pacto sumitur pro pulchritudine, et decoro lineamento corporis; in quo sensu dictum est illud; prima species digna est imperio, i. inprimis speciosus homo pulchro et decoro corpore, dignus est ut imperet.

2. *Artificiosa*, et *Logica*, quo pacto accipitur pro *universali quod generi subiicitur*, et in hoc sensu speciei nomen intelligitur.

SECT. 4.

De tribus speciei definitionibus, & primò de primâ, eiusq; explicatione.

Prima definitio speciei hæc est: *Species est quæ sub assignato genere ponitur*, ad quam definitionem intelligendam, legite ea quæ supra diximus in explicatione prioris definitionis *Generis*, Tractatu de *Genere*, Sect. 5. (Species est quæ subest Generi) i. Species est vniversale quod *directè* subest, ad excludendum differentias divisivas generis, quæ Generi subsunt, quatenus infra ejus ambitum continentur, sed non *directè*, et ad lineam *rectam*, sed *ad latus* et indirecte: et quod *immediatè* subest, ad excludendum individua, quæ subsunt *directè* Generi, sed mediante specie, quamvis et individua aliter excludi possunt per ipsum genus definitionis, (species est quod subest,) sc. species est *vniversale*, quod subest *directè* generi, individuum autem *vniversale* non est.

Notandum quod aliquod est sub Genere bifariam,

1. *Positione formali*, quod ita quidem sub Genere continetur, vt Genus ad ipsum per formas contrahatur.

2. *Positione materiali*, quod quidem ita generi subjicitur, vt genus ad ipsum contrahatur per materiam: priori modo species subjicitur generi, quia ad ipsam generis naturam determinatur per essentialem, formalemque differentiam: posteriori modo individuum, quia genus ad ipsum determinatur per materiam, hęc enim singulare principium est *individuationis*, sicut speciei differentia, principium *constitutionis*.

SECT. 5.

In quâ dubitationes, earumq; ſolutiones de hac definitione continentur.

Obi. *Porphyrius* ſuprà definit genus per Speciem; hic autem definit Speciem per Genus; admittitur ergo circulus in definitione; & genus eſſet notius ſpecie & ignotius; nam omnis definitio ex ijs conſtare debet quæ ſunt notiora definito: 6. Topic. cap. 1. text. 6. Cùm ergo genus definit ſpeciem eſt eâ notius; cùm ſpecies, genus, eſt eâ ignotior; ergo

Sol. Res duplices ſunt, aliæ ſc.

1. *Abſolutæ*, quæ reſpectum non implicant, ad alterum; & tales ſemper definiri oportet per notiora.

2 *Reſpectivæ*; quæ relationem implicant, ut pater ad filium; genus ad ſpeciem; & è converſo; & eas non oportet definire per notiora, ſed per ea quæ æque nota ſunt, ſc. per correlativa ſua quæ ideò adhibentur mutuò in definitione, non quia vnum eſt *cauſa* cognitionis alterius; ſed neceſſarius *comes*, non ſc. vt vnum per alterum cognoſcatur, ſed cum altero, quia unum ſine altero cognoſci non poteſt; quare vitioſus eſt circulus in definitionibus rerum *abſolutarum*; ſed non *relativarum*: nam & ea *Ariſtoteles* eodem libro, Cap. 4. text. 13. ab iſtâ definiendi ratione excipit.

Ob. Hoc animal eſt individuum; ponitur autem directè & immediatè ſub animali, non mediante homine aut bruto; ergo definitio ſpeciei convenit individuo.

Sol. Ex parte *nominis* continetur ſub animali immediatè; at ex parte *rei* non; ſed mediante aliquâ ſpecie animalis, quia nullum eſt ſingulare animal, quod ſub certâ ſpecie non comprehenditur.

SECT. 6.

De ſecunda ſignificatione ſpeciei, einſq; explicatione.

Secunda definitio ſpeciei hæc eſt; *Species eſt de quâ genus in eo quod (quid) eſt prædicatur*, quam definitionem ita breviter intelligite; ſpecies eſt (vniverſale) de quo genus prædicatur, ſcil. (aptitudine) in eo quod *quid* eſt; explicando ſc. quid ſit, idque non *perfectè* & *abſolutè*, ſed ex *parte*, & *imperfectè*.

Notandum,

Notandum, quod licet in utrâque definitione ſpecies per genus definiatur, id tamen eſt diverſo modo; nam prior definitio generis *poſituram*, poſterior ejus prædicandi *modum* reſpectu ſpeciei, reſpiciebat; prior docebat ſpeciem contineri intra generis *potentiam*, poſterior docet, genus contineri intra ſpeciei *eſſentiam*, priori colligimus ſpeciem à genere *comprehendi*: poſteriori verò ſpeciem ab eo *conſtitui*.

Obi. Ejuſdem rei plures eſſe definitiones non poſſunt docente *Ariſtotele* 6. Topic. cap, 5. quia una eſt vnius rei eſſentia, definitio autem rei eſſentiam explicat, ergo malè traduntur tres definitiones ſpeciei à *Porphyrio*.

Sol. Definitio eſt duplex
1. *Eſſentialis*, quæ rei naturam per ſuas partes declarat, & vnica eſt vnius rei.
2. *Accidentalis*, quæ non *naturam* rei declarat, ſed *affectionem* & *proprietatem*, & hæc poteſt eſſe multiplex, prout variæ ſunt affectiones ejus rei quæ definitur.

Et ſic quidem pro diverſis rationibus ſpecies habet tres definitiones.

Nam prima reſpicit ejus
1. *Affectionem ad genus*, quatenus ſub eò continetur, ut inferius ſub ſuperiore.
2. *Affectionem ad genus*, quantum ad modum prædicandi.
3. *Relationem* ad ſua individua, quocirca diverſis rationibus, diverſas definitiones capit,

Obi. Species eſt communior ſeù vniverſalior genere, ergo non continetur ſub Genere; nec genus de eâ prædicatur: antecedens manifeſtum eſt, quia de pluribus prædicatur quam genus; prædicatur enim de omnibus ſpeciebus, at plures ſunt ſpecies quam genera: ergo eſt communior.

Sol. Genus & ſpecies ſumuntur bifariam ant
1. *Materialitèr*, pro rebus ſubſtratis his intentionibus, vt (verbi gratiâ) pro animali, & homine.
2. *Formalitèr*, pro ipſis intentionibus: *priori* modo genus communius eſt, quia omne genus pluribus ſpeciebus convenit: *poſteriori*, partim ſpecies, partim genus.

Sol. 2. Dicitur enimaliquę vox *cõmunior* dupliciter, vel
1. *Obiectivè*, & *mediatè*, quia rem communiorẽ ſignificat.
2. *Formalitèr*, & *Immediatè*, quia plures res ſignificat; *priori* modo vox generis *communior* eſt, quia fuſior eſt generis realis natura quam ſpeciei: *poſteriori* modo vox ſpeciei, quia pluribus rebus *immediatè* applicatur, quam vox generis.

Obi. Iſtæ

Ob. Istæ speciei definitiones, non solùm speciebus conveniunt, sed etiam generibus, nam animal, planta, etc: quæ genera sunt, generi subjiciuntur, sc. corpori, et substantiæ, ergo definitio soli speciei non convenit.

Sol. Conveniunt rebus quæ sunt genera subalterna, non tamen *quatenus* sunt geuera, sed quatenus sunt species, eâ enim ratione, quâ ad *superiora* referuntur, et sub ijs continentur, species sunt, eâ autem, quâ ad *inferiora*, et ea continent, genera sunt, hęc autem definitio ijs convenit, non ut genera, sed vt species.

SECT. 7.

An Species, vt in prioribus definitionibus describitur, sit vniversale?

Ob. Species, vt species est, est vniversale; at species ut subijcitur generi, non est vniversale, quia vniversale prædicatur; at species non prædicatur, respectu generis, sed subijcitur, ergo, respectu habito ad genus non est vniversale.

Sol. Vniversale consideratur aut quoad

1. *Essentiam*, et sic denotat naturam indeterminatam, et communem.

2. *Modum*, et sic denotat ordinem ejus conjunctionis ad plura: *priori* modo, species etiam respectu generis est vniversale, sc. natura indefinita, et communis, quia nullum singulare generi proximè possit subjici; at *posteriori* modo (eo respectu) non est vniversale, quia ad inferiora non refertur: est ergo quoad *rem*, non quoad *modum* vniversalis.

Sol. 2 In vniversali duo spectantur, videlicet

1. *Communitas naturæ*, et sic species quatenus immediatè generi subjicitur, est vniversale.

2. *Communicatio naturæ*, et sic non est nisi inferiorum respectu, est ergo vniversale quoad *actum primum*, non quoad *actum secundum*, nam *aptitudo* prædicandi in naturæ *communitate*, *actus* prædicandi in actuali *communicatione* consistit; in *aptitudine* vtro prædicandi magis quam *actu* natura vniversalis est constituta.

Sol. 3. Vel respondendum, quod vniversale distinguitur contra *singulare*, idque sub notione *vniversalis*; vel contra *subiicibile*, idque sub

sub notione *prædicabilis*; priori modo species respectu generis est vniversale, quia singulare non est; posteriori modo non est vniuersale, quia est subijcibile.

SECT: 8.

In qua distinctio speciei traditur, quæque in quaque definitione describitur.

Notandum, vt intelligatis qualis sit species definita, in quavis earum definitione, quod

Est triplex sc: species, aut

1 *Prædicabilis solum*, quæ sc. de pluribus individuis in *quid* prædicatur, sed nulli generi subjicitur, vt punctũ, vnitas, &c. quæ prędicatur in *quid* de hoc et illo pũcto, de hac et illa vnitate, sed sub nullo genere continentur.

2 *Subjicibilis solum*, quæ quidem alicui generi subjicitur, sed de individuis non prædicatur vt species, sed vt genus, cujus conditionis sunt omnia et sola genera subalterna, quæ ea solummodo ratione, species nominãtur, quatenus sub superioribus continentur; relata vero ad inferiora, speciei nomen amittunt, et vocantur genera, vt animal, &c.

3 *Prædicabilis & subjicibilis*; quæ vtroque modo species est, cum respectu generis, quia illi subjicitur, tum respectu individuorum, quia de illis in *quid* immediate prædicatur; hujus autem conditionis sunt omnes et solæ species infimæ, de quibus modo dicemus: vt homo, equus; &c. quę sive ad genera sua referas, sive ad individua, vtroque modo species sunt, nullo modo genera.

Notandum autem quod duæ priores definitiones conveniunt speciei *subjicibili*, tertia vero speciei *prædicabili*, at vero omnes speciei *subjicibili* et *prædicabili*, quamvis non sub eadem ratione, et habitudine; nam duę priores ipsi conveniunt, quatenus *subjicibilis*, tertia vero quatenus *prædicabilis* est.

Ex quibus colligere potestis, hanc solum speciem perfectam dici oportere, quia absolute et omni modo species est, cæteræ vero sunt *imperfectæ*, quia ex parte solũmodo, et aliquo respectu species vocãtur, nã alteri sc. speciei prædicabili solũ, deficit speciei relatio, quæ est ad superiora, alteri vero, sc. speciei subiicibili tãtũ, licet vtræq; definitiones

deficit sibi tamen in alterâ relatione speciei; ratio, quia respectu inferiorum nomen generis induit, non speciei: at ea quæ subjicibilis est, & prædicabilis, tum vtramque speciei relationem habet, in quo speciem prædicabilem solum superat, tum vtraque relatione, nomen & rationem speciei retinet, in quo superat speciem subjicibilem solum.

SECT. 9.

De tertia speciei definitione eiusque explicatione.

Tertia speciei definitio hæc est; *species est quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid.*

In quâ definitione (sicut in definitione generis) primò notandum quod

Definitum duplex est, alterum
- 1 *Materiale*; & *vltimũ* in quod sc: definitio quadrat, & sic species *realis* hic definitur; vt homo, equus, albedo &c.
- 2 *Formale*, & *medium*, per quod sc. definitio in rem quadrat, & sic *vox* ipsa definitur.

Completum igitur definitum est, *res* quatenus subjicitur *intentioni*, vt homo, non quatenus homo, sed quatenus species.

Definitionis autem duæ sunt partes,
- 1 *Genus*, quod implicitè in definitione ponitur, intellectum sc. in relatiuo *quod*, cujus antecedens est vniversale (species est quod) i. species est vniversale, quod.
- 2 *Differentia* in hac definitione posita duplex est,
  - *Prior*, respicit *subiecta*, de quibus prædicatur.
  - *Posterior*, *modum* secundum quem, de ijs prædicatur; illa in his verbis (prædicatur de pluribus differentibus numero) hæc in istis, (*in quid.*)

SECT. 10.

De duabus differentiis in hac definitione positis, & primo de prima.

Vt intelligatis prioris differentiæ sensum; obseruate quod prędicari hic non *actum* denotat sed *aptitudinem*. i. quod aptum est prædicari. Notan-

Notandum autem est (hoc in loco) discrimen inter *potentiam* & *aptitudinem*; aliud enim est, esse *aptum* prædicari de pluribus; aliud de ijs *posse* prædicari; nam *aptitudo* rei formam *absolute* sequitur, at *potentia* formam rei quatenus in *natura* est.

Quocirca omnis species est (apta prædicari,) vel *materiali*, vel saltem *formali* aptitudine; (de multis,) *positiue* sumitur non *comparate* i. de multis numero differentibus; vide igitur supra, tractatum generis, Sectione 8. *numero differre dicuntur quæ inter numerandum differunt*; i. quæ differunt dum numerantur; & diversas numeri vnitates faciunt, vt individua quæ sub eadem specie comprehenduntur, vt *Socrates*, *Ovidius*, *Cato* & hujusmodi; siquidem prędicari de pluribus differentibus numero, nihil aliud est, quam prędicari de pluribus individuis.

Notandum quod differant aliqua numero bifariam, nempe aut

1 *Directe*, & *primario*, & sic individua solum numero differunt.

2 *Consequenter*, & *secundario*, & sic species etiam & genera numero differunt aut specie, quam necessario sequitur numerica differentia.

In ijs autem quę *primario* & *per se* numero differunt, alia dicūtur numero differre,

1 *Proprie*, & *præcise*, quę sc. numero solum differunt, vt individua sub eadem specie collocata, vt *Plato* & *Socrates*, quæ in specie hominis conveniunt inter se, tamen differunt numero.

2 *Generaliter*, & cum *addittamento*, quæ non solum *numero* sed etiam *specie* differunt, quæ sc. individua sunt diversarum specierum, vt *Cato*, & *Bucephalus*, quorum hic sub equi, ille sub hominis specie continetur, priori autem modo (numero differentia) hic intelliguntur.

Vnde manifestum est, quod sicut individua diuersarum specierum, sic species diversæ, numero non differunt nisi ratione individuorum, cujus causa est, quia specifica differentia, *formam*; numerica vero *materiam* accidentibus affectam sequitur; quarum illæ primo speciei, hæc primo individuis competit; vnde si quæratis primum *subiectum* specificæ differentiæ, species est: sin numericæ, individuum est; si primum principium *specificæ* forma est, sin *numericæ* materia est.

SECT. 11.

De posteriori differentia in hac definitione posita.

Posterior differentia *modum* prædicandi speciei de individuis respicit.

Notandum quod aliquod prædicatur in *quid* tripliciter,

1 *Imperfectè* & *confuse* : & sic genus in (quid) prædicatur de specie, vt animal de homine; prædicatur enim *imperfectè* in (quid,) quia partem solum naturæ declarat; *confuse* autem; quia eam partem declarat, quæ confusa est, & alijs convenit.

2 *Perfectè*, & *confuse*; & sic species prædicatur in (quid) de individuis, vt homo de *Socrate*: prædicatur autem *perfectè*, quia totam essentiam *Socratis* declarat; sed tamen *confuse*, quia eam essentiam explicat, quæ licet in se *distincta*, respectu tamen *Socratis* est *confusa*, vtpote non solum *Socrati* conuenit, sed & alijs etiam hominibus.

3 *Perfectè* & *distinctè*, & sic definitio prædicatur in (quid) de specie, vt animal rationale de homine, prædicatur enim *perfectè* quia totam essentiã definiti explicat; prædicatur etiam *distinctè*, quia eam declarat essentiam, quæ distincta est & soli definito conuenit.

Quocirca cũ dicitur species prædicari de indiuiduis in (quid;) intelligitur in (quid) prædicari *perfectè*, vt a genere distinguatur, quod in (quid) prædicatur sed *imperfectè* & *indistinctè*, vt seiungatur à definitione, quæ in (quid) prædicatur, non *perfectè* solum sed & *distinctè*.

Notandum autem quod ad priorem differentiam, duæ etiam conditiones adijciendæ sunt, quarũ prior est ex parte *prædicatorum* intelligenda, cum enim *species* definitur id esse quod prædicatur de pluribus numero differentibus intelligitur, quod *immediate* de illis prædicatur vt genus excludatur, quod prædidatur de pluribus numero differentibus : vt animal dicitur de *Socrate & Platone*, sed non *immediate* & *proxime* sicut species sed (homine intercedẽte:) posterior conditio ex parte *subiectorum* intelligitur, cum enim dicitur species de pluribus numero differentibus prædicari; intelligitur de differentibus *solum* numero, nam aliter adjectio prior non sufficit, nam genus prædicatur *immediate*, de pluribus numero, i. de speciebus quæ numero necessario differunt,) cum differant specie, sed non prædicatur de pluribus solum numero differentibus & præcise; ijsque sc. quæ nullo alio modo differunt quam numero, quemadmodum species prædicatur.

SECT. 12.

SECT. 12.

In qua adhibetur applicatio eorum quæ dicta sunt de definitione.

Sic igitur definitionem speciei intelligite; species sc. (quatenus est prædicabilis, non quatenus est subijcibilis) est vniversale (quod prædicatur) formali aptitudine, i. quod est aptum natum, quantum ex parte formæ, (prædicari,) idque *immediate* non *remote*, (nam sic genus de ijs prædicatur) (de pluribus) i. de multis (numero differentibus) i. de multis individuis; in (quid) sc. *perfecte* & in *distincte*; hoc est cum apte respondetur ad quæstionem factam per *quid*, de individuis; v quid est *Socrates?* est homo. quid est *Bucephalus?* est equus. Ex istis autem tribus hujus definitionis partibus; per proximam. sc. per genus; i. (vniversale) *individua* excluduntur, quæ non sunt vniversalia, sed singularia; per priorem differentiam sc. prædicari immediatè de pluribus solum, distinguitur à *genere*, quod prædicatur de individuis; sed nec *immediate*, nec de ijs *solum*; per posteriorem differentiam, sc: (in quid,) excluduntur *cætera vniversalia*; *Differentia*, *Proprium*, & *Accidens*; quorum nullum in *quid* prędicatur, sed *differentia* in (quale quid;) *proprium* & *accidens* nude in (*quale.*)

SECT. 13.

In qua respondetur obiectionibns quæ huic speciei definitioni difficultatem afferunt.

Ob. Ista definitio generi convenit; nam animal quod genus est prædicatur in *quid*, de *Socrate*, & *Platone*; ergo non solum speciei; & proinde mala est.

Sol. Genus prædicatur de individuis, i. de differentibus numero, sed non de ijs tantum prædicatur.

2. Genus de ijs dicitur, sed *mediate* (intercedente ipsa specie) & ipsa species proxime.

3 Genus de ijs dicitur, sed *imperfecte*, & vt pars essentiæ; species autem *perfecte*, & vt tota essentia individuorum.

Ob. Sol. Luna, Stella, Phœnix, quodvis elementum, sunt species, sed non prædicantur de pluribus numero differentibus, cum non sunt, nec plures esse possunt, Soles, Lunæ, &c: ergo non convenit definitio omni speciei; antecedens manifestum est, quia per

essentiales differentias ab alijs rebus distinguantur, at omnis essentialis differentia est speciei constitutiva; vt docet *Porphyrius* in c. de differentiâ: text: 13. ergo aliquę species non prædicatur de pluribus differentibus *numero*, & per consequens mala est ejus definitio.

Sol. Phœnix prædicatur de pluribus actu, licet non *simul*, tamen *successiue*; de stellis & elementis aliter respondendum est.

Sol. 2. De sole & lunâ, dicendũ quod bifariam cõsiderantur, nempe aut

1 Quoad *formam*; & sic de pluribus prædicantur, non *actu* sed *aptitudine*, quia ipsa forma est apta ex se extendi ad plures.

2 Quoad *materiã*, & sic nec *actu* nec *aptitudine* de pluribus prædicantur, quia ipsa materia per se est singularis, & vim vniversam formæ intra se comprehendit, quocirca si *formam* per se spectetis, est non minus sol aptus de multis prædicari, quam homo; at si formam spectetis quatenus in *materia*, ita aptus non est; quia forma hominis divisa est in multis materijs, at forma solis, lunæ, &c. tota simul in eadem materia.

Hic obiter observate vulgarem *Dialecticorum* errorem, qui mundum sentiunt esse speciem; non est autem vllo modo, quia est aggregatum vnicâ materiâ non consistens, at vniversale est simplex & vnius naturæ.

Sol. 3. vel respondete quod sol, luna & cæteræ stellę bifariã considerantur, vel vt

1 *Conjuncta*, & *subiecta* sunt sensũj, & sensilibus accidentibus, & sic singularia sunt, quicquid enim sensu percipitur singulare est, & ineptum de multis dici.

2 *Abstracta*, & *separata* ab ijs; & intellectui objecta, i. quatenus ab intellectu separantur & ab omnibus sensibilibus accidentibus, & nudis suis naturis concipiuntur, & sic vniversalia sunt, & apta de pluribus prædicari, similiter respondendum de elementis.

Ob. Vniversalia & singularia contraria sunt, vt affirmat *Aristoteles* 1. Demonst. cap. 2. tex. 11: ergo cum species sit vniversale non prædicatur de suis singularibus; & per consequens non de pluribus numero differentibus.

Sol. Contraria duplicia sunt,

1 *Simpliciter*, & *intrinsece*, quæ ex suis naturis sunt contraria, vt calor & frigus, albedo & nigredo; &c.

2 *Secundum quid*, & *extrinsecè* quæ aliqua ex parte, aliquo modo, ac respectu contraria sunt, & sic vniversale & singulare contraria dicuntur ab *Aristotele*, quia contrario modo cognitio naturæ, & cognitio nostra in eâ versatur:

versatur;nam cognitio naturæ incipit ab vniversali,& progreditur ad singulare,contra,cognitio nostra incipit à singulari, & ad vniversale terminatur: quocirca non sunt contraria *absolute*, sed *respective*, quatenus sunt termini huius diversę cognitionis, idque ibi loci *Aristoteles* intelligit. priorum contrariorum non potest, posteriorum,vnum potest prædicari de altero.

Sol. 2. Vel dicendum (sed id minus ad locum *Aristotelis*) quod sunt contraria qnantum ad *notiones* ipsas, non vero quoad *res* notionibus significatas, nam notio, voxque vniversalis de singulari dici non potest, potest tamen *res* notione vniversalis intellecta,de re quæ est singularis: vt homo de *Socrate*.

Ob. Æternũ non prædicatur de caduco,& corruptibili,nam tum caducum esset æternum;at species æterna est;individua specierum caduca;vt per se notũ est: ergo species de individuis non prædicatur.

Sol. Species considerantur bifariã, vel quoad

1 *Essentiam*,& sic de individuis prædicantur,quia tota speciei essentia individuis convenit.

2 *Æternitatem*,& *durationem*, & secundum hanc de ijs prædicari non possũt, quia non convenit individuis æterna esse; quocirca species de individuis prædicãtur, quantum ad *naturam*, quantum autem ad omnem naturæ *conditionem*, & *modum*, non est necesse vt prædicentur; manifestò ergo in hoc argumento committitur fallacia accidentis.

Ob. Quod in alijs subsistit est imperfectum,& quod per se non subsistit,perfectione subsistendi per se caret, at species per se perfectum quiddam est,cum totam essentiam individuorum in se continet, ergo non est in ipsis individuis,& per consequens de ijs non prædicatur.

Sol. Aliquid est in alio bifariam, nimirum aut vt in subjecto per,

1 *Essentiã*,quod sc.ipsũ perficit,& constituit cui inest; & sic species inest individuis.

2 *Inhærentiam*, quod sc.ab ipso perficitur cui inest, & ab eo penitus dependet, & sic accidẽs inest in subjecto, vt in pariete, color; priori modo, quod inest in altero perfectum esse potest. posteriori non potest.

Sol. 2. Vel dicendũ duplex est perfectio,alia

1 *Essentiæ*, & hâc species in se perfecta est;& individuum ratione speciei.

2 *Existentiæ*, & hac species per se non est perfecta, sed hæc perfectio individuis convenit, eorum vero ratione,speciei.

Ob.

Ob. Homo ſpecies eſt, at nihilominus prædicatur de pluribus ſpecie differentibus, videlicet de viro & fœmina; vir enim & fœmina plus differunt quam duo viri, aut duæ fœminæ inter ſe; at duo viri numero differunt; ergo vir & fœmina plus differunt quam numero, & per conſequens ſpecie.

Sol. Differentia duplex eſt, alia

1 *Formalis*, quæ à ſubſtantiali rei formâ ſumitur, & quoad hanc non magis differunt vir & femina, quam inter ſe, duo viri; æque enim *rationales* ſunt.

2 *Materialis*; quæ materiam conſequitur, & quoad hanc, magis diſtinguuntur, 1. in *compoſitione* partium, quia aliæ ſunt materiales corporis partes viri, quam fœminæ; & è contra; 2. in *cõplexione*, quia vir calidior eſt & ſiccior fœmina; hæc autem eo magis frigida & humida; 3. In *ſexu* & *potentia*, quia vir *actiue*, fœmina, *paſſiue* in generatione concurrit, & hoc eſt maximè proprium eorum diſcrimen.

Ob. Quæ ſunt diverſæ ſpecies, ea differunt ſpecie, vir & fœmina, diverſæ ſunt ſpecies, nam ſi ſunt vna eademq; ſpecies, tũ affirmantur de ijſdem individuis, (nam aliter eadem ſpecies & poſſit prædicari de ijſdem individuis & non poſſit quod contradictionem implicat,) ſed non affirmãtur, nam vir affirmatur de omnibus ſingularibus viris; ſed fœmina de ijs non affirmatur, nam tum vir eſſet fœmina; ergo.

Sol. Vir & fœmina ſumuntur bifariam, vel

1 *Abſolute*, & *materialiter*, pro ipſis hominibus qui ſunt vir & fœmina; & ſic (vt dixi) *eſſentialiter* cõveniũt, nec *ſpecie* diſtinguuntur, ſed ſolum *accidente*, ſc. *Sexu*.

2 *Comparate*, & *formaliter* pro ipſo ſexu, & ſic quidem ſpecie diſtinguuntur, ſic autem ſubſtantiæ non ſunt, ſed ex ſecunda Qualitatis ſpecie: quocirca ſunt diuerſæ ſpecies in Genere *Sexus*, ſed non Genere *homiais*.

Igitur obſervandum quod hæc prædicatio, homo eſt vir, non eſt eſſentialis, ſed accidentalis, ſicut hæc eſt accidentalis, homo eſt calidus, & proinde non prædicatur in *quid*, de viris (ſi viri materialiter ſumantur pro ipſis hominibus qui viri ſunt.) ſed in *quale*, ideoque de ijs nec vir, nec fœmina, vt ſpecies enunciatur.

Ob. Differre forma eſt differre ſpecie *Ariſtoteles:* 2. Metaph. cap: 8. at individua ejuſdem ſpeciei, vt *Socrates*, & *Plato*, differunt forma; quia

quia diversas animas rationales habent, (nam aliter, vnus eorum non potest mori sine altero; cum mors nihil aliud est quam separatio animæ à corpore) ergo differunt specie, & per consequens homo prædicatur de differentibus specie:

Sol. Forma duplex est, vel
- *Vniversalis*, & hâc formâ differre, est differre specie, & sic *Socrates* ab alijs hominibus non differt.
- *Singularis*, & hâc formâ differre non est specie differre, sed numero; & sic solum *Plato* & *Socrates* differunt.

Ob. Quæ definitione idem sunt, numero sunt idem: 1. Topic: cap. 7. text. 6. at individua eiusdem speciei eadem sunt definitione cum omnis individuus homo sit animal rationale, quod est definitio hominis: ergo sunt idem numero; & per consequens, species non prædicatur de pluribus numero differentibus.

Sol. Eadem definitione dicuntur bifariam, sc: aut
1. Quorum vnum est definitio alterius: vt, animal rationale & homo.
2. Quæ ambo in eadem definitione conveniunt, vt *Socrates* & *Plato*, et homines singulares in hominis definitione: quæ priori modo sunt idem definitione sunt idem numero, sed quæ posteriori modo sunt idem definitione, non sunt idem numero, sed idem specie, quatenus eiusdem speciei definitionem participant.

Ob. Ea sunt eadem numero quorum materia est eadem, 5. Metaphys. text. 12. at inviduorum eiusdem speciei eadem est materia; nam omnium quæ generantur et corrumpuntur eadem est materia: 2° de Generatione, text: 2. ergo sunt eadem numero, et sic species de numero differentibus non prædicatur.

Sol. Ea sunt eadem numero quorum materia est singularis, vel numero eadem; omnium autem generabilium eadem est materia non singularis, sed eadem specie et vniversalis; habent igitur individua ejusdem speciei eandem materiam, sed vniversalem; singularem autem diversam;

Sol. 2. Vel dicendum; eandem esse omnium materiam, quoad *essentiam*, sed diversam quoad *existentiam*; habet enim materia essentiam *per se*, existentiam vero à *formâ*, vnde fit vt pro diversitate formarum quibus subijcitur, in existentiâ sit diversa, in essentiâ sub omnibus eadem.

Ob. *Petrus* et *Paulus* conveniunt in binario numero, ergo in numero non differunt, et per consequens, species de differentibus numero non prædicatur.

Sol. Numero differre dicuntur, aut quæ
- 1 *Diverſos numeros* conſtituunt, & ſic numero non poſſunt differre, cum quilibet eorum ſit vnus tantum.
- 2 *Diverſas vnitates*, eiuſdem numeri faciunt, & ſic omnes ſingulares homines in numero differunt, quia inter numerandum diverſas numeri vnitates faciunt.

Sol. 2 Numerus eſt duplex, aut
- 1 *Formalis* & *numerans*, & ſic deſignat multitudinem quam numeramus: vt, duo, tria, &c.
- 2 *Materialis* & *numeratus*, & ſic denotat res quæ numerantur: vt, duo homines, tres leones, &c. quocirca, quamvis priori numero conveniunt, poſteriori tamen differunt, quia ipſæ res quæ numerantur ſunt diverſæ.

Ob. Si Species recte definiatur tum homo eſt Species, quia capit ejus definitionem; non eſt autem, quia tum aliquis homo eſſet Species, conſequentia manifeſta eſt, quia aut aliquis homo Species eſt, aut nullus homo Species eſt, (eſt enim argumentum á contradictorijs) ſi nullus homo, ergo non homo vniverſalis; ſi aliquis homo, individuum, nam aliquis homo individuum vagum eſt, ergo.

Sol. Aliquis homo dicitur bifariam vel vt *aliquis* determinat
- 1 *Remipſam*, & ſic aliquis homo Species eſſe non poteſt; quia ſignum homini additum facit individuum vagum, idq; æquè valet quod homo ſingularis.
- 2 *Modum rei*; ad hunc ſenſum, i. homo, aliquo modo ſumptus, ſpecies eſt, & ſic aliquis homo, pro homine vniverſali acceptus Species eſſe poſſit.

Quantumvis, brevius reſponderi poſſit, certitudinem argumenti á contradictorijs vim retinere in prædicatione *reali*, ſc. vbi res de re prædicatur; non *intentionali*, vbi vox artis prædicatur.

Ob. Si Species (in quid) prædicetur de individuis, tum prædicatur ſecundum eſſentiam individuorum; at individua eſſentiam non habent, nam ſi eſſentiam haberent, tum & definitionem; at omnis definitio eſt vniverſalis, 1. Poſter. Analyt. cap. 8. text. 2. ergo de ijs (in quid) non prædicatur.

Sol. Individua bifariàm conſiderantur, vel
- 1 *Abſolutè*, in ſeipſis & (dialecticè conſiderata) nullam eſſentiam habent.
- 2 *Reſpectivè*, in ordine ad ſpeciem, quatenus ſub Specie comprehenduntur, & ſic eſſentiam habent non ſuam & peculiarem, ſed communem á

Specie

Specie, vt *Socrates* qua *Socrates* nullam eſſentiam *dialecticè* conſideratam habet, tanquam ſuam & propriam, ſed in eo quod eſt homo habet eſſentiam ſibi & alijs ſingularibus communem.

Ob. Materia capit definitionem ſpeciei, quia prædicatur de materiâ *Socratis* & equi, & aliorum corporum in quid, ſed non eſt ſpecies, ergo definitio convenit alijs à definito, minor facile patet, nam omnis ſpecies eſt forma; & materia non eſt forma: ergo materia non eſt ſpecies.

Sol. Materia bifariam conſideratur, aut
1 Reſpectu *formæ*, à quâ perfectionem recipit & informatur.
2 Reſpectu *huius* vel *illius materiæ* quibus perfectionem tribuit; priori ſolum modo nomen materiæ habet ſibi inditum; poſteriori modo forma vere appellari poteſt, non qua forma *phyſica* & informans, ſed forma *dialectica* quæ explicat ſubiecti naturam.

SECT. 14.

De diviſione Speciei in ſpecialiſſimam, & ſubalternam; & de ſubalternæ definitione.

Species eſt duplex, ſcil.
1 *Subalterna*, quæ et interiecta, & media à *dialecticis* appellatur, & nihil aliud eſt quam Genus ſubalternum, vt animal.
2 *Specialiſſima*, quæ & *ima*, & *infima* nominatur, vt homo.

Species ſubalterna, à *Porphyrio* definitur, *quæ & Genus eſt, & Species:* vt, corpus, animal; ad quam definitionem intelligendam, notandum quod

Species ſubalterna duplicem habet reſpectũ, alterum
1 *In aſcenſu* ad ſuperiora genera; & ſic Species quia ponitur ſub genere; Species ſc. ſubijcibilis eſt.
2 *In deſcenſu* ad inferiora: ſc. ad ſuas Species quas ſub ſe comprehendit, & ſic eſt Genus (vt verbi gratiâ) animal continetur ſub corpore; igitur ad corpus relatum Species eſt; & continet ſub ſe hominem & brutum, ergo eorum reſpectu eſt Genus.

De nomine autem dicendum (quod de ſubalterno Genere notavimus) Speciem, ſc. Subalternam appellari, non quia ſub *altero* ponitur, nam ſic Species infima eſſet ſubalterna, cum contineatur ſub Genere; ſed quia ſubalterno ſe modo habet; aliquo modo eſt Genus, aliquo

modo est species; sic igitur definitionem intelligite; (Species subalterna est quæ) sc: est species quæ (& genus est) respectu sc: earum specierum quas sub se continet, (& species) nempe subijcibilis tantum respectu eorum generum sub quibus continetur.

SECT. 15.

De definitione Speciei specialissimæ, eiusq; expositione.

Species autem specialissima, aut infima tripliciter à *Porphyrio* definitur.

Definitio 1ª. *Species infima est, quæ species solum est non autem Genus*, vnde cum subalterna partim convenit in eo quod vtraque species est, quia sub genere vtraque continetur; & partim ab eâ etiam discrepat, quia illa quoq; genus est respectu inferiorum, quia de pluribus speciebus prædicatur; at species infima quovis modo comparata semper species manet, quia non prædicatur de pluribus speciebus, sed solum de individuis: vt, homo, equus, asinus, &c.

Convenit ergo cum subalternâ quod duplicem relationem habet, sicuti illa; sed in eo differunt quod species subalterna cum relatione nomen mutat, sed infima in quavis relatione nomen retinet speciei.

Notandum enim quod sicut est aliquid in Prædicamento quod genus solum est, & non etiam species, sc. genus generalissimum, & alia quæ & genera sunt & species, sc. subalterna: sic & aliquod etiam est, quod species solum est, non etiam genus, vt species infima.

Ob. Omnia vsque ad individua genera sunt 3ª: Mataphy. text. 11. ergo infima species genus est.

Sol. Individuum aliquid dicitur bifariam, aut

1 *Simpliciter* quod nullo modo in inferiora subiecta dividi potest, & sic singulare solum individuum dicitur: vt, *Socrates*, &c.

2 *Comparatè*, quod non potest dividi in plura inferiora vniversalia, & sic infima species individua est: vt, homo, non quod homo dividi non potest, sed quod non dividitur in aliquas species; & sic intelligendus est *Aristoteles*; omnia vsque ad individua, sc. omnia vsque ad individuas species sunt genera.

Sol. 2. Aliquid di-

1 *Formaliter*, quod per formales differentias alterius dividi non potest, & species infima sic est individua, quia ad sua individua non per *formales* differentias, sed

materiales

citur individuum bifariam, aut

materiales quaſdam proprietates contrahitur.

2 *Materialiter*, quod per materiales differentias dividi non poteſt in inferiora, & ſic ſingulare individuum ſolum eſt.

Ob. Id quod prædicatur in quid de pluribus differentibus ſpecie, genus eſt; ſed ſpecies infima ita prædicatur, homo enim eſt ſpecies infima; at affirmatur de ſingularibus hominibus qui ſpecie differunt, vt *Ariſtoteles* affirmat: lib. de longitudine & brevitate vitæ; cap. 1. ergo eſt genus.

Sol. Homo vnus ab altero dicitur ab *Ariſtotele* differre, ſecundum ſpeciem *vitæ*, non *naturæ*: ſunt enim omnes ejuſdem ſpecificæ naturæ; ſed non eſt eadem ſpecialis periodus, & ſpatium vitæ, omnibus hominibus, ſed pro temperaturæ diverſitate, diverſas habent durationis ſpecies, ſc. ſpeciales periodos aut terminos vitæ.

Ob. *Rodolphus* aſſerit lib. 1. cap. 6. ſpeciei nomen ſolum datum eſſe reſpectu generis; ad individua vero relatum, generis faciem induere, ergo infima ſpecies eſt genus.

Sol. Species conſideratur aut quoad rationem

1 *Prædicandi*, & ſic ſpecies infima nullâ ratione eſt genus, quia diſtincta habet ſubiecta de quibus prædicatur.

2 *Argumentandi*: ſc. quatenus argumenta ab ea ducuntur; & ſic ſpecies infima reſpectu individuorum genus appellatur, quia idem eſt modus argumentandi inter ſpeciem & individua, qui eſt inter genus & ſuas *ſpecies*, non igitur *ſimpliciter* & *propriè* ſpecies eſt genus, ſed *analogicè* & ſecundum quid.

SECT. 16.

De ſecundâ tertiâq; infimæ ſpeciei definitione.

Secunda ſpeciei infimæ definitio eſt, *Species eſt quæ dividi non poteſt in ſpecies inferiores*; quæ definitio ex ſuperioribus ſatis clara eſt.

Diviſio alia eſt, nempe

Formalis, quando aliquid per differentias eſſentiales eſſentiam ſubiectorum conſtituentes dividitur.

Materialis, quando ſolum per proprietates materiã ſequentes dividitur: *prior* dividẽdi modus generi cõvenit;

posterior speciei; cuius ratio est, quia Genus imperfectæ naturæ est; ideoq; illi potest alia differentia superaddi; at Species perfecta est natura; ideoque *naturæ* accessionem non patitur, sed solummodo *accidentium*.

Tertia autem infimæ speciei definitio est; *Species est quæ prædicatur de pluribus numero differentibus in quid*: quàm definitionem anteà explicavimus; ex istis quæ diximus satis manifestum est, speciem subalternam & subijcibilem eandem esse; eamque duabus primis definitionibus definitam esse; tertiam vero infimæ speciei solum convenire; eamq; esse quæ prædicabilis & subijcibilis dicitur, & hæc sola *propriè* & *perfectè* species est; & secundum prædicabile constituit.

SECT. 17

Pag. 63.

SECT. 17.

Demonſtrationem præcedentium ab exemplo vnico, idque exemplo prædicamentali faciemus luculentiorem.

Genus { *Subſtantia* } Generaliſſimum.

Species | Genus

Corpus

Species | Genus

Genera { *Animatum* } Subalterna,

Corpus

Species | Genus

Animal

Species | Genus

Species { *Homo* } Specialiſſima.

Species | Species

Socrates

Individuum.

In quibus videtis ſubſtantiam quæ genus generaliſſimum eſt, nulli alteri generi ſubjectam, & proinde ſpecies eſſe non poteſt, ſed ſolum genus: deinde corpus, animatum corpus, animal, & ſupra ſe habere aliud genus, & ſub ſe alias ſpecies; et proinde & ipſa genera ſunt reſpectu inferiorum, & ſpecies reſpectu ſuperiorum: denique hominem inter vniverſalia infimum eſſe, & ſub ſe nullas ſpecies continere, ſed ſolum individua, vnde ſpecies ſolùm eſt non etiam Genus.

SECT. 18.

posterio
naturæ e
at Speci
nem nor

Tertia autem infima
de pluribus numero diffe
plicavimus; exiſtis qu
ternam & ſubijcibilem
nibus definitam eſſe;
eamq; eſſe quæ præ
propriè &

SECT. 18.

De Nominibus ſpeciei infimæ, & ſubalternæ.

Notandum quòd ſpecies ſubalternæ nomen obtinent, aut a

1 *Situ*, & *loco*, quem in Prædicamento occupant, & ſic *mediæ* appellantur & *interiectæ*.

2 *Variâ habitudine*, & nominis *mutatione*; & ſic nominantur *ſubalternæ*, quatenus ſubalternatim, ad ſuperiora & inferiora diverſis reſpectibus nomen generis & ſpeciei recipiunt.

Notandum quod medium eſt triplex, aut

1° *Poſitionis*, quod in medio loco eſt; vt centrum reſpectu circumferentiæ in circulo.

2° *Participationis*; quod in mediâ naturâ eſt ex extremis contemperatis conflatum: vt, rubor inter albedinem, & nigredinem.

3° *Prædicationis*, quod in mediâ habitudine eſt, & ſic ſpecies ſubalterna media dicitur; quia nec genus ſolum eſt, vt generaliſſimum, nec ſpecies ſolum vt ſpecialiſſima, ſed medio ſe modo gerit; aliqua ratione genus eſt, & aliqua ratione ſpecies; ita vt alijs iſta ſubijciatur, & de alijs vtique prædicetur.

Infima etiam ſpecies dominatur partim,

1 à *Situ*, & ſic *infima* appellatur, quia eſt in imo prædicamenti loco, non *ſimpliciter* in infimo, ſed *reſpectu univerſalium*.

2 ab *Ambitu*; & ſic *ſpecialiſſima* nuncupatur, quia ambitu ſuo nullas ſpecies ſed ſolum individua complectitur.

SECT. 19.

1° *De ipſo diviſo prædictæ diviſionis*: 2°, *Qualis ſit diviſio*: 3°, *An omnes ſpecies contineat?*

Accuratè obſervandum eſt quod (ſicut de Genere ſuprà diximus,) a de ſpeciei diviſione dicendum, non ſpeciem *generaliſſimè* ſumptam hic dividi in ſpeciem infimam & ſubalternam; (nam ſpecies illæ quæ prædicabiles ſolum ſunt: vt, punctum, vnitas, &c. quæ propter ſuam imperfectionem ſub nullo genere continentur, nec infimæ ſunt nec ſubalternæ quia genera eſſe non poſſunt, cum prædicentur de individuis; quocirca, non omnis ſpecies hic dividitur, ſed ſpecies perfecta,

fecta, & quæ *directè* in prædicamento ponitur: at omnis talis ſpecies aut ſubalterna eſt aut infima; aliàs autem in hâc definitione contineri non neceſſariò verum eſt; quod ſi velitis eandem diviſionem ad omnem ſpeciem extendere, ſic diſtinguendum eſt

Nomen infimæ ſpeciei ſumitur bifariam,
- 1 *Poſitivè*, pro eâ quæ eſt omnibus alijs inferior, in hoc ſenſu multæ ſunt ſpecies, quæ nec infimæ nec ſubalternæ ſunt, nam punctum, vnitas: &c. non ſunt inferiora cæteris ſpeciebus, cum ſub nullo genere aut ſpecie continentur.
- 2 *Negativè*; quâ non aliqua inferior eſt, et ſi in hoc ſenſu nomẽ (infimę) ſumatur, diviſio omnes ſpecies in ſe comprehendit, quia non eſt vlla ſpecies vnitate, & puncto, &c. inferior.

Notandum autem, quod hæc ſpeciei in infimam & ſubalternam diviſio; non eſt diviſio generis in ſuas ſpecies, quia non eſt aliqua communis ſpeciei definitio, in quâ vtræque ſpecies conveniunt; ſed eſt diviſio analogi in ſua analogata, quia ſpeciei nomen magis deſignat & prius, ſpeciem ſpecialiſſimam, quam ſubalternam.

SECT. 20.

In quâ dubitationes de prædictâ diviſione ſolvuntur.

Ob. Mala eſt diviſio vbi vnum membrum prædicatur de altero; ſed ita eſt in hâc diviſione; nam ſpecies ſubalterna prædicatur de ſpecie infimâ: vt, animal de homine, ergo.

Sol. Fallacia committitur accidentis, in digreſſu à vocibus ad res; reſpondeo igitur

Speciem ſubalternam & infimam bifariam ſpectari poſſe, aut quoad
- 1 *Fundamenta intentionum*, i. res ipſas, quæ iſtis nominibus deſignantur, vt (verbi gratiâ) animal de homine, &c: & ſic ſubalterna prædicatur de infimâ.
- 2 *Intentiones ipſas*; & ſic vnum de altero non prædicatur, non enim verum eſt, ſpeciem infimam eſſe ſubalternam; ſic autem hic dividitur.

Ob. Si recte definiatur ſpecies ſubalterna, tum corpus animatum eſſet ſpecies ſubalterna; (nam pro exemplo ſubalternæ ſpeciei à *Porphyrio* adducitur, cap. de Specie: text. 24.) at non eſt, nam omnis ſpecies eſt vniverſalis, omne vniuerſale, incomplexum; at corpus animatum

animatum est complexum , cum ex pluribus constat vocibus ergo

Sol. Complexum est duplex, aut
1. *Voce*, & sic corpus animatum complexum est.
2. *Significatione*, & sic partim complexum, & partim incomplexum est.

Complexũ enim significatione duplex est, vel respectu
1. *Significationis immediatæ*, sic est complexum, quia immediatè plures res significat; rem sc. quæ est genus, ut *Corpus*, & quæ differentia est, ut *animatum*.
2. *Mediatæ significationis*, sic est incomplexum, quia mediate vnam rem significat, eam sc. speciem subalternam quæ ex istis duabus partibus conflata est: sic autem pro specie à *Porphyrio* ponitur.

Notandum igitur quod *Porphyrius* corpus animatum, & cætera complexa, esse genera intelligit, non quatenus complexa sunt, sed quatenus rem simplicem denotant, cujus nullum nomen simplex occurrebat, ideoq; necessarium fuit, vt complexa pro simplicibus vsurparet.

Ob. Animal rationale ponitur pro exemplo à *Porphyrio* subalternæ speciei, & genere hominis, at vtrumq; falsum est, tum quia est complexum, tum quia definitio est hominis, & proinde soli homini convenit, non verò dijs, ut *Porphyrius* dicit.

Sol. Porphyrius in præceptis *Arist.* imitatur, in exemplis *Platonem*; qui per deos, Cœlos intelligit, quos secundos deos in *Timæo* appellat; deos (inquam) non *essentiâ*, nam sic vnicum agnoscit ipse, sed *participatione* quadam divinitatis, quoad providentiam & operationem; Cœli autem animalia dicuntur, non per intrinsecam animæ *informationem* sicuti homines, sed per extrinsecam *assistentiam* intelligentiarum, id est angelorum, qui etiam rationales dicuntur.

Ob. Aer est species infima, sed habet sub se species inferiores, sc. terram & aquam; ergo secunda divisio speciei infimæ mala est.

Sol. Habet alias species sub se in ordine *vniversi*; non in ordine *prædicamenti*, alias habet sub se In *positurâ loci*, non in *amplitudine naturæ*, de quibus prædicari possit, sicut in eâ definitione intelligitur.

Sol. 2. Duæ conditiones requiruntur, ut aliqua ſpecies ſit in prædicamento, altera ſc.
1. *Ex parte extenſionis*, ut prædicetur de pluribus differentibus numero in *quid*.
2. *Ex parte eſſentiæ*, ut ſit perfectæ naturæ, non ſolùm alterius inchoativum principium, ut punctum, vnitas; aut partes integrales, ut manus, pes, &c. omnis autem ſpecies quæ utraſque participat conditiones, aut ſubalterna eſt, aut infima.

Ob. Species capit definitionem generis, 4. Topic. cap. 1. text. 6. ergo ſpecies eſt genus; definitio enim generis ſoli Generi convenit.

Sol. Verum eſt in *rebus*, non *intentionibus*, realis enim ſpecies capit definitionem realis generis ſui, ut homo animalis, at intentio ſpeciei definitionem generis non recipit.

Ob. Corpus animatum non eſt Genus animalis, nec Corpus, ut docet *Ariſtoteles* 4. Topic. Cap. 5. text. 6. ergo malè ponit *Porphyrius* Generum, & ſpecierum ſubalternarum exempla.

Sol. Corpus ſumitur bifariam, aut
1. *Phyſicè*, pro materiali parte compoſiti, quomodo dicimus hominem ex corpore & animâ cõfici, & ſic genus animalis eſſe non poteſt. & in eo ſenſu *Ariſt.* eo loco ſumit.
2. *Logicè*, pro perfectâ ſubſtantiâ corporeâ, id eſt, pro compoſito ex materiâ & formâ, ſic autem eſt genus animalis, & ſic à *Porphyrio* accipitur.

Ob. Vnum relativorum ſine altero definiri non poteſt, at notum eſt quod Genus & Species relata ſunt, vt ipſe *Porphyrius* fatetur, in hoc Capite text. 20; ergo iſta definitio infimæ ſpeciei, vbi Genus non ponitur, mala eſt.

Sol. Species duplicem habet definitionem, alteram quatenus
1. *Subiicibilis* eſt, & quiddam inferius, & ſic ad genus refertur, itaq; quatenus eſt *ſubiicibilis*, definiri non poteſt ſine Genere, ut in primis duabus definitionibus ſpeciei.
2. *Prædicabilis eſt*, & quiddam ſuperius, & ſic ad Genus non refertur, ſed ad individua, atq; hoc modo conſiderata non oportet per genus definiri.

Ob. At *Porphyrius* affirmat in hoc capite ſpeciem infimam unam ſolum habitudinem obtinere. Text. 27. ergo non refertur & ad genus & ad individua.

Sol. Habitudo ſpeciei eſt duplex, alia.
1. *Ordinationis*, & hanc habet duplicem, quia refertur ad genus ut ejus *ſubiectum*, ad individua vt eorum *prædicatum*.

2. *Denõ*

2. *Denominationis*, & hanc sanè unicam habet, quia in utrâq; relatione idem nomen obtinet speciei, at *Porphyrius* hic intelligit vnicam solum esse habitudinem quoad nomen, quia nomen, non mutat cum respectu. Hactenus de Specie.

SECT. 21.

De Individuo, & primo de ipsius individui nomine, eiusq; explicatione.

Individuum considerat̃ dupliciter, vel
1. *Relativè*, quatenus subjicitur vniversali, & sic appellatur *singulare*.
2. *Absolutè*, quatenus in seipso consideratum est, & dividi non potest in inferiora, sic *individuum* nominatur, ut *Socrates* quatenus homini subjectus, *singularis*; quatenus ipse indivisibilis, *individuum* dicitur.

Ob. Omne quod totum est, & habet partes, potest dividi: at *Socrates*, & alia singularia partes habent, ergo dividi possunt, & consequenter non sunt individua.

Sol. Partes sunt duplices, aliæ
1. *Integrales*, quæ materialem rei integritatem conficiunt, ut in *socrate*, Manus, Pes, Brachium, &c.
2. *Vniversales*, quæ sunt inferiores aliquo, ut homo et brutum, sunt partes animalis: *Socrates* & *Plato*, &c. sunt partes hominis; In *integrales* igitur partes individua dividi possunt, at non possunt dividi in partes *vniversales*.

Notandum quod individuum capitur dupliciter, aut
1. *Materialiter*, et sic importat rem certam et singularem, i. quæ nequit in inferiora aliqua dividi, vt *Socrates*, *Plato*, *&c*.
2. *Formalitr*, et sic denotat ipsam talis rei individuationem et singularitatem.

Individuum formaliter sumptum includit tria, sc.
1. *Contractionem* specificæ naturæ ad singularẽ.
2. *Divisionem* naturæ, in alia inferiora subjecta.
3. *Distinctionem*, divisionemq; ab omnibus alijs ejusdem speciei.

SECT. 22.

De definitione Individui ab Aristotele *assignatâ, einsq; explicatione.*

Individuũ dupliciter definitur, aut quoad
- 1. *Affectionem*, & quatenus quid vnum & indiviſum eſt, & ſic ab *Ariſtotele* definitur, quod de vno ſolo prædicatur.
- 2. *Principium*, & quatenus à cæteris quiddam diſtinctum eſt atq; diviſum, et ſic definitur à *Porphyrio*.

Ob. Individuum prædicatur de *Socrate* et *Platone*, et omnibus deniq; ſingularibus, nam *Plato* eſt Individuum, et *Socrates* etc. ergo individuum non de vno ſolo prædicatur.

Sol. Individuum capitur aut pro
- 1. *Intentione*, et *nomine* Individui, et hoc quidem de multis prædicatur.
- 2. *Re* huic nomini ſubiectâ, ut pro *Socrate*, *Bucephalo*, et ſic de vno ſolo prædicatur.

Ob. A primâ ſubſtantiâ nulla prædicatio ſumitur, ut *Arſtoteles* affirmat Cap. de Subſtantiâ text. 15. at prima ſubſtantia eſt individuum, ergo nec de uno prædicatur.

Sol. Prædicatio eſt duplex, alia
- 1. *Formalis*, et *ordinata*, quâ id quod ſuperius eſt prædicatur de eo quod inferius eſt, ut cùm homo prædicatur de *Socrate*.
- 2. *Identica* quando idem prædicatur de ſeipſo, ut *Socrates* eſt *Socrates*; cùm igitur *Ariſtoteles* affirmat individuum prædicari de *uno*, intelligit prædicari *identicè*, et tanquam de *ſeipſo*; quando autem de *nullo* prædicari aſſerit; intelligit *formaliter*, et tanquam de *Subiecto*.

SECT. 23.

De definitione individui à Porphyrio *aſſignata.*

Individuum à *Porphyrio* definitur; per ipſa individuationis principia, hunc in modum: *Individuum eſt quod conſiſtit ex iis proprietatibus, quarum omnium collectio nunquam eadem erit in altero.*

Ad

Ad quam definitionem intelligendam, notandum quod

Proprietates duplices sunt
1. *Communes*, quæ naturam generis et speciei sequuntur; vt est in *Socrate* facultas sentiendi, intelligendi, rîdendi, et in istis, ab alijs individuis, alterum non dissidet.
2. *Singulares*, quæ peculiarem individui naturam comitantur; ut quæ proprietates *Socrati* conveniunt quatenus *Socrates*, et eæ intelliguntur in definitione.

Proprietates autem quæ sunt principia individuationis, sunt septem, isto versu comprehensæ:

Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus.

Per formam autem non formam *substantialem* intelligit (vt est anima in *Socrate*) sed formam *Qualitatis*, id est temperaturam; per figuram, lineamentum Corporis, *proprium*, non *commune*; intelligite; per locum, particularem, non communem: per patriam, locum in quo generatur; per tempus, certam, et definitam temporis partem in qua existit.

Notandum, quod quælibet harum proprietatum per se individuũ non facit, sed collectio, et complexio omnium, nam aliqua individua, in aliquibus earum convenire possunt, at in totâ complexione, id est, in omnibus convenire impossibile est; ideoq; quæ in vno sunt, in altero easdem omnes esse fieri non potest.

SECT. 24.

In quâ dubitationes de Individui definitione exponuntur.

Ob. Individuum omne est singulare cùm non sit vniversale, at singulare definiri non potest, 2. demonst. cap. 8. text. 2. ergo

Sol. Respondeo esse duplicem definitionem, aliam
1. *Realem*, et talem definitionem, nullam habet propriam res individua, vt *Socrates* quatenus *Socrates* non definitur.
2. *Intentionalem*, et talem recipere potest, talis autem est hæc definitio à *Porphyrio* assignata; quocirca licet aliquod individuum, quatenus *res est* definiri non potest, tamen quatenus subsistat intentioni *individui* definiri potest.

SECT. 22.

De definitione Individui ab Aristotele *assignatâ, eiusq; explicatione.*

Individuũ dupliciter definitur, aut quoad
- 1. *Affectionem*, & quatenus quid vnum & indiviſum eſt, & ſic ab *Ariſtotele* definitur, quod de vno ſolo prædicatur.
- 2. *Principium*, & quatenus à cæteris quiddam diſtinctum eſt atq; diviſum, et ſic definitur à *Porphyrio*.

Ob. Individuum prædicatur de *Socrate* et *Platone*, et omnibus deniq; ſingularibus, nam *Plato* eſt Individuum, et *Socrates* etc. ergo individuum non de vno ſolo prædicatur.

Sol. Individuum capitur aut pro
- 1, *Intentione*, et *nomine* Individui, et hoc quidem de multis prædicatur.
- 2. *Re* huic nomini ſubiectâ, ut pro *Socrate*, *Bucephalo*, et ſic de vno ſolo prædicatur.

Ob. A primâ ſubſtantiâ nulla prædicatio ſumitur, ut *Arſtoteles* affirmat Cap. de Subſtantiâ text. 15. at prima ſubſtantia eſt individuum, ergo nec de uno prædicatur.

Sol. Prædicatio eſt duplex, alia
- 1. *Formalis*, et *ordinata*, quâ id quod ſuperius eſt prædicatur de eo quod inferius eſt, ut cùm homo prædicatur de *Socrate*.
- 2. *Identica* quando idem prædicatur de ſeipſo, ut *Socrates* eſt *Socrates*; cùm igitur *Ariſtoteles* affirmat individuum prædicari de *uno*, intelligit prædicari *identicè*, et tanquam de *ſeipſo*; quando autem de *nullo* prædicari aſſerit; intelligit *formaliter*, et tanquam de *Subiecto*.

SECT. 23.

De definitione individui à Porphyrio *aſſignata.*

Individuum à *Porphyrio* definitur; per ipſa individuationis principia, hunc in modum: *Individuum eſt quod conſiſtit ex iis proprietatibus, quarum omnium collectio nunquam eadem erit in altero.*

Ad

Ad quam definitionem intelligendam, notandum quod

Proprietates duplices sunt
- 1. *Communes*, quæ naturam generis et speciei sequuntur; vt est in *Socrate* facultas sentiendi, intelligendi, ridendi, et in istis, ab alijs individuis, alterum non dissidet.
- 2. *Singulares*, quæ peculiarem individui naturam comitantur; ut quæ proprietates *Socrati* conveniunt quatenus *Socrates*, et eæ intelliguntur in definitione.

Proprietates autem quæ sunt principia individuationis, sunt septem, isto versu comprehensæ:

Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus.

Per formam autem non formam *substantialem* intelligit (vt est anima in *Socrate*) sed formam *Qualitatis*, id est temperaturam; per figuram, lineamentum Corporis, *proprium*, non *commune*; intelligite; per locum, particularem, non communem: per patriam, locum in quo generatur; per tempus, certam, et definitam temporis partem in qua existit.

Notandum, quod quælibet harum proprietatum per se individuū non facit, sed collectio, et complexio omnium, nam aliqua individua, in aliquibus earum convenire possunt, at in totâ complexione, id est, in omnibus convenire impossibile est; ideoq; quæ in vno sunt, in altero easdem omnes esse fieri non potest.

SECT. 24.

In quâ dubitationes de Individui definitione exponuntur.

Ob. Individuum omne est singulare cùm non sit vniversale, at singulare definiri non potest, 2. demonst. cap. 8. text. 2. ergo

Sol. Respondeo esse duplicem definitionem, aliam
- 1. *Realem*, et talem definitionem, nullam habet propriam res individua, vt *Socrates* quatenus *Socrates* non definitur.
- 2. *Intentionalem*, et talem recipere potest, talis autem est hæc definitio à *Porphyrio* assignata; quocirca licet aliquod individuum, quatenus *res est* definiri non potest, tamen quatenus substat intentioni *individui* definiri potest.

Ob. Aliquod individuum est substantia, ut *Socrates &c.* ut nulla substantia consistere potest ex proprietatibus, cum proprietates sint accidentia, ergo individuum malè definitur.

Sol. In Individuo duo spectantur, sc-

1. *Natura*, et *essentia*, et sic quidem non constant substantiæ singulares aut individuæ ex proprietatibus.

2. *Individuatio naturæ*, ejusq; *discretio* ab alijs et sic potest consistere ex proprietatibus, quocirca licet *Socrates* quatenus *Socrates* substantia est, et non constat ex accidentibus, tamen quatenus individua substantia est, ex ijs constat; cùm istæ proprietates, licet non sint principia *naturæ*, sunt tamen principia *singularitatis*, et distinctionis ejus ab aliis.

SECT. 25.

De Individui divisione, & quot modis Individuum dicatur.

Individuum à Dialecticis hic distribuitur, velut

1. *Indeterminatum*, quod *vagum* appellant, ut cum rei vniversali particulare signum adjungitur, ut aliquis homo, quidam lapis, &c. appellatur autem vagum, non quia quoad *rem* ipsam indeterminatum est, nam res ipsa certa et finita est; sed respectu *nostri*, quia certum non habet sensum in nostro intellectu, sed ad diversas res applicari potest.

2. *Determinatum*, idq;

est triplex, vel est

1. Ex nomine *proprio* et singulari, vt *Petrus*, *Paulus*, *&c.*

2. Ex *demonstratione*, ut cùm rei vniversali singulare signum adjicitur, et res quasi digito demonstratur, vt hic homo, ille lapis, ista arbor, hic equus, ille puer.

3. Ex *hypothesi*, vt cum communi per se nomine res una et certa ex suppositione intelligitur, vt filius *Philippi* individuum est (hoc supposito) quod nullum habuit filium præter *Alexandrum*.

Ob. Individuum dividi non potest in inferiora cùm de uno solo prædicatur, ergo non sunt quatuor ejus species.

Sol. In-

Sol. Individuum capitur dupliciter, vel quoad

1. *Materiale significatum*, sc. pro *re* singulari quæ ipsi voci subjicitur, et sic de vno solo prædicatur, nec dividi potest.

2, *Formalem intentionem*, sc. pro ipsa individui *voce*, et *notione*; sic autem commune est, et in eas quatuor species dividitur.

Ob. Individuum vagum de pluribus prædicatur; nam *Socrates* est quidam homo, et *Plato* est quidam homo, ergo non est individuum, et per consequens individuum malè dividitur.

Sol. Observandum, quod Individuum vagum vnam rem singularem significat, sed non *certè* et *definitè*; nam licet id quod significatur, in se sit indeterminatũ, tamen vt hoc nomine significatur certum est, determinatumq;: quod ergo de multis prædicatur, hoc non est, propter naturæ *communitatem*, sed nominis *indeterminationem*; quod ipsum tale est, vt à nobis ad res varias applicari possit, affirmatur ergo de multis, sed *ambiguè*, et solum quoad *vocem*; non *vnivocè*, et quoad *rem*.

SECT. 26.

De ordine & comparatione Individui ad speciem.

Porphyrius comparat individuũ ad speciem bifariam,

1. Quoad *ordinem*, sic autem ad speciem comparatur tanquam inferius, ad suum superius; nam sicuti species subijcitur generi, ita individuum speciei.

2. Quoad *vniversalitatem*, aut *ambitum*; sic autem ad speciem comparatur, tanquam pars ad totum.

Vt hæc posterior comparatio melius intelligatur observandum

Totum esse triplex, vel

1. *Integrale*, quod componitur ex partibus materialem substantiam perficientibus; ut homo respectu pectoris, capitis, manus, etc: totum integrale appellatur, hoc vero respectu, ejus partes integrales sunt.

2. *Essentiale*, quod sc. ex partibus componitur, quæ essentiam suam et definitionem constituunt, sicut homo respectu animalis, et rationalis, totum essentiale nominatur, hæc enim sunt ejus partes essentiales.

3. *Vniversale*, quod sc. vt superius sub se plura inferiora

riora continet, ut genus respectu suarum specierum, species respectu suorum individuorum, totum vniversale dicitur, hoc autem respectu eorum, partes dicuntur interdum *subiectivæ* respectu *ordinis*; quia sub illis collocantur; interdum autem *potentiales* aut *vniversales* respectu *ambitus*, quia intra eorum amplitudinem comprehenduntur.

Observandum igitur quod cùm *Porphyrius* hoc in loco genus appellat totum specierum, cùm in sequenti capite docebit genus esse speciei partem; hîc quidem intelligit Genus esse totum *vniversale*, quia plures species sub se comprehendit; illic autem partem *essentialem* esse, quia tanquam pars solum essentiæ imperfectæ essentiam speciei cõstituit, quia non nisi ex eo cum differentia simul conficitur; at species respectu individuorum totum est, non solum *vniversale*, sed etiam *essentiale*: totum *vniversale*, quatenus sub se plura continet individua, *essentiale* verò quatenus totam essentiam individuis tribuit, cujus individua capacia sunt,

In specie duo respiciamus, viz.

1. *Essentiam*, et sic species est *totum*; genus *pars*; quatenus genus non per se, sed cum differentiâ consummat speciei essentiam.

2. *Ambitum*, et sic genus *totum* est, *species pars*, quatenus non una solum species, sed plures simul intra ejus ambitum comprehenduntur,

SECT. 27.

In quâ tres quæstiones de Individuo solvuntur, quarum prima est, An Individua sub scientiam cadunt?

Individua considerantur duplicitèr

1 *Simpliciter* in seipsis, quatenus individua sunt, ut *Socrates*, quatenus *Socrates*, et sic de illis nulla est scientia, duas ob causas; prior est quia sunt *infinita*, infinita autem comprehendi nequeunt; posterior est, quia *caduca* sunt, quod autem caducum est, necessarium non est, proinde sub scientiâ non cadit.

2. *Respectivè*, quatenus sub speciebus continentur, ut *Socrates* non quatenus *Socrates*, sed quatenus homo, et hoc pacto scientia de illis esse potest, non *primariò*; nam sic est de speciebus solùm, sed *consequenter* gratia specierum.

SECT. 28.

SECT: 28.

An individua sint finita, an vt Porphyrius *ait infinita? quæstio secunda.*

Duo spectãtur in individuis, eorũ sc.

1 *Essentia*, seu *natura*; & sic finita sunt quia nullam habẽt essentiam, nisi quam receperunt á speciebus, essentia autem specierum est finita, cum duabus partibus constat; genere sc. & differentiâ.

2 *Numerus* seu *multitudo*, quæ consideratur vel quoad

Naturam, & secundum *se*, & sic certus, & finitus est numerus; natura enim nihil infinitum agnoscit.

Nos, & *respectu nostræ comprehensionis*, & sic individua infinita sunt, quia certum eorum ac finitum numerum nos ignoramus nec valemus assequi.

SECT. 29.

De principijs individuationis; An sit materia? an forma? an proprietatum collectio? quæstio 3ª.

Principia sunt duplicia,

1 Alia sunt principia *speciei*, vt materia & forma *physicè*, genus & differentia *dialecticè*.

2 Alia sunt principia *individui* sive *individuationis*, quæ sunt accidentium cumulus, vt forma, figura &c.

In individuo duo sũt respicienda,

1 *Substantia* seu *constitutio*, & hac ex parte, materia & forma ejus principia dicenda sunt.

2 *Singularitas*, seu *individuatio*, & sic nec materia nec forma eius principia dicenda sunt; sed illa proprietatum congestio, quæ omnes in altero nunquam inveniri possunt, hæc autem primò, præcipuum individuationis principium est, materia vero secundariò, quatenus ipsa hujusmodi proprietatibus affecta est, forma tertiò, quatenus recipitur in materiam his conditionibus præditam; quocirca forma compositi mediatum est individuationis principium; formæ materia, materiæ proprietatum congestio, seu complexio.

Ob: Substantia est prior accidentibus; vt *Porph.* docet in communitatibus generis et accidentis text. 2. & *Aristoteles* 3. Metaphys. text. 4. at individua quamplurima sunt substantiæ, vt *Socrates*, *Plato*, &c: ergo sunt priora natura suis accidentibus, seu proprietatibus; & per consequens non sunt principia individui; nam aliter res esset prior suo principio, quod contradictionem includit.

Sol. Considerari (vt dixi) aut quoad

1 *Substantiam, & naturam*; & sic fateor individuum esse prius suis accidentibus, i. ipsam rem aut substantiam, quæ est individuum.

2 *Modum substantiæ*; i. singularitatem & sic dico, posterius esse individuum suis proprietatibus; prius, itaq; est quatenus *substantia est*; posterius, quatenus *singularis* substantia: sicuti (verbi gratia) paries albus, quatenus est *paries*, est prior albedine; quia est subjectum ejus; quatenus tamen *albus* est, posterior est albedine, quia albus dicitur.

Ob: Si individua à se invicem proprietatum cumulo tantum distinguantur, tum accidentaliter solum, sed hoc est impossibile, nam (verbi gratia) *Si Socrates* differt à *Platone* solum accidentaliter, tum *Socrates* potest esse *Plato*; argumentum manifestum est, quia omne accidens potest abesse interim vt subjectum maneat; vt *Porphyr.* docet in cap. de accidente tex. 1. quocirca si accidentibus solum differunt, tum omnis differentia potest abesse, quod si omnis differentia absit, tum idem sunt; ergo si accidentibus solum differant: tum *Socrates* potest esse *Plato*.

S. Individua vt *Socrates* & *Plato* cõsiderari possunt dupliciter,

1 *Physice*; & sic quoad *essentiam* inter se distinguuntur, quatenus ex diversis materijs, diversisque formis *Physicis* conficiuntur, aliud enim corpus, & anima *Socratis* est; aliud *Platonis*.

2 *Dialecticè*; & sic quoad *essentiam* penitus non distinguuntur, sed solummodo conditione essentiæ, quatenus aliæ proprietates in vno conjiciuntur individuo, aliæ in altero; quod si omnia accidentia tollas à *Socrate*, & *Platone*; non jam *Socrates* erit *Plato*, sed neuter erit omnino; nam quamvis accidentia abesse possunt à subjectis sine interitu *essentiæ*, non tamen sine interitu singularitatis.

Hactenus de Specie.

TRAC-

TRACTATVS QVARTVS
De Differentia.

SECT. 1.

In qua ſumma eorum exhibetur, quæ à Porphyr. *dicuntur in hoc capite.*

Porphyr. hoc in cap. tradit, differentiæ

- 1 *Diviſiones* generales duas, alterã,
  - 1 Ex *Proprietate diſtinctionis*, in quâ duo obſervantur,
    - 1 *Numeratio* mẽbrorum; tria autem ſunt, ſc. differentia,
      - 1 *Cõmunis*,
      - 2 *Propria*,
      - 3 *Maxime propria.*
    - 2 *Diſcrimen* eorundẽ ab effectu, quod aliæ ſubiectum ſuum *diuerſum* tantum faciunt, aliæ *aliud.*
  - 2 *Ex Proprietate connexionis cum ſubiecto*, ſic autẽ alia eſt,
    - 1 *Separabilis*, vt differentia cõmunis.
    - 2 *Inſeparabilis*, idque aut
      - 1 *Per accidens*; vt differentia propria.
      - 2 *Perſe*, v differentia maximè propria, hæc autem duplex eſt,
        - 1 *Diviſiua* ipſius generis in ſuas ſpecies.
        - 2 *Conſtitutiua* ipſius ſpeciei.
- 2 *Definitiones*, quę ſunt quatuor, quæ rũtraditur.
  - 1 Prima, ex *comparatione* eius ad genus & ſpeciem: *Differentia eſt, quâ ſpecies ſuperat genus.*
  - 2 Secunda, ex *modo prædicationis: Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus, ſpecie differentibus in (quale quid).*
  - 3 Tertia ex *actu Diviſionis, differentia eſt, per quam genus dividitur, in ea, quæ ſub ipſo ſunt.*
  - 4 Quarta; ex *actu Diſtinctionis, differentia eſt, quæ (cũ ſit pars ipſius ſpeciei) vna ſpecies ab altera ſeparatur.*

SECT. 2.

De ordine tractationis Differentiæ, & quare præponitur Proprio, & Accidenti, & ut nomen differentiæ hic sumendum?

Duplex ordo differentiæ est,

1 *Successionis*, respectu præcedentium, quæ jurè sequitur, nam quantumvis (si essentiam spectes) Differentia specie sit prior; cum sit ejus principium, tamen (si *modum* prædicandi spectes) species est prior Differentiâ: cum itaque hic consideratur, quatenus prædicatur, merito speciem Differentia sequitur.

2 *Antecessionis*, respectu subsequentium, nempè *Proprij* & *Accidentis*, quibus jure præcedit, quia perfectiorem prædicandi modum obtinet; cum Differentia in *quale quid*, & *essentialitèr*; ista verò in *quale* solùm, & *accidentaliter* prædicentur.

De nomine Differētiæ, notādū, quod Differentia dupliciter sumitur

1 *Abstractive* pro ipso discrimine & diuersitate rerum inter se.

2 *Concretiue*, pro ipso discriminis principio, i. pro forma, per quam res inter se sunt distinctæ, & hoc in sensu, nō priori, nomē differētiæ hic à *Porph.* sumitur.

SECT. 3.

De generali definitione Differentiæ; & ejus explicatione.

Est autem Differentia sub generali ratione definita; *forma quævis qua aliquid differt vel à seipso, vel ab altero.* In qua definitione tria notanda sunt: Primò *Genus*, cum dicatur *forma*. Secundò *conditio ipsius formæ*, quæ est (efficere differentiam.) Tertiò *differendi modus*. *forma* dicitur ad excludendum genus & speciem, & partes integrales, quæ distinguunt vnam rem quandoque ab altera, (vt homo distinguitur per pedes, a rebus quæ pedibus carent, & per animal, ab arboribus.) Nec tamen hæ sunt differentiæ, quia non sunt *formæ*: (quævis) i. cuiusuis conditionis, non *exclusionis* causa adjicitur, sed *extensionis*: (quævis) *forma*, sive *absoluta*, sive *respectiua*, sive *positiva*, sive *privativa*, *communis*, aut *singularis*, si (faciat vnam rem ab altera differre,) est differentia.

Ad

Ad secundā partē obſervandum eſt, differre aliquid ab altero, vel

1 *Intrinſecè*, cum in ſe habet eam formam per quam differre dicitur ab altero: ſicut homo per rationale differt à bruto, quia ipſū rationale in *homine* eſt, non in *bruto*.

2 *Extrinſecè*, cum non habet in ſe eam formam quæ eſt in altero à quo differt: ſic brutum per *irrationale* diſtinguitur ab homine, quia ſc. non habet ipſam rationalis formam quā homo habet, & vterq; modus hic intelligitur.

SECT. 4.

De prima diviſione Differentiæ, *in communem, propriam; & maximè propriam; & primò de communi differentia.*

Eſt autem Differentia triplex, *communis, propria,* & *maximè propria*; *Communis differentia eſt accidens ſeparabile, quo aliquid ab altero vel à ſeipſo diſtinguitur*, vbi, primum, *definitum* obſervandum eſt, & deinde ipſa definitio.

De *definito* notādum, quod differentia aliqua dicitur (cōmunis,) aut reſpectu

1 *Prædicationis*, quod ſc. de multis, & cōmunitèr prædicatur, & ſic differentia quæ dividitur in hæc tria membra, *communis* dicitur.

2 *Vſus*, quia ejus vſus magis *communis* eſt, i. vulgaris, vtpotè, quæ à plebe frequentius adhibetur ad res diſcernendas à ſe invicē, & ſic hoc in loco, accipitur.

Pro *definitione* notandum, quod accidens ſeparabile dicitur, *quod levius hæret in ſubiecto, vt ab eo poſſit ſeparari*: vt calor in aqua, frigus in homine. Ea autem Accidentia ſeparabilia ſunt, quæ non habent *neceſſariam* in ſubjecto cauſam, ſed *contingentem*.

2 Notandum, quod per hanc Differentiam: non ſolùm vna res differt *ab aliâ*, ſicut aqua calida differt ab aquâ frigida, verumetiam (ſi diverſa tempora reſpiciantur,) etiam *à ſeipſo* differre poteſt: ſicut *Socrates* vir, viribus differt a ſeipſo, ſi ea tempora (quibus puer fuit) reſpiciantur; & ſicut aqua calida a ſe differt cum ſit frigida: nam licet quoad *naturam* à ſeipſo non poſſit diſcrepare, poteſt tamen quoad *accidentales aliquas conditiones*.

Ob. Duo membra ejuſdem diviſionis non poſſunt coincidere, at accidens & differentia ſunt diſtincta vniverſalia, ergo differentia non eſt accidens.

Sol. Accidēs dupliciter cōſideratur, aut quoad

1 *Rationem inhærendi*, & ſic propriè *accidens* appellatur, & ad quintum prædicabile ſpectat.

2 *Rationē diſtinguendi*, & ſic nominatur *differētia*: nō itaq; *accidēs* quatenus *accidēs* eſt, & inhęret *differētia* eſt, ſed

ſed quatenùs *diſtinguendi officium habet*, nam accidens ſeparabile eſt quaſi *materia*, vis autem diſtinguendi, *forma* huius differentiæ. Vel dicendum, quod duo membra ejuſdem diviſionis coincidere poſſunt quoad *materialẽ rationem*. i. quoad rem ipſam, quia eadem res, & differentia & accidens eſſe poteſt; non autẽ quoad *formalem rationem*, i. quoad definitionem, quia alia eſt ejus definitio, quatenus *differentia*, alia quatenùs *accidens* eſt.

SECT. 5.

De Differentia propria.

Differentia propria eſt accidens inſeparabile, quo aliquid ab altero diſtinguitur: vt calor in igne, per quem diſtinguitur à rebus frigidis &c;

Vbi primum notandum eſt *definitum*: deinde etiam *definitio ipſa*.

Notandum autẽ pro *definito* quod duplex eſt *proprietas*, alia,

1 *Converſionis*, ſeu *adæquationis*, quo modo id dicitur alteri proprium; quod cum eo convertitur, vt riſibile, vel rationale, homini.

2 *Cohærentia*, quod propriè & firmitèr, & inſeparabili nexu incumbit ſubiecto, & ſic hoc in loco ſumitur.

Vel dicendum quod hęc differentia *propria* nominatur ratione *vſus*, quia eſt in vſu apud eos qui propriè loquuntur, inſeparabalia accidentia, quibus vna res ab altera diſcrepat, differentias appellare. Pro *Definitione* animadvertendum, quod accidens inſeparabile illud dicitur, *quod fixè & firmiter ita in ſubiecto inhæret, vt removeri non poteſt*: vt lux in ſole; color in homine &c. i. quæ in ſubiecto *neceſſariam* & *inſeparabilem* habent cauſam, non *contingentem*: nam *contingentia* in cauſa, *ſeparabilitatem* in accidenti: *neceſſitas* in cauſa, in accidenti *inſeparabilitatem* parit.

Ob: Propria paſſio, vt riſibile in homine, hinnibile in equo, differentia eſt propria: ſed non eſt accidens inſeparabile, cum proprium & accidens ſint diſtincta vniverſalia, ergo.

Sol. In accidente duo ſpectantur,

1 *Inhærentia*, & quoad hanc *accidens* eſt, quia propria paſſio non minus inhæret quovis accidente.

2 *Modus inhærendi*, ſc. contingentèr, & quoad hunc non eſt *accidens*, cum non *contingenter*, ſed *neceſſariò* ſubjecto

ſuo

ſuo inhæret; ab accidente igitur *ſimpliciter* proprium non diſtinguitur, ſed ab accidente *contingente*; itaque in eo ſenſu nomẽ *accidentis* hic nõ accipitur, ſed fuſiùs, vt omne id deſignet quod in ſubiecto eſt, prẽter ejus eſſentiã.

Ob. Cœcitas eſt propria differentia (nam ponitur à *Porphyrio* pro ejus exemplo cap. de differentiâ tex. 2.) At non eſt accidens inſeparabile, cum ſit privatio accidentis ſc. viſus, ergo malè definitur.

Sol. Cœcitas duo includit,
1 *Formaliter* ipſam viſus negationem.
2 *Cauſaliter*, ipſam oculi intemperiem, ex quâ ſequitur viſus negatio. Priori modo *negatio* quidem eſt, poſteriori autem *poſitivum* eſt. Sed malè quidam græcum vocabulum interpretantur cum cœcitatem reddant: etenim γλαύκωσις non eſt cœcitas; ſed glaucedo, vel oculorum cœſius color.

SECT. 6.

De differentia maximè propria.

Differentia autem maxime propria, eſt differentia eſſentialis qua vnum ab altero diſtinguitur, vt rationale reſpectu hominis, ſenſibile reſpectu animalis &c.

Notandũ, quod ſicut eſt duplex ſpecies, ſc. interjecta & infima, ita

Duplex eſt maximè propria differentia, alia
1 *Speciei interiectæ*, hæc autem (à *Dialecticis*) *generica* appellatur, quia eſt differentia eius ſpeciei, quæ eſt genus, vt ſenſibile reſpectu animalis, animal diſtinguens à cæteris rebus vniverſis.
2 *Speciei infimæ*, quæ (à Dialecticis) *ſpecifica* appellatur, vtpote illi conveniens, quod ſolum eſt ſpecies, non etiam genus, vt rationale reſpectu hominis.

Notandum autem quod ſolummodo differentia *maxime propria* tertium hoc prædicabile conſtituit, at differentia *communis* & *propria* recenſentur, quia propter verarum differentiarũ penuriam quæ *maximè propriæ* appellantur, illis ſæpenumero in rebus diſcernẽdis vtimur. Vnde notandum, quod *differentia* hic diviſa, eſt *analogum*, cum de vno mẽbro magis propriè prædicatur quã de altero. Deinde obſervandum de ipſis dividentibus membris, quod propria differentia non *abſolutè* hic ſumitur, ſed *preciſe*, i. pro ea quæ ſolum propria eſt, aliter enim eſſet quædam membrorum confuſio; nam rationale cum ſit differentia *maxime propria*, ſine dubio *propria* eſt, ſed non ſolum *propria*.

Ob:

Ob. Rationale respectu animalis est differentia, cum ipsum in species dividat, sed nec *communis*, nec *propria*, cum non sit accidens, (nam rationale est pars substantiæ, sc. hominis, sed accidens pars substantiæ esse non potest;) nec *maximè propria* cum non sit de essentia animalis, sed eo posterius, ergo insufficiens est divisio.

Sol. Rationale est *Differentia maximè propria* directè respectu *hominis* nam ipsum *essentialitèr* distinguit ab vniversis, *reductivè* autem respectu *animalis*: hominis igitur differentia dicitur *maximè propria*, quoad *constitutionem*, *animalis* vero quoad *contractionem*, quia non minus convenit differentiæ *Genus dividere*, quam *Speciem constituere* & *distinguere*; licet nomen differentiæ maximè meruit à distinctione.

2 Notandū quod differētia considerat triplicitèr, quoad

1 *Contractionem*, sc. quatenus confusam generis potentiam ad certam speciem contrahit & determinat, & nominatur *actus*.

2 *Constitutionem*, quatenus speciem ipsam in se constituit, & nominatur *forma*.

3 *Distinctionem*, quatenus speciem à cæteris vniversis distinguit, estque suæ speciei propria nota, & sic potissimum dicitur, *differentia*.

SECT. 7.

De discrimine à Porphyrio *assignato, inter Differentiam maximè propriam, & alias acceptiones.*

Ad intelligendum discrimen eorum à *Porphyrio* assignatum, notandum, quod aliquid *aliud* est facere *diversum quoad essentiam & naturam*: *alterum* est facere *diuersum*, solum quoad *accidentia*, & *affectiones*; illud *essentialis differentiæ* est proprius actus: hoc vero *accidentibus commune*; Differentia igitur *maxime propria*, à *propriâ* & *communi* in eo distinguitur, quod hæ subiectum suum faciunt solùm *alterum*, i. *extrinsece* solùm & accidentaliter discrepare: at differentia *maxime propria*, suum subjectum *aliud* facit, i. *natura* & *definitione* planè diversum, vt (v. g.) calor in aquâ tepente differentia *communis* est, hic verò aquā nō facit *aliud*, i. essētialiter diversū ab aqua frigida, sed solū *alterū*: at rationale quod est *maximè propria* differētia hominis; nō solū *alterū* facit hominē à bruto & cęteris rebus, verū planè *aliud*. i. natura & essentiâ distinctum; cuius ratio est, quòd hæc *essentialis* forma est, & *intrinsicè* rem constituit: illæ vero *accidentales* sunt formæ, & *extrinsecè*

trinſicè rei adveniunt: quocirca (mutatis his) res eadem eſſe poteſt, quantum ad *ſubſtantiam*, quia hæ rei ſubſtantiam ſequuntur; ſed (illâ mutatâ) mutari rei *eſſentiam* neceſſe eſt: nam ſicut *cætera* ſubſtantiam ſequuntur ipſam, & ab ea pendent, ita *hanc* ipſa ſubſtantia ſequitur, & ab ea pendet.

SECT. 8.

De ſecunda diviſione Differentiæ in ſeparabilem & inſeparabilem.

Secunda diviſio eſt ex *connexione* differentiæ cum ſubiecto, quæ

eſt in differentiam:
1 *Separabilem, quæ nempe à ſubiecto ſeparari poteſt*: vt ægritudo in homine malè ſano; calor in aqua fervente, & hæc eſt *communis Differentia*.
2 *Inſeparabilem*, quæ tam firmiter ſuo ſubjecto adhæret, vt ab eo nequit diſſolvi: vt calor in igne; color in mixto corpore; rationale in homine.

Inſeparabilium duo ſunt gradus, aliæ enim ſuis ſubjectis conveniunt,
1 *Per Accidens*, i. *Accidentaliter*, quæ ſcilicet ſuo ſubjecto firmitèr adhæreant, ei tamen conveniunt præter ſuam eſſentiam, i. non tanquam *pars* naturæ, ſed tanquam *affectio* aliqua naturæ adhærens, vt igni calor: homini, facultas ridendi.
2 *Per ſe*, i. *eſſentialiter*, quæ ad conſtituendi ſui ſubiecti *eſſentiam* concurrunt: vt rationale homini; irrationale bruto, &c. in priori gradu, *propria* differentia, in hoc *maxime propria* collocatur.

Notandum, quòd cùm *Porphyrius* hic dicat, eas quæ *per ſe* conveniunt in eius definitione collocari; intelligit eas, quæ *per ſe*, i. *eſſentialiter* conveniunt; nam *propriæ* etiam paſſiones rei *per ſe* conveniunt, (vt *Ariſtoteles* 1. poſt. Anal. c. 4. t. 4.) at non *eſſentialiter*, ſed *accidentaliter*, i. non tanquam *partes* eſſentiam *conſtituentes*, ſed ſolùm vt *affectiones* eſſentiam *conſequentes*; vnde, ob neceſſariam concomitantiam, & connexionem cum ipſâ rei eſſentiâ, *per ſe*, convenire dicuntur; quocirca hoc in loco, (convenire per ſe,) nihil aliud eſt, quàm convenire per *eſſentiam*; i. vt pars definitionis; (cõvenire vero per accidens) idẽ quod convenire per *inhærentiam*: vt, aliquid rei ipſi ſuperadditum, præter & extra eius naturam:

Ob. At *Ariſtoteles*, li. 1. poſt. c. 4. t. 4. affirmat, *proprias rerum affectiones illis per ſe convenire*, at propriæ rerũ affectiones, vt riſibile reſpectu hominis, ſunt *propriæ* differentiæ (cum non ſint *communes*) quia, non ſeparabilia accidentia, nec *maximè propriæ*, quia non ſunt de eſſentia ſubjecti

jecti, ergo Differentiæ *propriæ*, & non solùm *maximè propriæ*, rei (per se) conveniunt.

Sol. Aliquid dicitur (per se) convenire bifariàm, aut
- 1 *Constitutive*, quod rem *constituit*, sic id solùm quod est pars essentiæ rei ita convenit, vt animal, & rationale homini.
- 2 *Consequutive*, quod rem necessariò *consequitur*, & sic id quod *necessariò* ab essentia fluit (per se) convenit, vt risibile homini: *Porphyrius* hoc in loco, priorem solùm modum intelligit.

SECT. 9.

De discrimine inter Differentiam inseparabilem quæ per se *convenit subiecto, & eam quæ convenit* per Accidens.

Assignat autem *Porphyrius* inter Differentiam *inseparabilem*, quæ *per se* convenit, & eam quæ *per Accidens*

Discrimen duplex, alterum quoad
- 1 *Effectum in subiecto*, quia differentia quæ *per se* convenit subiectum suum facit *aliud*, i. *essentialitèr* diversum à cæteris rebus: sed differentia *per accidens* suum subjectum solummodò *alterum* facit, i. *accidentalitèr* distinctum.
- 2 *Modum conveniendi ad subiectum*, quia differentia *per se æqualiter* convenit non magis vni quàm alteri, vt rationale omnibus hominibus æqualitèr convenit: at differentia *per accidens* secundum gradus, *aliis maius*, *aliis minus*: vt vnus paries est magis albus quàm alter: vnus homo magis doctus altero.

Ob. Sapiens est magis rationalis stulto, & insano homine: magis enim vtitur ratione, ergò est magis rationalis. Argumentum manifestum est, quia ab actu ad potentiam *affirmativè* ductum est.

Sol. Rationale trifariàm consideratur, vel quoad
- 1 *Actum ratiocinandi*, sive *vsum rationis*, & sic doctus ignaro, sapiens insano *magis* rationalis est.
- 2 *Potentiam seu facultatem ratiocinandi*, vnde hæc ratio fluit, & sic omnes homines *æqualitèr* rationem participant.
- 3 *Principium ratiocinandi*, vnde hæc facultas manat, & sic omnes homines *æqualitèr* rationales sunt.

Notandum, quod *rationale*, (vt accipitur pro *actu ratiocinandi*) est *Accidens*:

Accidens: vt pro *potentia* est *proprium*: vt pro *principio* potentiæ, sic solùm est *Differentia:* quocirca, licet ipsa facultas, *æqualitèr* omnibus hominibus insit ratione *principii*, scilicet animæ rationalis, quam omnes æquè participant: ipse tamen actus & vsus *inæqualitèr* convenit ratione *instrumenti*, sc. cerebri, aliarumque partium, quia non sunt in omnibus hominibus ipsa corporis organa æquè dispositа, sed in alijs meliùs, alijs pejus: quocirca si *facultatem* spectes, *æquè* convenit, si *actum*, *inæqualitèr*: ratio cuius est, quod *potentia* pendet solùm à *principio*, quod omnibus *æquale* est, sed *actus* pendet etiam ab *instrumento* corporeo, quod est *inæquale*.

Ratio est duplex
- 1 *Nativa*, i. naturâ insita, & quoad *hanc* omnes sunt *æquè* rationales.
- 2 *Acquisita*, sive *arte*, vt in docto, sive *vsu*, vt in sapiente: quoad *hanc* autem vnus est *magis* rationalis altero.

Ob. Animatum est Differentia *per se*, & essentialis, sed convenit suis subjectis secundum magis & minus, vt homo quàm brutum, brutum quàm arbor magis animatum est, quia, ille tres animas habet, 1 vegetantẽ, 2 sentientem, 3 rationalem: istud duas priores solùm; hæc vnicam, i. primam: sed id magis est animatum quod tres animas habet, quàm quod solùm vnicam habet, ergo.

Sol. *Magis animatum* dicatur aliquid bifariàm, sc. quoad
- 1 *Perfectionem animæ*, & sic homo, bruto, brutum plantâ est *magis animatum*, quia *perfectiorem* habet animam.
- 2 *Intentionem animæ*, & sic nullum altero, *magis* animatum est; Gradus perfectionis consistit in *adiectione alterius animæ*; Gradus intentionis in *accessione novæ partis eiusdem animæ*, *ille* admittendus, quia in bruto vegetanti, sentiens; in homine sentienti, rationalis anima accessit: at verò *posterior* est impossibilis, quia anima est indivisibilis, & caret partibus, est ergo *perfectius animatum*, sed non propriè *magis animatum*.

Hic autem notandum, quòd cum *Porphyrius* dicat differentias *per accidens* suscipere *magis & minus*, ea propositio non est *vniuersalis*, sed *indefinita*, id est intelligenda *particularitèr*, quòd scilicet aliquæ tales differentiæ secundum (magis & minus) conveniunt, Nam propriæ passiones, quantitates, , multæ qualitates & quæ in alijs summe prædicamentis *magis & minus* non admittunt.

Ob. Capax disciplinæ (vt hic *Porphyrius* dicit cap. de Differentia. text. 9.) Differentia est *per se & essentialis*, sed est etiam Differentia

per Accidens, nam proprium non est *differentia per se*, cum non sit de essentia subjecti, sed *per accidens*; capax disciplinæ est *proprium* hominis, vt *Aristot.* docet 1. Top. cap. 5. text. 4. ergo membra confunduntur.

Sol. Capax disciplinæ capitur dupliciter, vel pro
- 1 *Facultate* capiendi disciplinam, & sic est *proprium* hominis.
- 2 *Principio* & *origine* huius facultatis, i. pro animâ eâ quæ ipsum reddit capacem disciplinę, & eo respectu *differentia essentialis est.*

SECT. 10.

De divisione Differentiæ in constituentem & dividentem.

Differentia quæ *maximè propria* est, & *essentialis*, duplex est,
- 1 *Constitutiva*, quæ sc. speciem constituit; vt rationale respectu hominis, sensibile respectu animalis, quia hæ differentiæ (ipsis generibus additæ) *constituunt* species.
- *Divisiva*, quæ sc: genus distribuit in suas species: vt, rationale & irrationale respectu animalis, (nam hæ differentiæ animal *dividunt* in hominem & brutum) sensibile & insensibile, nam hæ corpus animatum *dividunt* in animal & plantam.

Notandum autem, quod differentia constitutiva & divisiva non *reipsâ* distinguuntur, sed *munere* solùm & *ratione*, eadem enim differentia quæ divisiva est, ea etiam constitutiva est, sed diverso respectu: vt (verbi gratia) rationale quod est divisiva respectu *animalis*, est constitutiva respectu *hominis*: & sensibile quod est divisiva respectu *corporis*, constitutiva est respectu *animalis*; & generalitèr quæcunque *superius* seu *Genus* dividit, ipsa *inferius*, seu *speciem* constituit.

Vnde appareret quod aliquę habent differentiã
- 1 *Divisivam solùm*, vt summa genera, cum non habent aliqua genera *supra se*, nec habent aliquas constituentes differentias, quia omnis differentia quæ *inferius* constituit, dividit *superius*.
- 2 *Constitutivam solùm*, vt infima species, quia, cum non habet *sub se* alias species, non dividitur per *essentiales* aliquas *differentias*, sed solùm *accidentales proprietates*, vt diximus suprà.
- 3 *Divisivam, & constitutivam simul*, vt omnia interjecta

jecta, quæ cum sint *species*, ex differentia & genere constituuntur; cum autem sint *genera*, per alias differentias dividuntur in suas species, vt animal per sensibile *constituitur*, per rationale & irrationale in hominem & brutum *distribuitur*.

SECT. II.

De modo quo Differentiæ dicuntur ipsum genus dividere.

Notandum, cum divisio *nihil aliud sit quàm totius in partes distributio*, quod quot modis *totum* accipitur, totuplex est *divisio*.

Est autem triplex, quoad
- 1 *Essentiam*, sicut species in genus & differentiam: tanquam in partes *essentiales* resolvitur.
- 2 *Integralitatem*, sicut homo in caput, pectus, brachia, &c. tanquàm totum integrum in partes *integrales* resolvitur.
- 3 *Vniversalitatem*, seu *potentiam*, vt superius in inferiora, & sic genus dividitur per differentias in suas species.

Vt melius intelligatis, observandum quod

in divisione tria sunt,
- 1 *Obiectum divisionis*, id scil. *quod* dividitur, idq; est *Genus*.
- 2 *Terminus divisionis*, id scil: *in quod* dividitur, idq; est *species*.
- 3 *Instrumentum*, seu *medium divisionis*, id sc: *per quod* dividitur, idque est *differentia*, vt (verbi gratia) animal dividitur, ibi est *obiectum* divisionis, dividitur autem in hominem & brutum, ibi est *terminus*: dividitur in has species per rationale & irrationale, ibi est *instrumentum*, seu *medium* divisionis.

Ob. Si *Genus* dividatur per *Differentias*, vt (verbi gratia) animal per rationale & irrationale in suas species, tum in partes deducitur, non itaq; tota animalis natura est in homine, sed pars in homine, pars in bruto, id autem falsum est, quia omnes partes naturæ animalis, scil. *Genus* & *Differentia* sunt in homine, ergo tota natura, & per consequens *Genus* non dividitur per differentias.

Sol. Duplex est dividendi modus, sc.

1 Per *distractionem*, seu *divulsionem* partium à toto, & hac divisione id quod dividitur non potest manere totum in separatis partibus.

2 Per *contractionem*, seu *determinationem*, quando id quod fusum est, & indeterminatum, restringitur, non per alicuius rei *abstractionem*, sed per *additionem*, & sic Genus dividitur per differentias, i. contrahitur, seu determinatur ad certas species: sic quod Generis divisio nihil aliud sit, quàm eius *restrictio*, seu *contractio*, quomodò quidem (quod ad se) ad plures species extenditur, per Differentiæ additionem, speciei peculiare redditur: vt, animal, quod per se, est *commune* & homini, & bruto; additione rationalis, homini *fit peculiare*.

SECT. 12.

De exemplis Differentiæ à Porphyrio *assignatis. An* rationale *conveniat Angelis? An* mortale *sit differentia hominis?*

Tria sunt in omni arte perpendenda, sc,

1 *Præcepta*, quæ oportet in omni arte tradenda esse, in summo *certitudinis* gradu.

2 *Argumenta*, seu *probationes*, quæ conclusionibus confirmandis adhibentur: & hæc semper sunt subiecto illius artis *temperanda*; si enim scientia sit de rebus *necessariis*, vt artes *Mathematicæ*, *necessaria* oportet esse argumenta: si de rebus *contingentibus*, vt *Ethicæ*, *Politicæ*, oportet ipsa argumenta esse *probabilia*.

3 *Exempla*, quæ satisfaciunt suo muneri, licet nihil probent, imò interdum licet falsa sint, modò facilia sint, & ipsa præcepta illustrent, nam in præceptis *veritas*, in argumentis *conformitas* ad artis subjectum, in exemplis *illustratio* desideratur, vnde exempla non sunt redarguenda, quòd aut nihil probant, aut falsa sint, modo discenti lucem præbeant.

Notandum verò quod rationale est duplex, vel

1 *Discurrens*, quòd sc. discursu quodam, i. labore & investigatione rationis res intelligit; hoc autem *rationale* sensibus conjunctum est, à quibus eius cognitio pendet, & sic convenit *ipsis hominibus*.

2 *Intuens*, quod sc. sine omni labore intellectus primo aspectu, & intuitu, res cognoscit; hoc autem *rationale* est

est abstractum & separatum à sensibus, & materiâ: nec indiget sensu vt aliquid cognoscat, & sic rationale convenit *Angelis*.

Ob. Quod virtus *inferior* potest, id virtus *superior* potest, at ratio Angeli superior, & perfectior est ratione humanâ, ergo, si humana potest discurrere, & ratio Angeli etiam potest, & per consequens, Angelus est discursivè rationalis.

Sol. Ratio *discursiva* dicitur bifariàm, aut

Activè, quia ipsa potest discurrere, & sic ratio Angeli est *discursiva*.

Passivè, quia ipsa intelligit, & rerum cognitionem non nisi per discursum acquirit, & sic solis hominibus convenit; licet autem Angelus *discurrat*, tamen ipse nihil cognoscit per *discursum*, sed per *intuitum*.

Ob. Discurrere nihil aliud est quàm vnam rem colligere & inferre ex altera; & cognoscere per discursum, quàm per talem collectionem aliquid intelligere quod prius non cognoscebat: sed Angelus colligit vnam rem ex altera, vt ex malis actionibus, pravas cogitationes (vt omnes concedunt) ergo cognoscit per discursum.

Sol. Ad discursum tria requiruntur,

1 *Successio cognitionis:* vt, vnam rem cognoscat *post* alteram,

2 *Dependentia*, aut *causalitas* cognitionis: vt, vnam rem cognoscat *per* alteram.

3 *Investigatio*, seu *contentio quadam*, & *nixus laborq;* rationis; Duæ priores *Angelicæ cognitioni* conveniunt: cognoscit enim *Angelus*, & vnam rem *post* alteram sicut res ipsæ quæ cognoscuntur successivæ sunt: & *per* alteram (pro ipsa rerum inter se communione, & dependentiâ:) sed tertia conditio deficit: cognoscit enim sine omni morosâ cognitione, investigatione, & difficultate: nam quamprimùm aliquam causam intuetur, omnes ejus effectus statim cognoscit, at homo (causâ cognitâ) statim omnes quæ ex eo pendẽt effectus non cognoscit, sed cum quodam *labore*, & *contentione* mentis, paulatim in eorum cognitionem venit.

De *mortali* autem intelligendum quod est duplex differentia, aut

1 *Constituens*, & *essentialis*, quæ sc. est pars formalis ipsius speciei: vt rationale respectu hominis.

2 *Distinguens solùm & separans* suum subiectum ab alijs: atque talis Differentia est *mortale* respectu hominis, non quidem hominem *constituens* in natura hominis,

hominis, sed cum solùm *distinguens* ab Angelis, qui rationem participant.

SECT. 13.

In quo sensu sensibile & rationale, *item* insensibile & irrationale & inanimatum *sunt Differentiæ?*

Observandum est, quòd *rationale, sensibile*, &c.

Sumuntur bifariàm, vel

1 Pro ipsis *facultatibus*, & *potentiis*, vt sensibile pro *potentia* sentiendi; rationale; pro *potentiâ ratiocinandi*; & sic sunt *propriæ passiones* suorum subjectorum, & non possunt esse *differentiæ* & partes essentiales substantiarum, cum accidentia sunt, & in secundâ qualitatis specie.

2 Pro ipsis *principiis*, i. formis substantialibus, ex quibus fluunt hæ proprietates: vt, *rationale* pro anima rationali: *sensibile* pro animâ sensitivâ: & sic sunt differentiæ substantiarum: vnde oportet, *differentias dialecticas* non aliter discrepare à *formis physicis*, quàm concretum ab abstracto.

Rationale, sensibile, animatum, &c. capiuntur bifariàm, (vt omne concretũ,) vel

1 *Materialiter*, pro eo subiecto quod est *sensibile*, & pro eo subjecto quod est *rationale*: sc. pro animali, & homine; & in hoc sensu Differentiæ non sunt.

2 *Formaliter*, pro eâ formâ per quam homo dicitur *rationalis*, & animal *sensibile*, i. pro anima sentiente, & intelligente, & sic in concreto sunt omnes illæ reipsâ differentiæ.

De *insensibile, irrationali*, & *inanimato*, observandum est, quòd bifariàm capiuntur, vel

1 *Negativè*, seu *privativè*, pro negatione sinsibilis, ejusque privatione, & absentiâ, aut rationalis, aut animati, & sic non sunt Differentiæ *essentiales*, cum negationes non possunt esse de essentia substantiæ & entis positivi.

2 *Positivè*, pro essentialibus formis, quibus hujusmodi privationes coniunctæ sunt, vt *insensibile* pro formâ substantiali, quæ vi sentiendi caret: & *irrationale* pro formâ substantiali facultate rationis carente, & sic sunt Differentiæ: Quocirca, quoad *nomina* licèt privativa, vel negativa sint, tamen, quod *rem* sunt positiva.

Quocirca

Quocirca, distinctionis solius gratiâ, negativa hæc nomina à *Porphyrio* vsurpantur, quia vera, et positiva nomina, ipsarum differentiarum ignota sunt, sicut ipsæ Differentiæ ignotæ sunt,

SECT. 14.

De definitione Differentiæ, & primo de primâ, eiusq; explicatione.

Notandum quod differentia bifariam consideratur, vel
- 1. Quoad *modum prædicandi* de suis subjectis, et sic in eam cadit secunda definitio.
- 2. Quod *realem suum actum* qui triplex est, nimirum
  - 1. *Dividere Genus*, i. fusam et indeterminatã generis potentiã ad certas species deducere et contrahere, et sic 3ª.
  - 2. *Constituere speciem*, i. formaliter ipsã perficere quoad essẽtiã, et definire, sic 1ª
  - 3. *Distinguere* speciem constitutam à cæteris rebus vniversis, et sic 4 definitio cadit in differentiam.

Prima definitio Differentiæ est, *quâ species superat Genus.* Ad quam definitionem intelligendam, primò *definitum* obsservandum, deinde, ipsa *definitio.*

Pro *definito*, notandum quod differentia essentialis est du-
- 1. *Proxima*, quæ immediatè rem constituit, ut rationale respectu hominis, cum rationale ei immediatè convenit, nullo alio intercedente.
- 2. *Remota*, quæ rem immediatè non constituit, sed mediante Genere ipso, sicut est animatum, aut sensibile respectu hominis, quæ non propriè conveniunt homini, sed alterum corpori animato, alterum animali, (illis verò intercedentibus) homini: Prior autem Differentia hìc definitur.

Pro *Definitione*, Notandum, quod genus in hâc definitione in relativo (*quâ*) intellectũ est *sc. forma*, ad hunc sensum, *Differentia est*, forma, *quâ species genus superat.* Notandum, quod in hâc definitione, *Superare* nihil aliud est, quàm plus continere.

Continentia autem duplex est,
- 1. *Actualis*, quâ aliquid dicitur *continere in se* alterum.
- 2. *Potentialis*, quâ aliquid dicitur *continere* aliquid *sub se*; priori modo differentia *constituens continetur* ab eâ specie quam constituit, sicuti rationale *continetur* ab homine, sensibile ab animali, in quibus actu sunt, tanquam partes essentiales suarum specierum; Posteriori modo Differentiæ *dividentes*, et *species continentur* à genere, quatenus intra ejus potentiam, i. sub ejus ambitu cõprehenduntur: nam *actu* superiora continentur ab inferioribus,

potentiâ autem inferiora à ſuperioribus. Eſt igitur Differentia proxima *qua ſpecies ſuperat Genus*, nimirùm quoad *continentiam actualem*, quia nimirùm continet in ſe, & quoad eſſentiam, proximam ſuam conſtituentem Differentiam, quam Genus non *actu*, & in ſe eſſentialitèr continet, ſed ſolùm *potentia* ſub ſe: ut (verbi gratiâ) per *rationale* homo ſuperat *animal*, quatenus in ſe, tanquam eſſentiæ ſuæ partem, *rationale* continet: Quod animal non continet in ſe tanquam partem, cùm ſit poſterius animali, ſed ſolùm *potentiâ*, i. intra ſuum ambitum ipſum continet, quia ad ea vniverſa ſe extendit ad quę rationale, & ad plura: vnde apparet *actu* ſpeciem *continere*, plura quam Genus, quia *continet* Generis naturam, & præter eam proximam ſuam Differentiam, quæ in natura generis non *continebatur*; *potentiâ* autem Genus *continere* plus quàm Speciem, quia non ſolùm unam Differentiam quæ ſpeciem conſtituit, ſed plures *continet*, ut animal, *rationale* continet, & *irrationale*, & præter Differentias omnes, ſuas ſpecies & individua; Ex quibus manifeſtum eſt, Differentiam *proximam* hîc ſolùm definiri, nam *remota* Differentia *actu* in Genere continetur: ut ſenſibile, quod eſt remota Differentia reſpectu hominis: actu in animali continetur, & gratia animalis in homine: nam quicquid *continetur actu* à ſuperioribus, idem etiam *actu* ab inferioribus *continetur*, licet *mediatè*, ſed non è converſo; Quicquid autem *continetur potentia*; & ſub inferioribus, *continetur* ſub ſuperioribus, ſed non è converſo. Sic igitur hanc definitionem intelligite. Differentia (ſcilicet proxima & conſtitutiva) eſt, quâ (id eſt, *forma eſſentialis*,) quâ (ſpecies ſuperat ſuum Genus) ratione *actualis & eſſentialis continentiæ*, quia eam continet *actu*, id eſt *in ſe*, & ſecundùm eſſentiam, quam Genus ſolùm complectitur *potentiâ*, & *ſub ſe*, & ſecundùm extenſionem, ſeu ambitum.

SECT. 15.

In qua dubitationes contra hanc quæſtionem explicantur.

Ob. Definitio convenit propriæ paſsioni, vt riſibilitate homo ſuperat animal, non tamen riſibile hominis differentia eſt, ſed proprium: Ergo definitio alijs convenit à definito.

Species ſuperat genus dupliciter, vel quoad { 1. *Accidentalem perfectionem*, et ſic ipſum ſuperat per *propriam paſſionem*. 2. *Eſſentialem perfectionem*, et ſic ipſum ſuperat per

Differen-

Differentiam: non itaq; quævis forma quâ ſpecies ſuperat Genus, ſed forma *eſſentialis* ſolùm Differentia eſt, quam ſpecies in *ſua eſſentia* continet, Genus ſolùm *in ſua poteſtate*,

Ob. Si ſpecies ratione *Differentia* ſuperet Genus, tum erit ſuperior genere (quod enim alterum ſuperat eſt eo ſuperius;) Argumentum manifeſtum eſt; Aut enim ſuperius erit quod ſuperat, aut inferius, at hoc falſum eſt, (ſi enim id quod eſt æquale non ſuperet, multo minùs id quod inferius eſt ſuperabit) Ergo ſuperius: at ſpecies non eſt ſuperior Genere, ſed inferius quid dam (cùm ei ſubjicitur) vt ſupra, ergo

Sol. *Superius* aliquid dicitur altero bifariàm, aut quoad

1. *Communitatem naturæ*, quod nempe altiorem locum in Prædicamento obtinet, & quod ad plura ſe extendit, & ſic Genus eſt *ſuperius* Specie, ut animal homine.

2. *Perfectionem naturæ*, quod nempè plures partes eſſentiales in ſe continet, & ſic ſpecies eſt *ſuperior* genere; nam vniverſam generis eſſentiam in ſe continet, & præter eam ſuam peculiarem, & proximam differentiam (quæ non eſt pars genericæ naturæ,) Genus ergo *ſuperius* eſt, i. communius: ſpecies autem *ſuperior*, i. perfectior.

Ob. Id alterum ſuperat ratione Differentiæ, quòd plures Differentias in ſe complectitur, ſed ſpecies unam ſolùm Differentiam, i. conſtitutivam complectitur, vt homo rationale, &c, Genus autem plures, ſcilicet vtraſq; dividentes, vt animal, rationale & irrationale, continet, Ergo Genus per Differentiam potius ſuperat Speciem, quam è contra.

Sol. Aliquid alterum *cõplectitur* bifariàm, aut ſecundum

1. *Ambitum* & *potentiam*, & ſic Genus *continet* plures Differentias quàm ipſa ſpecies, cùm ſpecies vnicam ſolùm differentiam *contineat*; Genus autem omnium ſuarum ſpecierum Differentias.

2. *Eſſentiam* & *Actum*: et ſic plures *continet* ſpecies quàm genus, cùm et omnes in ſe complectitur quæ ſunt in genere, et præter eas ultimam ſuam Differentiam.

Ob. Quicquid cadit in Speciem, cadit in Genus, (vt docet *Ariſtot.* 2. Topic. cap. 4. text. 2.) Quocircà, ſi Differentia proxima cadat in ſpeciem, cadet etiam in Genus, et per conſequens per eam ſpecies non ſuperat Genus.

Sol. Verum eſt, *quicquid cadit in Speciem, cadit in Genus*, ſed non eodem modo, quia cadit in ſpeciem *per ſe*, et *conſtitutivè*, in Genus autem

tem *per Accidens*, & *denominatione* solummodò.

Sol. 2. Genus consideratur, vel
1, *Confusè*, vt indeterminatum est, & ad plures species extenditur.
2. *Contractè*, ut actu informatur specifica differentia et ad ipsam Speciem restringitur, ut (verbi gratiâ) Animal consideratur vel quatenus commune homini & bruto est, vel ut per rationale, & irrationale determinatur, Et hoc posteriori modo si genus sumatur, *quicquid in Speciem cadit, in Genus cadit*, Non priori.

Sol. 3. Aptissimè respondetur ad locum; Intelligit illum locum de *Accidentibus* solùm *realibus*, non verò *essentialibus prædicatis*: quicquid enim *accidentaliter* in inferius cadit, & in superius cadet; è contrà, quicquid *essentialiter* in superius cadit, in inferius cadet.

Locus igitur istè duplicem patitur exceptionem: alteram
1. In *intentionibus*, quia non sequitur, homo est species infima, ergo animal est species infima.
2. In *convertibilibus prædicatis*: vnde non sequitur, homo est rationalis vel risibilis, ergo animal est rationale vel risibile, nimirùm *actu*, sed solùm *potestate*.

Ob. Aut species recipit eam differentiam à genere, aut à seipsâ: at non à seipsâ, quia differentia est prior specie, cùm sit ejus formale principium: ergo à Genere, & per consequens Species per hoc Genus non excedit, quod differentiam habet, quam non habet Genus.

Sol. Recipit eam à Genere, ideoque est in Genere, sed non eo modo quo est in Specie: in Genere enim est *inchoatè* & *imperfectè*: in specie verò *consummatè* & *perfectè*; in Genere tanquam in *principio* ex quo emanat, in specie tanquam in *subiecto* quod constituit.

Ob. At si Differentiæ quæ Species constituũt sint in Genere, tum oppositа simul in eodem erunt: ut rationale, & irrationale in animali.

Sol. Ad quod dicendum, quod non est inconveniens oppositа esse in eodem simul *potestate*, sed non in *actu*, Nam in eodem principio, i. in eodem genere, necesse est contraria comprehendi: ut albedo & nigredo in colore: virtus & vitium in habitu, sed non possunt esse in eodem subjecto: idq; *Philosophus* intelligit.

Sol. 2. Vt cognoscatur quomodo *Differentiæ continentur in potentia generis*, respondeo, duplicem esse potentiam: alteram
1. *Activam*, quæ est potentia aliquid *efficiendi*, sic autem nullum vniversale *potentiâ*, in aliquo principio continetur, cùm sit æternum, nec generationem agnoscit.
2. *Passivam*, quæ est potentia aliquid *recipiendi*: vt aqua frigida est in potentia ad calo-

calorem;& sic continetur differentia speciei in *potentia* generis,quatenus Genus aptum est informari ab ipsa Differentiâ.

SECT. 16.

De secundâ definitione Differentiæ,eiusq; explicatione.

Secunda definitio Differentiæ est: *Differentia est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in (quale quid.)* Vbi primo *definitum*, deinde *definitionis partes* observandæ sunt.

Pro *definito* autem notandum, quod duplex est differentia: altera scil:

1. *Specifica*, quæ immediate infimam speciem constituit,ut est rationale respectu hominis: & hæc non hic definitur,cum non prædicatur de pluribus differentibus *specie*, sed solùm *numero*.

2. *Generica*,quæ nimirum speciem intermediam constituit,quæ etiam Genus est: vt sensibile respectu animalis: animatum respectu corporis animati: Et hæc sola hic definitur.

In *definitione* autem notandum est, primò *Genus*, quod est *universale*,quod non expresse ponitur in definitione,sed intelligitur in relativo pronomine *(quod) differentia est quod:* id est,vniversale quod.

Differentia est duplex: *Prior* respicit *amplitudinem prædicandi*, (quod prædicatur de pluribus specie differentibus.) *Posterior* respicit *modum prædicandi (in quale quid.)*

Ad prioris intelligentiam,Notandum,quod hìc *aptitudo*, non *actus* prædicandi intelligitur,sicut et in cæteris vniversalibus, scilicet,quod suâ naturâ aptum est prædicari.

2° Observandum quod differentia generica de aliquibus prædicatur,

1. *Immediatè*,et sic prædicatur de vno solùm, nimirum de suâ specie interjectâ,quam proximè constituit, vt sensibile prædicatur solùm *immediatè* de animali.

2. *Mediatè*,et sic de ijs omnibus prædicatur quæ sub illa interjecta specie continentur (mediante scilicet ipsâ specie)ut sensibile(mediante animali)prædicatur de homine & bruto;et hæc prædicatio,in hâc definitione intelligitur.

Ad intelligendam secundam differentiam hujus definitionis,vel potius divisionis,observandum quod differentia sumitur bifariam,vel ut

1. *Pars essentia speciei*: Et hac ratione prædicatur in *Quid*.

2. *Terminus essentiæ speciei*, et sic prædicatur in *Quade* nam differentia non solùm

ſuam naturã ſpeciei tribuit, et ipſam conſtituit: Verũ etiam limitat et determinat fuſam eam naturam quam ſpecies à genere recipit, Ergo ratione *conſtitutionis* rationem *eſſentiæ* habet; ratione verò *limitationis*, *qualitatis*, ideoq; ratione *prioris* in (quid) ratione *poſterioris* in (quale) prædicatur.

Sed vt hæc melius cognoſcantur, obſervandum quod natura ſpeciei dupliciter limitatur, vel

1. *Intrinſecè*, et ſic ſpeciei eſſentia à ſolâ differentiâ determinatur. nam licet pars eſſentiæ ſit à *Genere*, tamen tota intrinſeca eſſentiæ determinatio eſt à ſolâ *Differentia*.

2. *Extrinſecè*, et ſic etiam determinatur à propriis paſsionibus, vel aliis affectionibus confuſam generis naturam contrahentibus ad vnam ſpeciem: vt riſibile determinat animal ad hominem: hinnibile ad equum; Quocirca prædicari in (quale quid) de ſpecie, nihil aliud eſt quam prædicari *eſſentialiter* de ipſâ ſpecie, quatenus natura ejus *intrinſecè* determinata eſt.

Vel facilius intelligite hanc particulam, diſtinguendo *Qualitatẽ*: duplex enim eſt; altera

1. *Eſſentialis*, quâ reſpondetur aptè ad quæſtionem quærentem de ſpecie, (quale) eſt ſecundùm ſubſtantiam? et talis qualitas eſt Differentia.

2. *Accidentalis*, quâ reſpondetur aptè ad quæſtionem, quærentem de ſpecie, quale eſt, ſecundùm affectionem, aut conditionem? et Qualitas Differentia, talis non eſt. Prædicari ergo in (quale quid) nihil aliud eſt quam prædicari *eſſentialiter*, id eſt aptè reſpondere ad quæſtionem quærentem, quale eſt ſecundum eſſentiam: vt ſi quæratur qualis eſt homo ſecundùm eſſentiam? apte reſpondetur, rationalis.

Per cætera verò (ut proprium et Accidens) aptè reſpondetur ad quæſtionem quærentem abſolutè, et nudè quale eſt aliquid? vt, qualis eſt homo? Eſt riſibilis! eſt doctus! etc. At ſi quæratur qualis eſt quoad eſſentiam? non rectè reſpondetur eſſe riſibilem, vel doctum, ſed eſſe rationalem.

SECT. 17.

SECT. 17.

Applicatio eorum quæ dicta ſunt ad definitionem.

Sic igitur hanc definitionem intelligite) Differentia) nempè generica, quæ ſpeciei (ſcilicet interjectæ) differentia eſt, (eſt quod) id eſt, vniverſale quod (prædicatur) id eſt, aptitudine, id eſt, quod eſt ſuâ natura aptum prædicari (de pluribus) nempè mediatè; Nam immediatè de vnâ ſolum ſpecie ſubalterna prædicatur, ſed, eâ mediante, de alijs ſpecie differentibus, id eſt, de ſpeciebus, (in quale quid) id eſt, ſecundum eam qualitatem quæ eſt pars, vt ita dicam, quidditatis, ſeu eſſentiæ, id eſt, apte reſpondet ad quæſtionem, qualis eſt ſpecies ſecundum eſſentiam? Quod ſi hanc definitionem ad differentiam *ſpecificam* velitis extendere, dicendum eſt eam particulam ſubintelligi (vt de pluribus numero differentibus) vnde apparet per hanc definitionem cætera vniverſa excludi: Nam per Genus, quod eſt vniverſale, excluduntur individua, per *priorem Differentiam*, quia prædicatur de pluribus ſpecie differentibus, ſpecies et proprium, et differentia ſpecifica, quæ ſolùm prædicantur de pluribus numero differentibus: per *poſteriorem differentiam*, quia prædicatur (in quale quid) excluduntur genus et accidens, quia Genus ſolùm in (quid) Accidens ſolùm in (Quale) prædicatur, neutrum conjunctim (in quale quid) ſicut differentia.

SECT. 18.

In qua diſcutiuntur difficultates, quæ hanc definitionem invadunt.

Ob. Quod definitur ſpecies eſt (vt omnes Dialectici concedunt) at Differentia non eſt ſpecies; deinde, quod definitur differentiam habet, cum omnis definitio ex Genere et Differentia conſtat (ut *Porphyrius* hoc in capite docet, t. 11.) at Differentia Differentiam non habet, quia Differentia ſolum ſpeciem conſtituit, (ut hoc in capite docet *Porphyrius*, t. 13.) ergo

Sol. Dif-

Sol. Differentia accipitur, vl
1. *Materialitèr*, pro eâ re quæ est Differentia, vt sensibile, animatum, etc. Et sic quidem species non sunt, nec Differentiam habent aliam, sed seipsis ab alijs rebus distinguuntur.
2 *Formalitèr*, pro intentione ipsâ rei applicatâ: sic autem species est, et differentiam admittit.

Ob. Definitio omni Differentiæ non convenit, proindè mala est, nam proxima Differentia hominis essentialis est differentia, et prædicatur de pluribus differentibus solum numero, non specie, Ergo

Sol. Differentia alia est
1. *Vltima*, inam speciem constituens, et hęc non hìc definitur.
2. *Intermedia*, constituens Speciem subalternam, et hęc solùm hìc definitur, nec oportet omnem Differentiam hâc definitione comprehendi, cum aliæ sunt quibus definitur.

Ob. Pars de toto nullo modo prædicatur, (dicente *Aristotele* 4 Top. cap. 5. t. 6.) sed Differentia est pars Speciei, cum Species ex Genere et Differentia constat, (docente *Aristotele* 6. Top. sæpissime,) Ergo non prædicatur de pluribus speciebus.

Sol. Pars est duplex,
1 *Physica*, sive sit *integralis*, vt caput, pectus, etc. respectu hominis; sive *essentialis*, ut materia, et forma *respectu* cõpositi, et *hæc* nullo modo de toto prædicatur.
2. *Dialectica*, ut Genus et Differentia respectu Speciei, hæc autem de toto prædicatur, et de illis, non de his, loquitur *Philosophus*.

Ob. Differentia prædicatur de eo solum quod constituit, sed constituit unam solum speciem, ut animal solum constituitur à sensibili, Ergo, prædicatur de vnâ solum specie; et non de pluribus.

Sol. Differentia generica constituit
1. *Immediatè*, unam so[illegible] speciem, ut sensibile animal.
2. *Mediatè*, interced[illegible] primo subjecto suo, alias species, ut sensibile hominem, et brutum: sic enim *immediate* de vnâ solum prædicatur, *Mediatè* de pluribus.

Ob. Si differentia Generica (mediãte suo primo subjecto) prædicetur de pluribus speciebus, vt sensibile de homine, & bruto, tum aut essentialiter, aut accidentaliter: non accidentaliter, quia tum aut Accidens hominis, aut Proprium, at non est Proprium, quia non convertitur cum homine, (nam brutum etiam est sensibile) nec Accidens, quia tum potest abesse a subjecto, scilicet ab homine, & homo potest esse, interim vt non sit sensibilis, & per consequens vt non sit, (nam sensibile est essentialis differentia animalis;) nec prædicatur essentialitèr, quia tum esset pars essentiæ, & per consequens poneretur in definitione hominis: at non ponitur, ergo.

Sol. Præ-

Sol. Prædicatur *essentialiter*, estq; pars essētiæ: aliquid autē in definitione ponitur alicujus speciei bifariā, nempè vel

1 *Explicitè*, & sic solùm proximum Genus, proximaque Differentia in definitione ponitur: vt cum homo definitur esse animal rationale.

2 *Implicitè*, quod nimirum in ijs includitur, quæ *formaliter* & *expresse* in definitione locum habent, & sic differentia remota, & omnia superiora genera, & differentiæ, in definitione includuntur: vt (verbi gratia,) cum homo definiatur esse *animal rationale*, in animale, & sensibile, & animatum & corporeum, & omnia superiora genera intelliguntur; hæc enim omnia animal in se continet.

Ob. Differentia vt prædicatur de pluribus speciebus, vt sensibile (quemadmodùm prædicatur de homine & bruto) non est differentia, ergo Differentia non hic definitur vt Differentia. Antecedens est manifestum; quia Differentia distinguit suum subjectum ab alijs omnibus: at sensibile non distinguit hominem ab omnibus alijs, cum asinus, equus &c. sunt sensibiles, Ergo non est differentia respectu hominis.

Sol. Differētia duplex subjectū habet, alterum

1 *Proximum*, vt sensibile animal: & hæc differentia *subiectum suum* à cæteris rebus vniversis *distinguit*: nihil enim sensibile est nisi animal.

2 *Remotum*, vt sensibile hominem, vel brutum: & hoc subjectum *non distinguit simpliciter, ab omnibus*, sed ab illis quæ sub eodem genere non continentur, vt licet sensibile non distinguit hominem a bruto, distinguit tamen ab omnibus quæ sub eodem genere non comprehenduntur.

Ob. Si Differentia prædicetur de pluribus speciebus, tum de tot prædicatur, de quot genus (quia solùm de pluribus differentibus specie dicitur:) at id falsum est, nam Genus prædicatur de pluribus quàm Differentia (vt ipse *Porphyrius* asserit in communit. Generis & Differentiæ, text 4.) ergo differentia non prædicatur.

Sol. Genus duplicem habet differentiam,

1 *Constituentem*, vt sensibile respectu animalis.

2 *Distribuentem*, vt rationale & irrationale respectu ejusdem; *prior* differentia æquè late patet atq; genus; at *posterior*, vt rationale & irrationale de paucioribus prædicatur.

Ob. Si differentia de speciebus in *quale* prædicetur, tum eas *quales* denominat, & per consequens est in prædicamento *Qualitatis*. nam sic definit Qualitatē *Aristoteles* in initio cap. de Qualitate: at differentia non est *qualitas*, quia tum esset Accidens, ergo in *quale* nō prædicatur.

Sol. Aliquid in *quale* prędicatur
1 Aut *nudè* & *simpliciter*, & sic qualitas.
2 Aut *Essentialiter*, & sic differentia in *quale* prædicatur: *Aristoteles* autem definit *qualitatem* secundum priorem sensum.

Sol. 2. Differētia cōsideratur bifariam,
Quoad *essentiam*, quatenus speciem *constituit*, & sic prædicatur in *quid*.
2 Quoad *modum*, quatenus *determinat* & *distinguit*, sic est qualitas, & in *quale* dicitur.

Sol. 3. Vel dicēdū quod duplex est differentia, altera
1 *Essentialis*, quæ *intrinsecùs* rei naturam format; talis Qualitas Differentia est.
2 *Accidentalis*, quæ *extrinsecùs* rei formatæ ac constitutæ accedit; talis autem *Proprium* est.

Ob. Accidens prædicatur in (Quale quid,) (vt ipse *Porphyrius* docet in cap: de Genere, text. 16.) ergo id solùm Differentiæ non convenit.

Sol. (Quale quid) sumitur in duplici sensu: vel vt denotat
1 *Essentiam*, & sic differentia sola prædicatur de re in *quale quid*, i. in quale secundum essentiam.
2 *Subiectum*, & sic Accidens dicitur prædicari in *quale quid est*, i. in quale subjectum est; Quocirca cum Accidens dicitur prædicari in *quale quid*, (*quid*) sumitur *indefinitè*, vt idem valet quod aliquid; cum autem Differētia in *quale quid* affirmari dicitur, (*quid*) sumitur *definite*, vt idem valeat quod natura & essentia.

Ob. Secundæ substantiæ sunt genera & species, sed significant *quale quid*, & per consequens prædicantur in *quale quid*, ergo Genera & Species prædicantur in *quale quid*: ideoque per hoc à Differentia non distinguuntur. Major est *Aristot:* in principio cap: de substantia, text. 2. Minor ejusdem, in eodem cap. text. 16.

Sol. Negatur ratio. Nam significare *quale quid*, nihil aliud est quàm comprehendere id quod est *quid*, nimirum genus: & id quod est *quale*, nimirum *differentiam* at prædicari in *quale quid*, est prædicari per modum essentialis qualitatis, idcirco significare *quale quid* est denotare cujus conditionis res *in se* sit: at prædicari in *quale quid*, est denotare cujus conditionis res sit *respectu subiecti*, ergo.

Sol: *Quale* sumitur vel
1 *Realem*, i. accidentalem aliquem rei modum, & conditionem, vt album subjecti conditionem, (sc. albedinem) denotat.
2 *Intentionalem*, vt (verbi gratiâ) vniversalitatem;

pri-

vt designat qualitatem | priori modo secundæ substantiæ non *quale quid* significant, hoc est, naturam reali aliquâ, & accidentali qualitate informatam, sed posteriori modo; quocirca substantias ibi significare *quale quid*, nihil aliud est, quàm communem aut vniversalem naturam significare.

Ob. Id quod dicit quidditatem rei, de eâ in quid prædicatur, at Differentia quidditatem dicit, idem enim est quidditas & essentia, At essentiam rei dicit Differentia: ergo.

Sol. Aliquid dicit essentiam rei bifariàm,
1 *Quoad rem* solùm, & sic *differentia*, vt sensibile animalis.
2 *Quoad rem & modum simul*: sic autem *genus*, non Differentia dicit speciei essentiam: Genus enim per modum *subsistendi*, & secundum nomen substantivum prædicatur: *Differentia* autem per modum *dependentis*, & sic solum secundum nomen adjectiuum, vt substantia, corpus, animal genera: corporeum, animatum, sensibile; differentiæ sunt.

SECT. 19.

De tertia definitione differentiæ, & de eiusdem explicatione.

Tertia definitio Differentiæ est: *Differentia est quod ea dividit quæ sub eodem sunt Genere.* In quâ definitione observandum, primò, *definitum*, deindè *definitionis sensus*; Definitum est Differentia *proxima*, quæ immediatè speciei convenit, non *remota*, quæ ei convenit gratiâ generis: vt (verbi gratiâ) sensibile, quod est *remota* hominis Differentia, non discernit hominem à bruto, sed rationale quæ *proximè* naturam hominis constituit. Secundò *Definitio* ex *Genere* constat, & ex *Proprietate istius*: *Genus* est vniversale, in relativo pronomine (*quod*) intellectum; *Proprietas* est *dividere ea quæ sunt sub eodem Genere.*

Ad quã particulam in-
1 *Per contractionem* quomodò rem *dividere* nihil aliud est, quàm rem confusam determinare, & sic *Differentia* dividit Genus.
2 *Per distinctionem* quomodò rem *dividere* nihil aliud

intelligēdā, obſervandū quod duplex eſt diviſionis modus

eſt, quam vnam rem ab aliâ ſecernere, & diverſam facere; Prior diviſio *potentiam* & *ambitum* reſpicit; poſterior, *naturam* & *eſſentiam*: Illa *conſtitutionem ſpeciei* precedit: hæc ſequitur; Quocirca, *dividere* (hoc in loco) idem valet atque *ſeparare*, vel *diſtinguere* ea, quæ ſub eodem genere ſunt: vt rationale *dividit*, i. diſtinguit, & diſcernit (tanquàm propria nota) hominem à bruto; & irrationale eodem modo brutum ab homine.

(Ea quæ ponuntur ſub eodem Genere) nimirùm *proximè*: ſub genere enim *proximè* collocantur ſpecies; *remotè* tamen (intercedentibus ſpeciebus) individua; Diferentia autem *primariò* ſpecies ipſas diſtinguit: *ſecundariò* autem, ipſa ſpecierum individua, non quidem ad hunc ſenſum vt ſit aliqua eſſentialis Differentia inter individua ejuſdem ſpeciei, ſed ita vt diſtinguat individua vnius ſpeciei ab alterius ſpeciei individuis: vt rationale *primariò* diſtinguit hominem à bruto, *Conſequenter* autem individua hominis ab individuis bruti.

Notandum, aliqua ſpecies ab altera diſcernitur, vel

1 *Intrinſecè & eſſentialiter*, ſic autem ſpecies eiuſdem generis diſtinguitur ſolum per ſuas *eſſentiales* & *maximè proprias Differentias*, vt homo per rationale.

2 *Extrinſecè & accidentaliter*, & ſic ſpecies ejuſdem generis diſtinguitur ſolum per ſuas *proprias paſſiones*, vt homo per riſibile.

Quocirca hoc ſenſu definitio eſt intelligenda, Differentia ſc. eſſentialis & proxima eſt, quod i. (vniverſale quod) dividit i. diſtinguit, & ſecernit à ſe invicem, idque non *accidentaliter*, (nam ſic etiam proprijs paſſionibus diſtinguuntur,) ſed *eſſentialiter*, ea quæ ſub eodem genere ponuntur, i. ea quæ *proximè* ponuntur ſub eodem genere, hoc eſt, eas ſpecies, nempè *primario*, nam *conſequenter* (mediantibus ſc. ſpeciebus) diſtinguit individua eo ſenſu quo expoſui.

SECT. 20.

In qua ſoluuntur dubitationes huius definitionis.

Ob. Eadem differentia non eſt conſtituens & dividens ejuſdem reſpectu: ſed proxima differentia ſpeciem conſtituit, vt hominem rationale: ergo ipſum non dividit.

Sol.

Sol. Differētia aliquid dividit per modum

1 *Diſtributionis*, & ſic non poteſt idem *dividere*, i. diſtribuere in ſpecies, & *conſtituere*, nam quod conſtituit aliquid, aut eſt eo *ſuperius*, aut ſaltèm *æquale*, & quod dividit ſemper eſt *anguſtius*.

2 *Diſtinctionis*, & ſic idem poteſt eandem ſpeciem & *conſtituere* & *dividere*, i. diſtinguere: *conſtituere* vt pars eſſētialis: *dividere* vt eſſentialis peculiariſque nota; Differentia dividit genus *in alia*, ſed dividit ſpecies *ab alijs*; Genus (inquam) *in alia*, propter eam *communitatem* naturæ genericæ: ſpeciem *ab aliis*, propter naturæ ſpecificæ *proprietatem*.

Ob. Definitio convenit formæ *Phyſicæ*, nam anima rationalis diſtinguit hominem eſſentialiter à bruto, ſed non vt differentia; nam anima rationalis non prædicatur de homine, (non enim eſt homo anima rationalis,) Ergo definitio non ſolùm definito convenit.

Sol. Idem *in re* eſt forma *Phyſica*, & *Dialectica* Differentia, vt rationale, & anima rationalis; *per modum* ſolùm *prædicandi* & *ſignificandi* diſtinguitur, quia differentia cum ſit *concretum* prædicari poteſt: *Phyſica* forma cum ſit *abſtractum* prędicari non poſſit de ipſâ ſpecie quam diſtinguit.

SECT. 21.

De quarta definitione Differentiæ, & eius explicatione.

Quarta definitio Differentiæ, (*Differentia eſt quâ differunt à ſe ſingula ſecundùm eſſentiam.*) Ad quam definitionem intelligendam, Primò notandum quòd hæc definitio omni *eſſentiali* Differentię convenit, ſive *generica*, ſive *ſpecifica* ſit, ſive *remota*, ſive *proxima*, quamvis omnes Differentiæ rem *æqualiter* non diſtinguunt, ſed quo magis *ſpecialis* eſt, & rei quæ diſtinguitur vicinior, eò *magis* ipſam diſtinguit à pluribus, ut rationale hominem diſtinguit à pluribus quàm ſenſibile: ſenſibile, quàm animatum: animatum, quam corporeum; Per *eſſentiam* (hoc in loco) non qualemcunque eſſentiam intelligite, ſed *formalem*, ad hunc ſenſum: Differentia eſt quâ res diſtinguitur *eſſentialiter ex parte formæ*, nam illæ quæ res diſtingunt ſolùm *materialitèr*, vt corpus diſtinguit hominem ab Angelo, & caput equum à ſaxo, non ſunt Differentiæ; (per ſingula,) ſingulas ſpecies intelligite, non individua i. ſingularia, nam individua ejuſdem ſpeciei accidentibus ſolùm, (ſi *Dialectice* conſiderentur) intra ſe differre ſuprà diximus.

SECT. 22.

In qua difficultates huius definitionis moventur, & amoventur.

Ob. Summa genera, vt Subſtantia, Quantitas, Qualitas &c: inter ſe diſtinguuntur eſſentialitèr, quia ſi ſolùm accidentalitèr intra ſe differrent (cum omne Accidens abeſſe poteſt,) fieri poteſt vt omninò non differrent, ſed ſumma genera non habent eſſentiales aliquas Differentias, nam omnis eſſentialis Differentia eſt conſtituens, ſi autem ſumma genera haberent conſtituentes Differentias, haberent etiam ſuperiora genera, nam omnis Differentia quæ rem aliquam conſtituit, ejuſdem rei genus dividit, ſed non habet ſuperiora genera.

Ob. 2 Punctũ, vnitas &c. & omnes ſpecies prædicabiles eſſentialitèr differunt, nam quæ ſpecie differunt, differunt etiã eſſentialitèr; quæ autem ſunt differentes ſpecies, differunt ſpecie: ergo eſſentialitèr; non tamen habent eſſentiales Differentias, nam Differentiæ quæ conſtituunt ſpeciem, dividunt Genus: ſed hæ ſpecies nulli ſubijciunrur Generi.

Ob. 3. ipſæ differentiæ eſſentiales (vt rationale & irrationale) differunt eſſentialitèr, (nam quæ faciunt alias res differre eſſentialitèr, ſine dubio ipſa eſſentialiter differunt,) ſed non differunt per eſſentiales Differentias, ergo non ſolùm per differentias, res eſſentialitèr differunt.

Sol. Duplex eſt diſtinctionis modus, alter

1 *Extra Genus*, quo modo ea diſtinguuntur quæ in nullo genere conveniunt, vt quæ in diverſis prædicamentis locum ſortiuntur.

2 *In Genere*, quo modo ea diſtinguuntur, quæ, in ſuperiori aliquo genere convenientia, inter ſe tamen diſcrepant: vt ea quæ ad idem prædicamentum ſpectant, quæ priori modo diſtinguuntur, à Dialecticis nominantur *diverſa* vt Subſtantia & Qualitas; quæ autem poſteriori modo, ea ſolùm *differentia* vel *differre inter ſe dicuntur*, vt homo, lapis.

Aliud itaque eſt *diverſum eſſe* (apud *Ariſtotelem*) quoad *eſſentiam*; aliud *differre* quoad *eſſentiam*; quæ itaque *differunt* quoad eſſentiam, eſſentiales differentias habent, quæ *diuerſa* ſolùm ſunt à ſeipſis diſtinguuntur, non verò ab alijs eſſentialibus differentijs.

Sol. 2.

Sol. 2. Notãdum quod alius est distinguendi modus,

1 *In rebus compositis*, i. quæ ex essentialibus partibus componuntur, vt in speciebus.

2 *In rebus simplicibus*, quæ omni essentiali compositione carent; in hac classe ipsa rerum *Principia* collocantur: in illâ, ea quæ sunt *ex principijs*, & per essentiales differentias distinguuntur; ipsa autem *principia* non ab alijs, sed à seipsis; talia autem vniversa sunt quæ in obiectionibus afferuntur.

Ob. Animal distinguit hominem essentialitèr à saxo, non enim accidentaliter, (tum enim animal esset accidens,) non tamen est essentialis differentia hominis, cum sit Genus, ergo definitio alijs convenit quàm definito.

Sol. Aliquid rẽ vnã ab alterâ distinguit

1 *Per se*, & *primariò*, & sic differentia sola est, quæ res sc. compositas distinguit.

2 *Per participationem* Differentiæ, & sic alijs etiam competit potestas res distinguendi: animal itaque distinguit hominem à saxo, sed non *per se* & *vi suâ*, sed *vi suæ differentiæ*, sc. sensibilis quam includit. Quod igitur *essentialitèr*, & *primò* res differre facit, differentia est.

Sol. 2. *Formalitèr* differentia sola, *accidentaliter* etiam res aliæ differre faciunt.

Ob. Sensibile est differentia essentialis, & proxima animalis, sed non distinguit animal ab alijs rebus, nam ignis, aqua, aliaque corpora sensibilia sunt, (vt *Aristoteles* asserit in cap. de Relativis, text. 20.) & manifestum est, quia sentiri possunt.

Sol. Aliquid *sensibile* dicitur bifariam.

1 *Activè*, quod potest *sentire*, & sic denotat *principium* aut *facultatem* sentiendi, soliqne animali competit.

2 *Passivè*, quod potest *sentiri*, & sic denotat *obiectum* sentiendi, sic autem alijs etiam rebus competit, solum animal sensibile est, vt *subiectum* sensus, alia etiam sensibilia sunt, vt *obiecta sensus*.

SECT. 23.

An differentia forma sit, & in quo sensu?

Forma duplex.

1 *Physica* quæ cum materia, totum compositum constituit, vt anima rationalis, Physica forma est, quæ cum corpore totum hominem consummat.

2 *Dialectica*,

2 *Dialectica* quæ duplex est: { 1 *Activa*, quæ informans, sic differentia forma appellatur. 2 *Passiua*, quę formatur à differẽtia.

Notandum autem quod aliquid formatur à Differentia bifariam, { 1 *Externe*, & sic *genus* quatenùs per eam *constituitur*. 2 *Interne*, & sic *species* quatenùs per eam *contrahitur*, formari à differentia dicitur:

Tres enim sunt actus formæ, { 1 Primus, *materiam confusam contrahere*: 2 Secundus, *contractam ad se vnire*. 3 Tertius, *sibi vnitam ab alijs secernere*: Omnes autem in differentiam quadrant; Genus enim confusum contrahit, in quo actus *divisionis*: cum contractâ specie naturam absolvit, in quo actus *constitutionis*; constitutam speciẽ ab alijs separat, in quo, actus distinctionis respicitur: vnde divisio respicit *potentiam Generis*; Constitutio respicit *essentiã speciei*; distinctio verò, *essentiæ proprietatẽ*.

Quocirca *forma* dicitur bifariam, nempè aut { 1 *Verè*, & *propriè*, & sic forma *informans*, sc. forma Physica. 2 *Analogicè*, & sic forma *formans*, i. *Dialectica* differentia, forma dicitur, quod, quæ est ratio *formæ* ad materiam, & compositum, eadem est *Differentiæ* ad Genus & Speciem.

Hactenus de Differentia

TRAC-

TRACTATVS QVINTVS
De Proprio.

SECT. 1.

In quâ Porphyr. *ſumma & ordo tractationis proprii.*

Porphyr. hoc in capite quatuor enumerat Proprij acceptiones, dicitur enim proprium & quod convenit,

1 *Soli*, licet non *omni*, vt homini eſſe medicum.

2 *Omni* non *ſoli*, vt homini bipedem eſſe.

3 *Omni*, & *ſoli*, ſed non *ſemper*: vt, omni homini convenit in ſenectute caneſcere.

4 *Omni*, *ſoli*, & *ſemper*, vt homini eſſe riſibilem.

De ordine autem notandum quod meritò

1 *Succedit* cæteris vniuerſalibus, quia ab alijs tanquam à cauſis promanat, ſed *immediate* à ſpecie, *mediate* verò à principijs ſpeciei, ſc. à genere & differentiâ, vt riſibile, *immediatè* ab homine fluit (eo mediante) ab animale & rationali, quæ ſunt principia hominis.

2 *Præcedit* Accidens, quia ſicut ſpecies eſt prior individuis, ita proprium accidente, cum proprium *immediatè* à principijs ſpeciei, accidens autem à principijs individui profluat.

SECT. 2.

De Proprio *primo modo accepto.*

Proprium primo modo definitur. *Quod convenit ſoli, ſed non omni:* quæ definitio, ita intelligitur. *Proprium* primo modo dictum, eſt prædicatum acccidentale, *quod convenit ſoli,*

alicui ſpeciei, ita vt extra individua vnius ſpeciei non reperiatur: *ſed non omni*, ſc. individuo omni ipſius ſpeciei, vti eſſe medicum, convenit ſoli homini, non tamen omni ejuſdem individuo, vel eſſe peritum *Grammatices* vel *Geometriæ*.

Ob. Cui convenit mederi, ei convenit eſſe medicum: ſed alijs convenit mederi, præterquam homini; vt canes vlceribus (lambendo) medentur: herbæ etiam ac radices morbis adhibitæ, medentur: Ergo non convenit ſoli homini eſſe medicum.

Sol. Aliquod *medetur* bifariàm, aut
- 1 *Inſtrumentaliter*; quomodo ea *medentur*, quæ morbis adhibita, morbos pellunt: vt potiones, vnguenta, &c.
- 2 *Principaliter*, quomodo id morbo *medetur*, quod morbo medicinam adhibet.

Principaliter verò, aliquid alteri medetur, aut beneficio,
- 1 *Naturæ*, & ſic alijs competit animalibus *mederi*, præterquam hominibus: vt, canibus.
- 2 *Artis*, & ſic ſoli convenit homini: (vt dicit *Porphyr.*) *eſſe medicum*. i. ex præſcripto *artis* morbos omnes curare; canes autem non niſi vlcera, idque ratione temperamenti ſanant, cùm enim vlcerum cauſa, putrefactio ſit, quæ ex præternaturali humore, caloreque provenit, (contraria autem contrarijs curantur) eſtq; quidem canis melancholicæ temperaturæ, i. frigidæ, & ſiccæ, harum qualitatum fit vt ſiccitas humorem, frigus calorem temperet.

Notandum, quod hic primus modus *proprii*, non alitèr diſtinguitur à quarto modo, quam vt actus à potentia, hoc enim *actum*, illud *aptitudinem & facultatem* denotat: vt, eſſe medicum aut eſſe Geometricum, eſt primo modo proprium hominis: ſed *aptum eſſe*, eſſe *medicum*, aut *poſſe* eſſe *Geometricum*, eſt quarto modo proprium. Dinceps notandum eſt: quod primi tres modi propriorum ſunt, prædicabilia accidentia, & *directe* ad quintum prædicabile ſpectant, *reductive* ad proprium.

SECT. 3.
De Proprio *ſecundo modo.*

Proprium ſecundo modo acceptum, definitur. *Quod convenit omni, non ſoli*, quam ita intelligite. *Proprium ſecundo modo eſt (vniuerſale)*

ſale) *quod convenit* (accidentalitèr) *omni* individuo alicujus ſpeciei, *ſed non ſoli* ipſi ſpeciei, verumetiam alijs ſpeciebus, vt eſſe bipedem reſpectu hominis.

Ob. Omnes homines duos pedes non habent, (ſunt enim aliqui, qui pedibus carent) ergo *eſſe bipedem* non eſt (hâc ratione) proprium hominis.

Sol. Eſſe bipedem bifariàm accipitur, vel vt deſignat

1 *Actum* habendi duos pedes.

2 *Aptitudinem naturalem* eos habendi: priori modo, *omni* non convenit, ſed poſteriori: *omnes* enim per naturam apti ſunt, vt habeant: quod vero aliqui non habent, non ab *intrinſeco* eſt, & à *naturâ*, ſed ab *extrinſeco*, & *per accidens*.

Ob. Pedes ſunt integrales hominis partes, & quædam ſubſtantiæ: proprium autèm ſecundo modo dictum eſt accidens, non ſubſtantia: ergò *eſſe bipedem* non eſt (ſecundo modo) proprium hominis.

Sol. Pedes ipſi ſunt ſubſtantiæ, & partes integrales, ſed facultas habendi duos pedes, affectio eſt, & paſſio *accidentalis* ipſius hominis.

Od. Bipedem eſſe eſt differentia ſubſtantiæ, vt *Ariſtot.* affirmat. cap. de ſubſt. text. 13. & in ſecundâ regulâ anteprædicamentali, cap. 3. t. 2. ergo non eſt proprium ſecundo modo.

Sol. Bipedem eſſe denotat, aut

1 *Facultatem* habendi duos pedes, & ſic (vt diximus) eſt ſecundo modo proprium.

2 *Principium* hujus facultatis, quod nimirùm requirit, ad exercitium ſuarum operationum in corpore, duos pedes; & ſic nihil aliud eſt quam anima *bipedis* animalis: & hoc modo eſt differentia.

Ob. Animal convenit omni, & non ſoli homini: non tamèn eſt proprium ejus ſecundo modo, cum ſit ejus genus, ergo.

Sol. Proprium, ſecundo modò, eſt *quod convenit omni non ſoli accidentalitèr*, & per modum *inhærentiæ*, non *eſſentialitèr*, & per modum *conſtitutionis*; vt animal homini.

SECT. 4.

De Proprio tertio modo, ejuſq; explicatione.

Proprium 3^io modo ſumptum eſt, *quod convenit omni, & ſoli, ſed non ſemper*: quam ita intelligite. *Proprium 3^io modo* eſt (vniverſale) *quod*

convenit accidentaliter, *soli alicui speciei*: & *omni* individuo ejusdem speciei, *sed non semper*: i. (in omni tempore in quo individua existunt) sed in certo, & definito tempore, vt *canescere* homini, soli & omni convenit, sed non quovis tempore, sed solùm in senectute.

Quocirca proprium tertio modo, tria requirit,
1 *Communitatem*, respectu *individuorum* quia convenit *omni*.
2 *Proprietatem*, respectu *speciei*, quia convenit *soli*.
3 *Determinationem*, respectu *temporis*, quia non convenit *semper*, sed solũ in statuto à natura tempore.

Observandum est, quod

Senectus est duplex,
1 *Destinata & ordinaria*, quæ ætate determinatur, & in anno 58: *Medicis* incipit.
2 *Naturalis & vera*, quæ non ætate, sed temperatura discernitur, cùm sc. in humano corpore, (non gradu, sed proportione,) *humorem* siccitas, frigus *calorem* vincit, & *hanc* perpetuo comitatur canities, non *alteram*.

Ob. Quod convenit omni, convenit semper, vt ipse *Aristoteles*, 1. post. analyt. c. 4. t. 3. ergo proprium 3^io^ modo malè definitur.

Sol. Quod convenit omni *essentialiter & per se* convenit semper, (idque *Aristoteles* intelligit,) non verò quod convenit *accidentaliter*.

Observandum autèm quod quædam

rei alicuius naturam sequuntur, aut
1 *Immediatè & absolutè*, vt risibile naturam hominis, hinnibile naturam equi, & hæc *semper* omni conveniunt.
2 (*Mediatè* & ex *conditione*, præsuppositis in corpore quibusdam dispositionibus, sine quibus produci non potest, vt est in homine canities, quæ propriè frigiditatem, & siccitatem sequitur.

Ob. Cætera animalia canescunt, vt equi, & canes (est enim canities, *albedo pilorum ex fumo pituitoso & melancholico*) quæ alijs convenit, ergo id, scil. canescere, soli homini non convenit.

Sol. Respondere solent, cætera animalia non *canescere* sed *griceſcere*; perstolide satis: nec philosophicè nec latinè: etenim in eo sum constitutus iudicio, vt existimem: quod cætera animalia non tam *griceſcunt*, quam *asineſcunt* illi, qui ita respondent.

Melius

Melius respondemus *canitiem* duplicem esse alteram,

1 *Indeterminatam*, quæ certam sedem in corpore non habet, sed per vniuersum corpus fusa est, & hæc convenit alijs hirsutis & pilosis animalibus.

2 *Determinatam*, quæ certam corporis partem affi-cit, & hæc solùm hominibus est propria.

Ob. Multi adolescentes canescunt, ergò non convenit homini in senectute solùm canescere.

Sol. Canities est duplex, vel

1 *Naturalis*, quæ ex ordinario naturæ cursu accidit, atque hæc homini convenit solùm in *senectute*.

2 *Violenta, & adventitia*, quæ præter naturæ necessitatem, trahit originem ab aliqua accidentali causâ; hæc autem ex *Violentis* animi affectibus provenit, dolore, timore, sc. quibus spiritus retrahuntur, & extinguitur calor, & hæc, *adolescentibus* potest accidere.

Duplex enim est canitiei causa, vel

Privativa, sc. vitalis caloris extinctio, quæ interdùm ex vehementibus animi affectibus provenit, & hæc aliquando *adolescentibus* accidit.

2 *Positiva*. sc. humoris qualitas, ex cuius fumo pili generantur, cùm enim duo in pilorum canitie reperiamus, *albedinem*, sc. & *siccitatem*; *albedo* ex pituitoso, *siccitas* ex melancholico humore provenit, nam inter omnes humores, *albescit* magis pituita, *siccescit* autem melancholica, hæc verò est *senibus* peculiaris.

SECT 5.

De Proprio quarto modo, atque primò de eius definitione, eiusdemque explicatione.

Proprium quarto modo definitur: (*Quod omni, soli & semper convenit*) ad quam definitionem intelligendam, primò de *definito*, deinde de *definitionis partibus* agendum est.

De *Definito* notandum quod duplex est proprium, quod cum suo subjecto convertitur.

1 *Transcendens*, sicut bonum dicitur *propria* passio entis, & de hoc, *Porphyrius* non loquitur, cum non solum alicui rerum speciei, aut generi conveniat, sed rebus vniversis.

2 *Finitum* & *limitatum*, quod rebus determinatis convenit, & hoc est duplex.

1 *Prædicamentale*, quod sc. toti alicui *prædicamento* convenit: vt, *non inesse subiecto* dicitur *proprium* substantiæ: *esse æquale, aut inæquale*, Quantitati; *esse simile, vel dissimile*, Qualitati, & de his *Porphyrius* non tractat.

2 *Specificum*: quod determinate alicui speciei competit, sivè sit species *interiecta*: vt, mobile corpori, sive *infima*, vt *risibile* homini competit: & de hoc *proprio* definitio est intelligenda.

SECT. 6.

De ipso definitionis sensu.

Definitio constat ex genere, & differentiâ: genus intellectum est in relativo (*quod*) nempè (*vniversale.*) Differentia autèm, quâ proprium à cæteris discernitur, eiusque natura explicatur, eius *conditionibus* absolvitur.

Conditiones autem *proprii* duplices sunt, vel sc.

1 *Materiales* ex parte *subiecti*, quomodo duas requirit,

1 *Vniversalitatem*; ratione subiectorum *remotorum*, vt omnibus subiectis illius speciei conveniat, cuius ipsum est proprium: vt, *risibile* omnibus singularibus hominibus.

2 *Priprietatem*, respectu subjecti *proximi*, vt soli speciei competat, cujus proprium est: vt, *risibile* soli homini.

2 *Formales*

2 *Formales*, ex parte *modi conveniendi* ſubjecto: quomodo tres requirit, ſc.

1 *Perpetuam convenientiam*, vt ſemper conveniat, ità vt nullum ſit tempus, in quo verè de quovis ſuorum ſubjectorum dici non poteſt.

2 *Neceſſariam inhærentiam*: vt, non *contingenter*, & *fortuitò* conveniat, ſed ſubjecto immobili nexu, ſemper adhæreat.

3 *Accidentalem inhærentiam*: vt, non *eſſentialiter* rei conveniat, ſed *accidentaliter*: i. non vt *conſtituens*, ſed vt *conſequens* ſubjecti naturam. Sic igitur definitionem intelligite.

Proprium quarto modo eſt *quod*, i. vniuerſale quod *convenit*, *accidentaliter*, i. non vt pars *eſſentiæ* ipſius rei, & *neceſſariò*, i. non vt aliquod fortuitò contingens, ſed certo conſequens, & concomitans rei naturam, *omni*, i. omni individuo; aut omni ſubiecto ſuæ ſpeciei, *ſoli*, i. ſoli vni ſpeciei, ita vt extra ſuam ſpeciem, & ipſius ſpeciei individua, non reperiatur, *ſemper*, i. non in determinato aliquo tempore, vt *ætate* ſolùm, (ſicut proprium tertio modo) ſed *abſolutè ſemper*, ita vt nullum excipitur tempus in quo, ſuo ſubiecto non convenit.

SECT. 7.

In quâ dubitationes huius definitionis obiiciuntur, & reiiciuntur.

Ob. Proprium & commune opponuntur; ergo proprium non eſt commune: at omne vniverſale eſt commune, ergo proprium non eſt vniverſale.

Sol. Proprium aliquod dicitur aut reſpectu,

1 *Individui, aut rei ſingularis*, quod autem ita *proprium* eſt, *commune* eſſe non poteſt, ſed ei opponitur.

2 *Vniverſalis, & ſpecificæ naturæ*, quod autem ita *proprium* eſt *commune* eſſe poteſt, ſed diverſo reſpectu, dicitur enim *proprium* reſpectu *ſpeciei*, cui ſoli & *particulariter* convenit; dicitur *commune* reſpectu *individuorum*, quibus omnibus *communiter*, & *vniuerſaliter* convenit.

Ob. Omne vniuerſale, (quâ vniverſale) multis convenit, proprium

um verò quatenus vni ſoli ſpeciei convenit, non convenit multis, nec de multis prædicatur, ergo proprium ratione ſpeciei, non eſt vniverſale: & per conſequens male definitur.

Sol. Aliquid de multis prædicatur dupliciter, aut

1 *Formaliter*, & ſic proprium de multis prædicatur, ſolùm *mediatè*, quatenus (intercedente ſpecie) de ejuſdem ſpeciei individuis enunciatur.

2 *Æquivalenter*, & ſic proprium prædicatur de multis etiam *immediatè*, quatenus prædicatur de ſpecie, quæ ratione vniuerſalis continentiæ, omnibus ſuis individuis *æquivalet*; quod autem vtrouis modo, de multis prædicatur *directe*, vniuerſale eſt.

Ob. Omne diſtinctum vniverſale, diſtincta habet individua, de quibus prædicatur; ſed proprium non habet diſtincta individua, de quibus prædicatur: cum prædicetur tantùm de individuis ſpeciei: vt, (riſibile de individuis ipſius hominis) ergo non eſt diſtinctum vniverſale.

Sol. *Individua* ſumuntur dupliciter, vel

1 *Abſolutè* quoad *rem*, & ſic vniverſalia diverſa, imò omnia, de ijſdem *individuis* dici poſſunt.

2 *Comparatè* quoad ſubijciendi modum, & ſic vniverſalia habent diverſa *individua*; quocirca licet *individua* ſpeciei, & proprij eadem ſint *quatenus res*, non tamen *quatenus* ipſa ſubjecta ſunt.

Sunt enim ſubjecta ſpeciebus quoad *eſſentiam*, ſubjecta verò ſpecierum proprijs, quoad *inhærentiam*: vt, *Socrates*, *Plato*, ſc. *eſſentialiter* homini ſubijciuntur, *accidentaliter* riſibili.

Vel major abſolutè negari poteſt, nam

Sol. 2. Vniverſalia diſtinguuntur bifariam, vel

1 *Materialiter*, reſpectu *ſubiectorum*, & ſic proprium & ſpecies non diſtinguuntur, cum eadem ſubjecta habeant.

2 *Formaliter* ratione *modi prædicandi de ſubiecto*, & ſic diſtinguuntur: cum ſpecies *eſſentialiter*, & in *quid*, proprium *accidentaliter*, & in *quale*, de ijs prædicetur.

Ob. Definitio convenit ipſi differentiæ, nam rationale convenit *omni, ſoli, & ſemper* homini. Senſibile animali: ergo mala eſt definitio.

Sol Non quicquid convenit *omni, ſoli, & ſemper*, eſt proprium, ſed quicquid convenit *omni ſoli & ſemper*, (*accidentaliter* & *neceſſariò*.) Differentia autem convenit *eſſentialiter*: quocirca differentia & proprium

prium cum ſuis ſpeciebus convertuntur, ſed diverſo reſpectu: differentia ratione *conſtitutionis*, quia ſolùm, & tantùm ſpeciem conſtituit: proprium ratione *conſequutionis*, quia ſolam & totam ſpeciem conſequitur: differentia ut *propria cauſa*: proprium, vt *proprius effectus* ipſius ſpeciei.

Notandum quod converſio nihil aliud eſt, quam *vniverſalis duarum rerum de ſe invicem affirmatio*: ita, ut ea omnia, & ſola *convertuntur*, quæ ſunt inter ſe æqualia, & vnum ſine altero non reperitur: vt animal rationale & homo; equus & hinnibile, ſenſibile & animal: iſtis enim omnibus competit converti cum ſuis ſubjectis, nempe *definitioni, differentiæ, & proprio*.

Ob. Par, & impar convertuntur neceſſariò cum numero & accidentaliter; ſic curvum & rectum cum lineâ, (omnis enim numerus eſt vel par vel impar, & omne quod eſt vel par, vel impar eſt numerus. (Sic de curvo & recto ratione lineæ dicendum eſt) non tamen eſt vniverſale, cum ſit complexum, ergo omne proprium univerſale non eſt, & per conſequens definitio, (quia omnibus non convenit) mala eſt.

Sol. Proprium duplex eſt.

1. *Complexum*, vt par & impar numero, curvum & rectum lineæ, & *illud* hîc non definitur, quia non eſt univerſale; cum ſimplex non ſit.

2. *Incomplexum*, ut hinnibile equo, rugibile leoni, riſibile homini *proprium* eſt, *hoc* ſolum *proprium* hic definitur, & huic in vniverſum convenit definitio.

Ob. Coloratum eſt accidens, convertitur tamen cum corpore, omne enim corpus coloratum eſt, ut aſſerit *Ariſt.* de Senſ. & Senſibil. cap. 3. ac omne coloratum eſt corpus, idque neceſſariò, nullum enim corpus ſine colore eſſe poteſt, nec vllus color ſine ſubjecto corpore, ergo definitio non ſolum *proprio* convenit.

Sol. Aliquid convenit *neceſſariò* ſubiecto dupliciter, aut ex neceſsitate

1. *Materiæ*, & ſic accidentia inſeparabilia *neceſſariò* ſuis ſubjectis conveniunt, ut albedo cygno, corpori color.

2. *Formæ*, et ſic ſolum propriè paſſiones (non etiam accidentia) *neceſſariò* conveniunt; quocirca accidentia

quædam propter *dispositionem materiæ*; solæ verò passiones *propriæ*, propter *naturam formæ*, *necessariò* inhærent, ut color convenit homini *necessario* ratione *materiæ*; risibilitas verò ei convenit ratione *formæ*.

Ob. Risibile est proprium hominis, at non convenit semper homini quia flebile etiam ejusdem proprium est, & convenit semper. Sunt autem opposita, at opposita non possunt eidem simul convenire. Ergo

Sol. Risibile & flebile considerantur, aut quoad

1. *Facultates ipsas, & potentias naturales*, & sic non repugnant.

2. *Actus seu operationes istarum facultatum*, sic autem repugnant, & simul consistere non possunt, vt homo simul est flebilis, & risibilis: non tamen flet simul, ac ridet: actus autem ipsæ sunt accidentia, solæ potentiæ sunt propriæ passiones.

Ob. Si homo sit semper risibilis, ergo potest semper ridere, si semper flebilis, ergo flere semper potest; ergo & flere semper, & ridere, quod est impossibile.

Sol. Captio divisionis committitur, si enim adverbium (*simul*) referas ad verbum (*potest*) propositio vera est, vt *Socrates potest* (*simul*) *ridere & flere*: Si ad conjuncta verba (*ridere & flere*) falsa est: vt *Socrates potest flere & ridere simul*: *potentiæ* enim ipsæ eidem conveniunt, *actus* non conveniunt.

Ob. Si conveniat proprium omni individuo (vt *E.G*, risibile *Socrati*) aut ergò convenit ei ut proprium, aut ut accidens (nam *essentialiter* non convenit) non vt accidens (nam *accidentia primò insunt in individuis*, vt *Porphyrius* c. 6. t. 3) at risibile convenit *Socrati* speciei gratiâ: nec ut proprium, quia cum suo subjecto proprium *convertitur*; at risibile non convertitur cum *Socrate*, cum conveniat alijs, ergo non convenit omni.

Sol. Dicendum est, risibile convenire *Socrati*, ut proprium 4' modo; nec tamen convertitur, nam

Duplex subjectum est, sc. vel

1. *Adæquatum, primarium, & proximum*, vt species, sicut homo est *subiectum* risibilis, equus hinnibilis.

2. *Inadæquatum, secundarium, remotum*, nimirum individua speciei, ut *Socrates* est risibilis, *Bucephalus* hinnibilis *subiectum*; verum est igitur proprium converti cum suo subjecto *adæquato*, sc. specie, non *inadæquato*, sc. individuo.

Ob. Si

Ob. Si proprium conveniat solùm speciei, tùm convenit naturæ vniversali soli (nam species natura vniversalis est) at individua non sunt naturæ vniversales: ergo si soli speciei conveniat, non convenit omnibus ejusdem speciei individuis: et per consequens definitio contradictionem implicat.

Sol. species dupliciter consideratur, vel

1. *Absolutè*, quatenus vniversale quid, & superius individuis, & ab alijs abstractum, sic autem proprium *soli speciei* non convenit.

2. *Contractè*, quatenus in individua divisa est, & ijs cõjuncta; & sic *soli speciei* convenit; nec inde sequitur non convenire individuo, quia ipsa species in individuo nihil aliud est, quàm ipsa natura individui.

Sol. 2. Vel dicendum est quod (soli speciei) non excludit ejusdem speciei individua, sed alias species; ut *vni soli speciei* conveniat, i. nulli alteri præterquam uni: ut risibile homini communi, tamen non repugnat ipsum individuis convenire. Vel convenit *soli speciei* verum est *per se & primariò*: sed *secundariò* ejusdem speciei individuis convenit. convenit igitur *speciei soli*, non tamen præcisè soli, ut ab individuis *seiungitur*, sed ut in individuis *subsistit*.

Ob. Si proprium convertatur cum specie, tum etiam simul esset naturâ cum specie, quæ enim convertuntur naturâ simul sunt, ut docet *Aristot.* cap. de *mod. Sim. t.* 2. at species est prior proprio. *Porphyr.* cap. de Collat. Speciei & proprij, t. 5. ergò cum specie non convertitur.

Sol. Arguitur à parte definitionis, *simul naturâ sunt quæ convertuntur, & vnum non est causa alterius*: at species est *causa* efficiens sui proprii, cùm ab ipsâ *proximè*, *remotè* à principijs speciei promanet.

Ob. Si proprium semper conveniat speciei, tum esset simul cum specie; at species prior est, nam omnis causa est prior effectu, species verò est causa proprii, ergo prior est, & per consequens non est cum eâ *simul*, nec semper ei convenit, cùm sit câ posterius.

Sol. Aliquid est prius altero dupliciter, vel

1. *Naturâ*, quod sinâ *constitutione* prius est, & sic species est *prior* proprio, cùm sit ejus causa.

2. *Tempore*: quod *duratione* est prius, & hoc respectu, *simul* sunt. non enim in aliquo tempore *homo* existit in quo, non existit *risibile*.

Ob. Simul tempore ſunt, (ut docet *Ariſtot.* cap. de modis Simul. t. 1.) *quæ in eodem tempore generantur*: at ſpecies & proprium non generantur in eodem tempore, quia non omninò generantur: nam nulla vniverſalia ſunt generabilia, ergo nec in eodem tempore, nec igitur ſimul erunt tempore.

Sol. Simul tempore dicuntur bifariàm, aut quoad

1. *Generationem:* quomodo definiuntur *ea quæ in eodem tempore oriuntur.*

2. *Exiſtentiam:* quomodo definiuntur *ea, quæ in eodem tempore exiſtunt.* Prior, rebus *ſingularibus*; poſterior, *vniverſalibus* competit. *Simul ergo tempore* proprium et ſpecies dicuntur, non quia ſimul *generantur*, ſed quia neceſſariò ſimul *exiſtunt.*

Ob. Prius eſſe ſine poſteriori poteſt. definitur enim prius naturâ ab *Ariſtot.* cap. de mod. prior. text. 3. *illud à quo ad alterum non ducitur exiſtendi conſequentia:* Sed ſpecies eſt prior naturâ proprio, ergo à ſpecie ad proprium, non ducitur exiſtendi conſecutio: et per conſequens, Species poteſt eſſe ſine proprio; non ergo cum eo convertitur.

Sol. Duplex eſt conſequentia, altera quoad

1. *Eſſentiam*, aut *ſubſiſtentiam*: et ſic non ducitur exiſtendi conſequentia à Specie ad Proprium.

2. *Exiſtentiam*, ſic autem neceſſariò ducitur à ſpecie conſequentia; ſi idcircò *eſſentiam* ſpeciei reſpicias, poteſt ſpecies eſſe ſine proprio; ſi *exiſtentiã* ejus conſideremus, non poteſt.

Ob. Sunt aliqui homines qui nunquam riſerunt, ut *Heraclitus*, ergo aliqui homines nõn habent ridendi potentiam: argumentum ſequitur, quia omnis potentia eſt propter actum ut propter finem, (*fruſtra* enim eſt ea potentia, quæ nunquam reducitur ad actum) at nulla potentia naturalis eſt fruſtra, ut aſſerit *Ariſtot.* l. 3. de Anim. t. 45. ergo non habet talem potentiam.

Sol. Habent illi qui nunquam riſerunt, nec rident, *poteſtatem* ridendi, non minus quam illi qui ſemper rident: naturalis autem potentia, nulla eſt *fruſtra*, verum eſt, ex parte ipſius *naturæ*, hoc eſt, non eſt

fruſtra,

frustra propter internam aliquam *naturæ* imperfectionem, ab extrinseco tamen, ratione alicujus externi *impedimenti*, potest esse *frustra*, ut ex pravâ instrumenti risus dispositione, aut ex hominis voluntate: licet enim potentia ridendi *naturalis* sit, tamen actus est *voluntarius*.

Ob. Quod est pars et elementum definitionis, id accidentaliter non convenit (cùm id tolum in definitionibus poni oportet, quod rei essentiam indicat.) At verò proprium est elementum definitionis, ergo accidentaliter non convenit, minor est *Aristot.* 4. Top. cap. 1. t. 1. Deinde quod accidentaliter convenit, id non potest esse prius naturâ suo subjecto, sed proprium est prius naturâ suo Subjecto. 1. Top. 3.

Sol. Proprium duplex est, aut
- 1. *Simplex seu incomplexum*, et hoc est duplex.
  - 1. *Essentiale*, et sic accipitur 4. Top. c. 1. ubi *proprium*, elementum definitionis dicitur, i. maximè propria et *essentialis* differentia, quæ ratione cõversionis *proprium* appellatur; licet peculiari conversionis modo ab ea differat, cùm differentia *essentialiter*, proprium *accidentaliter* cum specie convertatur.
  - 2. *Accidentale*, et sic nihil aliud est quam propria passio, vel affectio ipsius speciei, ut à *Porph.* sumitur.
- 2. *Complexum*, idque duplex, aut rei essentiam indicans
  - 1. *Perfectè*, et sic definitio *proprium* vocatur ab *Arist.* 5. Top. c. 3. t. 7.
  - 2. *Imperfectè*, et sic descriptio nominatur *proprium*. est autem descriptio nihil aliud, quam *oratio constans ex genere, & propriâ passione ipsius rei*. ut animal risibile est hominis descriptio; et de hoc *proprio Aristot.* per universum quintum lib. Top, intelligendus est.

At verò, inquies, *Aristot*: in eadem cap. 3. t. 6. negat *proprium* debere indicare essentiam rei, sicuti definitio: (nam aliter aliquam partem essentiæ indicari per proprium ipse docet) *oportet* inquit, *vt in definitionibus, sic in propriis, primò poni genus, deinde ea superaddi quæ rem distinguunt, text.* 7. intelligite ea, quæ *essentialiter* in definitionibus, i. differentias; quæ *accidentaliter* in proprijs. i. proprias passiones: vnde manifestum est *Aristot.* per *proprium*, descriptionem intellexisse.

Ob. Si proprium rectè definiatur à *Porphyr.* tum plura possunt esse ejusdem rei propria, nàm plura sunt quæ eam definitionem capiunt: vt, (risibile, flebile, & disciplinabile respectu hominis,) at vero ejusdem rei non sunt plura propria; ut affirmat *Arist.* 5. top. c. 2. t. 7. ergo.

Sol. Proprium aliud est

1 *Simplex, & penitus accidentale*, ut propria passio, & hujusmodi *propria* ejusdem rei plura esse possunt.

2 *Complexum, & ex parte essentiale*: vt, propria rei descriptio, & hujusmodi propria plura penitus diversa, ejusdem rei esse non possunt, cum in omnibus descriptionibus ejusdem rei, idem genus poni oportet, licet passio generi adjecta varietur.

Vel dicendum est, (quod verborum contextui magis convenit) quòd non oportet plura propria ponere ejusdem rei, in eodem proprio complexo, vel descriptione, quia vnum, rem satis distinguit ab omnibus alijs, vt si quis ponat, hominis proprium esse, *animal risibile disciplinæ capax*: vitiosè ponitur, *disciplinæ capax*, cum *risibile* satis hominem ab omnibus alijs separasset.

Ob. Equus est proprium hominis, nam omnis propositio declarat rei genus, vel accidens, vel proprium, sed equus non est genus hominis, quia de homine non prædicatur, nec accidens, quia homini non inhæret, ergo proprium; sed cum homine non convertitur: major est *Aristotelis* 1. Topic. cap. 4. text. 2. ergo.

Sol. Verum est de propositione probabili, seu *dialecticâ*, non de falsâ & absurdâ.

Ob.

Ob. Si risibile sit in homine (vt in *Socrate*) ergo vel in toto, vel in parte; si in parte, tum toti speciei non convenit: si in toto, tum omnibus partibus convenit, et per consequens manus & pes essent risibiles.

Sol. De specie respondeo, quod convenit toti, & omnibus partibus *universalibus*, id est, inferioribus, sc. singularibus hominibus, sed non omnibus partibus *integralibus*: De individuo autem, quod convenit toti, & omnibus partibus, non *separatim* & *per se sumptis*, sed *coniunctim*, et *simul sumptis, ac vnitis*, sic enim nihil aliud sunt quam totum.

Ob. Risibilitas est qualitas (est enim naturalis potentia) ergo de homine non prædicatur: quicquid enim prædicatur de prædito *essentialitèr*, prædicatur de subjecto, ergo si potentia naturalis affirmetur de risibili *essentialitèr*, affirmabitur etiam de homine, ergo non prædicatur, et proinde non convertitur.

Sol. Risibile consideratur dupliciter, aut
1. *Abstractè*, vt sumitur pro ipsa ridendi *facultate*, et sic est naturalis potentia, deq; homine non *prædicatur*, sed illi *inhæret*.
2. *Concretè* pro *subiecto* hâc facultate informato, et sic de homine prædicatur: homo enim licet non sit *risibilitas*, i. facultas ridendi, est tamen *risibilis*, i. affectus hâc facultate.

Ob. Proprium et species non sunt æqualia, quia proprium de pluribus directè prædicatur (prædicatur enim directè de specie, et ejus individuis) species autem solum prædicatur de individuis (nam de se ipsa *identicè*, de proprio *indirectè* prædicatur) ergo non convertuntur.

Sol. In specie et proprio respiciuntur duo
1. *Ambitus & extentio* prædicandi, et sic æqualia sunt, quia de quocunq; species, de eodem proprium prædicatur, vel è converso.
2. *Modus & directio* prædicandi, et sic quidem æqualia non sunt, nam proprium directè prædicatur de pluribus quam species (cùm prædicatur de specie) species verò nec de seipsâ, nec de proprio.

Vel dicendum quod species et proprium

bifariam

bifariàm considerantur, vel
- 1. *In ordine ad se invicem*, et sic inæqualia sunt, quoad *modum* prædicandi, quia proprium de specie *directè*, species de proprio *indirectè* prædicatur.
- 2. *In ordine ad individua*, et sic æqualia sunt quoad *ambitum* prædicandi, nam de quibuscunq; individuis unum, de ijsdem alterum prædicatur.

SECT. 8.

In quâ ostenditur, qualis hæc proprii divisio sit in hæc quatuor significata: & de proprii quarto modo divisione.

Notandum quòd hæc divisio proprij in istas quatuor significationes, est divisio analogi in sua analogata, cùm magis prædicetur de proprio quarto modo, quam de reliquis acceptionibus proprij.

Ob. *Aristoteles* l. 5. Top. c. 1. t. 2. tres solum designat acceptiones proprij, nempe *per se*, *& semper proprium*; et *aliquando*, et proprium *respectu alterius*. Itaq; aut *Porphyrius* superfluè, aut *Aristoteles* diminutè recensuit.

Sol. Argumentum nego, nam *Aristoteles* ait, proprium *per se & semper*, respondere proprio 4 *modo*: proprium *aliquandò* respondere proprio 3^tio *modo:* proprium *respectu alterius* comprehendit duos priores proprij modos, nam quod convenit *soli*, dicitur proprium ad aliud, quia distinguit suum subjectum ab omnibus alijs, ut (doctrina respectu hominis) et quod convenit *omni* licèt non ab omnibus, ab aliquibus tamen suum subjectum distinguit, ut bipes respectu arboris, aut lapidis proprium hominis nominatur.

Proprium 4to modo duplex est, vel
- 1. *Genericum*, quod, sc. proprium est speciei interjectæ, i. ejus rei quæ genus est, ut mobile respectu corporis, sensibile respectu animalis.
- 2. *Specificum*, quod est proprium speciei infimæ, id est, ejus rei quæ species solum est, non autem genus, ut risibile respectu hominis, hinnibile respectu equi.

SECT. 9.

In qua, ſunt quæſtiones tres de Proprio quarum prima eſt; An Proprium profluat à principiis ſpeciei?

Notandum eſt, quod proprium profluit ab aliquibus

principijs bifariàm, vel

1 *Formaliter*, & ſic fluit à principijs ſuis *intrinſecis* hoc eſt a genere & differentia.

2 *Effectiuè* & ſic fluit à principijs ipſius ſpeciei, vt riſibile ex hominis principijs: prior fluxus proprij *conſtitutionem* ejus notat, quæ ab *internis*, poſterior verò ejus *generationem*, quæ ab *externis* principijs pendet.

Notandum verò, quod fluit proprium

vel

1 *Immediatè*: & ſic à ſpecie, vt riſibile ab homine.

2 *Mediatè & remotè*, & ſic ab ipſis ſpeciei principijs profluit, vt riſibile ab animale & rationali: cum autem dicimus propria profluere à principijs ſpeciei, intelligimus principia, non prout *ſeparata* ſunt, ſed vt in ipſâ ſpecie, ſunt *vnita*, & *coniuncta*; vt riſibile non fluit ab animale *per ſe*: (nam tum eſſet in bruto) nec à rationali *per ſe*, (nam tum eſſet in animâ ſeparatâ) ſed ab vtriſque conjunctis, & vnitis.

Notandum porrò, quod aliquid ab alio *profluit*,

vel per

1 *Motum & tranſmutationem*, vt calor qui ab igne, in aqua producitur, ab igne *profluere* dicitur, per quandam continuam ignis actionem, & alterationem in aqua factam.

2 *Emanationem*, i. neceſſariam ſequelam & concomitantiam ipſius naturæ, & hoc ſenſu, proprium dicitur à ſpecie *profluere*, & à principijs ſpeciei, i. neceſſariò conſequi ipſa ſpeciei principia, non verò priori modo, cum enim omnis motus ſit in tempore, ſequeretur ipſo proprio, ſpeciem eſſe tempore priorem.

Ob. Si proprium profluereat à principijs ſpeciei tum principia ſpeciei, eſſent principia proprij; & per conſequens, non

esset res diversa à specie nam ea sunt eadem, quorum principia sunt eadem.

Sol. Principia speciei, & proprij biformitèr spectantur,

1 *Absolutè*, quoad *res* ipsas, & sic quidem eadem principia habent, eædem enim res, quæ sunt principia speciei, sunt etiam principia proprij.

2 *Comparatè*, quoad *modum* & *rationem* principiorum, & sic eadem non sunt principia vtriusque, nam sunt principia *intrinseca & constitutiua* speciei, sunt autem principia proprij *extrinseca* & *effectiva*: *Exemp. grat.* animal & rationale sunt principia *interna* hominis, *externa* proprij sc. risibilis: cum proprium à principijs speciei non profluat, nisi ipsâ specie intercedente.

SECT. 10.

Quæst. 2°. An proprium à sua specie re distinguatur nec ne?

Aliquæ dicuntur *re differre*

dupliciter, aut quoad

1 *Essentiam*: quomodo ea dicuntur *re differre* quæ diversas naturas, & essentias habent, & sic species re distinguitur à proprio, vt homo à risibili, cum alterum in *substantiæ*, alterum in *qualitatis* prædicamento sedem habeat.

2 *Existentiam*, quomodo ea dicuntur *re differre*, quæ existere à se invicem separata, possunt, i. quorum vnum potest esse sine altero; & hoc modo, species & proprium non distinguuntur; quia impossibile est ea à se invicem separari, sed necessario se invicem comitantur.

Ob. Ea maximè eadem sunt, quæ eadem sunt numero, at species & propriũ (vt homo & disciplinabile eadẽ sũt numero, ergo maxime sunt eadem, & per consequens non distinguuntur omnino, major est *Aristotelis*, 1. Top. cap. 7. text. 5. minor ibid. text. 7. ergo.

Sol. *Eadem numero* dicuntur dupliciter,

1 *Essentialitèr*, cum essentia vnius singularis est essentia alterius, & hoc modo, quæ *eadem sunt numero* maximè sunt eadem, vt gladius & ensis.

2 *Accidentalitèr*, cum vnum alteri inhæret, vt dulcedo in vino est eadem *numero* cum vino ipso, (licet naturâ distin-

distinguantur) cum enim omnis accidentis existentia sit à subjecto in quo inhæret, hinc fit, quod omnia illa accidentia, *eadem numero* à *Philosophis* dicuntur, quæ in eodem subjecto singulari inhærent, vt albedo, & dulcedo in lacte, (quamuis specie & naturâ inter se dissentiant) quæ autem (hoc modo) *eadem numero* sunt, non sunt maxime eadem, & hoc solum pacto species, & proprium, eadem numero sunt i. quoad *existentiam*, non quoad *essentiam*.

SECT. 11.

Quæst. 3ª. De risibili & flebili vbi eorum distinctio, de instrumento risus: & de causis risus; & de duplici eius subiecto.

Potentia ridendi (idem etiam de flebili dicendum) est

duplex, aut
- 1 *Originalis & primaria*, quæ est facultas ipsius principij, i. animæ ad excercendum risum.
- 2 *Organica & secundaria*, quæ est facultas ipsius instrumenti. i. partis corporeæ, quâ anima vtitur, vt instrumento ad ridendum.

Prior illa potentia propria passio est, non *posterior*: nam fieri potest (quod in moribundis videmus) vt hanc facultatem amittant, ideoque ridere non possunt, *priorem* tamen amittunt nunquam: nam ex parte *ipsius animæ*, æquè apti sunt ad ridendum, qui in puncto mortis versantur, ac qui tutissimâ salute fruuntur; sed defectus est ex parte *organi corporei*, quod vi morbi deprauatur, adeo vt suum munus non possit exercere.

Obseruandus tamen hîc est, & reijciendus vulgaris Philosophorum error, de ridendi instrumento, qui *Splenem* esse constituunt, sed nimis imperitè, (ex artis anatomicæ, & medicinæ ignorantiâ) est enim *splen* affixus jecori melancholiæ receptaculũ, vnde (cum inter omnes partes maxime abundet melancholiâ) non potest esse risus instrumentũ, risus enim est *filia lætitiæ*, sed melancholia, *mater mæstitiæ* nominatur.

Obseruandum verò, quod instrumentum risus

est duplex,
- 1 *Remotum & primarium*: hoc cor est, quod conceptum gaudium explicat, cum extra se calorem, cum vitali spiritu diffundit & *septum transversum* ferit.

2 *Proximum & secundarium*, estque septum transversum, vt *Aristot.* 1. de *partib. animal.* cap. 1. Cuius quidem musculi, à calore (qui ex corde *effluxerat*) vibrati, labia & vultum distendunt, eo modo, quo in ridentibus cernimus.

Risus autem duæ sunt causæ,
1 *Admiratio*, ob novitatem rei.
2 *Gaudium*, ob jucunditatem: priorem ob causam, stulti magis rident, quam grauiores viri: ob posteriorem, *Sanguinei* magis quam homines, *aliarum complexionum.*

Vnde apparet risum, quoad essentiam, esse *subiectivè* in septo transverso: ista verò distentio labiorum & oris, non est *formalitèr* risus, sed eius effectus.

Ob. At dices, ergo homo non est subjectum risus, sed septum tranversum.

Sol. Respondeo, vtrumque esse subjectum risus, nam septum transversum est subiectum *inhæsionis*, homo autem est subiectum *denominationis*, vt visus in oculo solum *inhæret*, & non in cæteris partibus, tamen totum hominem videntem *denominat*.

Hactenus de Proprio.

TRAC.

TRACTATVS SEXTVS.

De Accidente.

SECT. 1.

In qua summa eorum, quæ à Porphyrio *in hoc capite dicuntur.*

Porphyrius hoc in cap. proponit accidentis,

- 1 *Definitionem* triplicem,
  - 1 *Accidens est, quod potest adesse & abesse sine subiecti interitu.*
  - 2 *Accidens est, quod contingit eidem inesse, & non inesse.*
  - 3 *Accidens est, quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium, semper autem in subiecto inhæret.*
- 2 *Divisionẽ vnam, in accidens*
  - 1 *Separabile*, quod à subjecto separari potest; vt sedere.
  - 2 *Inseparabile*, quod à subiecto non possit separari, vt color.

Accidens tractatur post proprium, & consequentèr in vltimo loco, tum

quia est eo naturâ

- 1 *Posterius*, cum proprium immediatè principia *speciei*, accidens autem principia *individorum* sequitur.
- 2 *Imperfectius*, tũ quia necessariam non habet cohærentiam cum essentiâ rei, sicut proprium, tũ quia indigniori modo prædicatur; cum proprium *conversim* prædicatur de suo subiecto, accidens vero *non conversim* prædicatur.

Notandum

Notandum quod in vniverſalibus

duplex modus obſervatur,

1 *Primarius*, nempe prædicari in *quid*, vt genus & ſpecies: in *(quale quid)* vt differentia; in *(quale)* ſolum, vt proprium & accidens, & quoad *hunc modum* accidens non ſeparatur à proprio, nam ambo in *(quale)* prædicantur.

2 *Secundarius*, nempe prædicari *completè* aut *incompletè* (vt in ſpecie, & genere) prædicari *converſim*, aut non *converſim* (vt proprium & accidens) & in hoc prædicandi modo proprium excellit accidens.

SECT. 2.

De Diſtinctione ambigui nominis Accidentis.

Notandum quod accidens tripliciter ſumitur, nempe vt

diſtinguitur contra

1 *Subſtantiam*, in quo ſenſu id *accidens* appellatur, quod non eſt ſubſtantia; & hoc ſenſu, nomen *accidentis*, & proprium, & commune accidens, i. duo vltima vniverſalia comprehendit.

2 *Eſſentiam*, in quo ſenſu, ea vniverſa rei *accidentia* appellantur, quæ de ejus eſſentia non ſunt, & hoc modo homo dicitur *accidens* reſpectu arboris, & paries, *accidens* reſpectu albedinis, i. non de eſſentia ejus.

3 *Proprium*, in quo ſenſu continet ea ſolum *accidentia*, quæ communia ſunt, i. quæ principia individui ſequuntur, & ſic à *Porphyrio* hoc in loco: vnde colligi poteſt, quomodo *accidens* prædicabile, ab *accidente* prædicamentali differat, & quod diuerſo modo *Porphyr.* (hoc in loco) & *Ariſtoteles* in prædicamentis nomen *accidentis* vſurpent, omne *accidens* prædicabile eſt prædicamentale, ſed non è converſo, *accidens* enim prædicabile, communia ſolùm, ſed *prædicamentale* & communia, & propria complectitur.

SECT. 3.

De prima Accidentis *definitione, eiusque explicatione.*

Prima definitio Accidentis est. *Accidens est quod adest & abest sine subiecti interitu.* Vbi notandum primò, de *Definito*, quod ipsum est accidens *commune*, non *proprium*, (de quo supra diximus.) Deinde de ipsa definitione, quæ constat ex *genere* & & *differentia*, *genus* non est expressum, sed intellectum, nempe (vniversale) quod inrelatiuo (quod) insinuatum est.

Differentia, quâ accidens à cæteris vniversalibus secernitur, duas continet conditiones

quarum
- 1 *Prior*, *contingentiam* connexionis cum subjecto respicit, (quod abest & adest.)
- 2 *Posterior*, *independentiam* subjecti ab accidente, (sine subjecti interitu.)

Pro definitionis sensu intelligendum est, quod (accidens abesse, & adesse subjecto,) bifariam intelligitur,

vel quoad
- 1 *Inhærentiam* quomodo (abesse, & adesse) nihil aliud significat, quam inhærere & non inhærere.
- 2 *Denominationem* quomodo (adesse) idem est quod affirmari de subjecto: (abesse) quod negari: vterque modus explicandi definitionem est verus, sed prior ad *Metaphysicum*, posterior ad *Dialecticum* pertinet: cum in hoc loco, accidens, non *absolutè* quatenus est *res*, spectatur, (quomodo ei competit *inhærere*) sed *cõparate* quatenus *vniversale* est, (quomodo competit ei affirmari de subjecto).

Secundo notandum, quod (abesse & adesse) diverso modo sumenda sunt, tum

quoad rationem
- 1 *Temporis.*
- 2 *Applicationis*: quoad *tempus*, quia diversa designant *tempora*, (impossibile enim est, idem accidens, vni, & eidem subiecto, simul, & eodem tempore, & adesse, & abesse.) quoad *applicationem* ad subjectum, quia in definitione accidentis, *adesse* actum, *abesse* potentiam denotat: hunc ad sensum.

Accidens

Accidens est quod (actu) *adest, tamen quod* (abesse) *potest.*

Tertiò observandum est, quod cùm accidens definiatur, *quod abesse potest à subiecto*: id non *absolute* intelligendum est, sed quatenus ex *parte accidentis*, vt calor ab igne, albedo à cygno, nigredo à corvo; non possunt *simpliciter* separari; possunt tamen ex *parte ipsorum accidentium*. i apta sunt naturâ suâ abesse à subiecto. quod autem accidens simpliciter abesse non potest, hoc est, *ratione subiecti* quod talia accidentia sibi necessario determinant, *sine corruptione subiecti*, i. illæsâ naturâ, essentiâque ipsius subecti.

Duo in subiecto respiciuntur;

1 *Existentia*, & sic subiectum sine quibusdam accidentibus *esse* non potest, vt ignis sine calore, homo sine quantitate, impossibile enim est sine his accidentibus, subiecta existere.

aut

2 *Essentia*, sic autem sine omnibus accidentibus potest permanere subiectum. i. si omnia tollas accidentia à subjecto, non idcircò natura & essentia subjecti tollitur, (cum accidentia ad essentiam non spectent, sed eâ sint posteriora) sublato autem posteriori non ob hoc prius corrumpitur.

Subjectum verò est duplex,

1 *Inhæsionis*, quod est id cui accidens initur, vt (exemp. gr.) subiectum inhæsionis coloris qui apparet in ipso *Socrate*, est ipsum corpus *Socratis* (nullus enim color est in ipsius animâ.)

aut

2 *Denominationis*, quod est illud cui accidens denominationem præbet; vt totus *Socrates* subjectum denominationis est, ipse enim *Socrates* denominatur coloratus à *colore*: qui ejus corpori inhæret, quocircà (hac in definitione) per *subiectum*, non subjectum *inhæsionis*, sed *denominationis* intelligitur.

SECT. 9

In quâ est applicatio brevis (eorum quæ dicta sunt) ad definitionem.

Quocirca sic definitionem accipite. *Accidens* sc. (commune) *est* (Vniversale) *quod adest* i. (actu inhæret in aliquo subjecto) & *abest*, nempe (potentiâ) hoc est, quod aptum est sua natura *abesse* à subjecto; quamvis interdùm id (ratione subjecti) reipsa fieri non

potest:

potest sine corruptione subjecti, i. (vt adhuc essentia subjecti incolumis maneat, & incorrupta ;) vnde apparet, (accidens abesse posse sine interitu subjecti) in definitione accidentis, non *absolutè & positivè* accipiendum est, sed *hypotheticè* & quasi *conditionalitèr*, interim vt ipsius essentia ob hoc non intereat, quasi diceret, quod licet quædam accidentia, *necessariò* subjecto inhæreant, non tamen dependet subjectum ab his accidentibus, quia (omnibus accidentibus à subjecto avulsis) substantia illa, & natura subjecti nullam adhuc corruptionis injuriam patitur, sed incolumis manet.

Notandum quod per *genus*, quod (vniuersale) est, excluduntur individua; per *differentiam* autem, (quod abest & adest sine subjecti interitu) à cæteris vniuersalibus distinguitur, quæ omninò separari non possunt, nisi res intereat, partim quia essentiam subjecti constituunt, vt genus & differentia & species, partim quia essentiam necessariò comitantur, vt proprium.

SECT 5.

In quâ dubitationes huius definitionis obiiciuntur, & reiiciuntur.

Ob. Omnis definitio est rerum necessariarum, quia definitio est principium scientiæ: 2. poster. analyt. c. 17. text. 6. sed omnis scientia est de rebus necessarijs, 1. poster. analyt. cap. 4. text. 1. accidens autem non est necessarium, cum potest adesse, & abesse; ergo male definitur.

Sol. Accidens consideratur, vel quoad suum esse

1 *Singulare*, & sic contingens est.

2 *Vniversale*, & sic necessarium est, ideoque hoc pacto definiri potest, nam licet ipsum accidens, ratione *subiecti* sit *contingens*, tamen illa contingentia ratione accidentis, est *necessaria*: hoc est, accidens non potest esse alitèr, quam contingens, quocirca licet accidens ratione subjecti sit contingens, hoc tamen, (esse contingens subjecto,) est necessarium respectu accidentis, est ergò *externè* ratione *subiecti*, contingens; *internè* ratione *naturæ*, necessarium.

Ob. Nullum vniuersale potest oriri ex principijs singularibus,

ſed accidens oritur ex principijs ſingularibus, quia oritur ex principijs individui, & ipſis primò convenit: vt, *Porphyr.* affirmat, cap. 10. de collat. generis & accidentis, t. 4. major manifeſta eſt, quia tum ſingulare priùs eſſet vniuerſali, & caducum æterno.

Sol. Accidentia duplicia principia habent,
1 *Extrinſeca*, ex quibus *eſſentialitèr* conſiſtunt, & ſic impoſſibile eſt, vniuerſale accidens oriri ex principijs ſingularibus, ſed (hoc modo) ex ſuis generibus, & differentijs oriuntur accidentia.
2 *Extrinſeca*, à quibus *effectivè* fluunt, & producuntur; & ſic vniverſale accidens ab individuis principijs oritur; ſunt enim ſingulares ſubſtantiæ efficientes cauſæ omnium accidentium.

Ob. Ergo ſingularis ſubſtantia eſt prior vniuerſali accidente.

Sol. Verum eſt *naturâ*, & *perfectione* non *tempore*.

Ob. At vniuerſale eſt æternum, ſingularia ſunt caduca.

Sol. Verum eſt, ſi *diviſim* ac *ſingularitèr* ſumantur, quod ſi *indefinitè*, ſic ſunt æterna, quia nullum tempus eſt in quo non exiſtunt ſingularia.

Ob. Si accidens poſſit abeſſe à ſubjecto tùm poteſt corrumpi (quia accidens non poteſt à ſubjecto ſeparari interim vt ſit) vt docet *Ariſtot.* in ſecunda diviſione anteprædicamentali: c. 2. t. 2. at accidens (cum ſit vniuerſale) non poteſt corrumpi: ergo nec abeſſe.

Sol. Accidens vniverſale conſideratur dupliciter, aut
1 *Abſolutè*, & quatenus *vniverſale* eſt, & ſic non poteſt corrumpi.
2 *Contractè*, & quatenus *ſingularibus* conjungitur, & ſic corrumpi poteſt: nullum igitur vniverſale poteſt *per ſe* corrumpi, ſed *per accidens* ſolùm, ratione ſingularium, quatenus eſt in illis ſingularibus quæ corrumpuntur.

Ob. Ergo abeſſe, & adeſſe ſubjecto, convenit vniverſali accidenti gratiâ ſingularium, & per conſequens, mala eſt definitio, quia definitio & omnes ejus partes debent definito *per ſe* convenire. *Ariſt.* l. 1. poſt. Analyt. c. 4. t. 4.

Sol. Abeſſe & adeſſe.
1 *Actu*, convenit primò ſingularibus accidentibus, & eorum gratiâ, vniuerſalibus.
2 *Aptitudine*, convenit primò vniuerſalibus accidentibus, & eorum gratiâ ſingularibus; notandũ enim, quòd accidentia vniverſalia *actu* omninò in ſubjectis non inhæ-

inhærent, sed solum ratione singularium, at verò *aptitudine* per se inhærent.

Ob. Accidentia quædam sunt inseparabilia (vt *Porphyr.* in hoc cap.) at quæ non possunt separari à subjectis non possunt abesse, (vt manifestum est) ergo omni accidenti, non convenit definitio.

Sol. Accidentia vel considerantur respectu

1 *Essentiæ subiecti*, & sic omnia separabilia sunt, cum nullum accidens specificam rei essentiam, aut constituat, aut necessario consequatur.

2 *Existentiæ subiecti*; & sic quædam separabilia sunt, quædam inseparabilia ; quocircà alitèr consideratur accidens, in definitione accidentis, alitèr in divisione;cum in definitione *independentia* subjecti ab accidente spectetur, in divisione *dependentia* accidentis à subjecto, quare cum in *definitione* dicitur, omne accidens *abesse & adesse*, id verum est, si *independentiam* accidentis à subjecto respicias , hoc est, non ita dependet natura subiecti ab accidente, quasi sine naturæ læsione, accidens abesse non possit, cum autem in *divisione* dicitur quædam non *abesse*, verum est, si *dependentiam* accidentis à subiecto respicias, hoc est,quædam accidentia ita dependent à suis subiectis, vt *abesse*, i. separari non possunt.

Ob. Quantitas, calor naturalis,& radicalis humor abesse non possunt ab homine sine eius interitu , cum vita consistat in calido, & humido: vt *Arist.* l. de longit. & brevit. vitæ. cap. 3.ergo, omnia accidentia separari non possunt, sine subjecti interitu.

Sol. Homo consideratur, vel quoad

1 *Perfectionem primam* quæ est *constitutio naturæ*, & quoad hanc abesse possunt, cùm constitutionem subiecti accidentia non ingrediantur.

2 *Perfectionem vltimam*, quæ est *existentia naturæ*, & quoad hanc non possunt; cum impossibile sit, sine his, hominem existere.

Ob. Definitio convenit propriæ passioni : nam quod non est pars essentiæ, sed posterius, à subiecto separari potest quoad essentiam,at proprium est posterius specie, vt dicit *Porphyr.* de collat. speciei, & proprii, c. 15. t. 5. ergo.

Sol. Ad na-

1 *Independentia subiecti*, & sic natura subiecti ab eo non dependet.

2 *Indifferentia interna accidentis*, & sic ipsum acci-

turam accidentis duo requiruntur, nempè { dens in se consideratum æquè aptum est, ad inhærendum, vel non inhærendum, *prior* harum conditionum proprio convenit, *posterior* non: quia proprium necessariò inhæret in suo subjecto, non ex necessitate *sui subiecti* solùm, (sicut inseparabilia accidentia) verum etiam ex necessitate *sui*: nam & species talem passionem, & passio talem speciem requirit.

Sol. 2. Vel dicendum, quod proprium (si *constitutionem speciei* spectes) potest abesse, si *consecutionem*, necessariò convenit: quia licet nullo modo *constituit*, necessariò tamèn *consequitur* specificam essentiam: quocirca omne *accidens* ex parte speciei abesse pôtest, at *proprium* ratione *speciei* necessariò convenit.

Ob. Vita est accidens: nam est augmentatio, diminutio, nutritio, generatio, vt docet *Aristot.* 2. de animâ. t. 3. (hæc autem sunt accidentia) non tamèn potest abesse à subjecto suo sine corruptione, ergo.

Sol. Vita capitur bifariàm, vel pro { 1 *Actu primo*, i. principio vitali, nimirùm animâ viventis corporis, & sic abesse non potest, quoad *essentiam*, cum sit pars essentialis ipsius rei.

2 *Actu secundo*, i. pro operatione vitali quo pacto eo in loco ab *Aristot.* sumitur, sic autem accidens est, & ex parte *essentiæ*, sine detrimento naturæ abesse potest.

Ob. Mors, combustio, &c. accidentia sunt; at non possunt adesse suis subjectis, sine eorum interitu; maior manifesta est, quia insunt in subjecto: & minor vera est, quia mors *Socrati* adesse non potest, nisi animam amittat, quandiù enim animam retinet, est viuens: ergo.

Sol. Particula vltima, (sine subjecti interitu,) non ad priorem (adest,) sed ad posteriorem (abest) referenda est, licet autem adesse non possunt, possunt tamen abesse, sine subjecti corruptione.

Sol. 2. Subiectum mortis & combustionis est, vel { 1 *Denominationis*, & hoc est totum compositum, quod moritur, vt *Socrates*; quod comburitur, vt lignum.

2 *Inhæsionis* & hoc est materia compositi, quam *Aristot.* subiectum omnis generationis, & corruptionis statuit: 1. de Generat: text. 24. quocirca licet ea accidentia, quæ corruptionem implicant adesse non possunt, nisi (corrupto subjecto

denomi-

denominationis) ſubjectum tamen *inhæſionis* incorruptum manet, cum materia nec corrumpi nec generari poteſt: 1. Phyſ. t. 82.

Ob. Definitio convenit formæ ſubſtantiali; ea enim adeſt & abeſt *ſubiecto* præter ejus corruptionem, *ſubiectum* enim formæ, materia eſt, 1. Phyſ. text. 82. forma autem abeſt & adeſt materiæ, ſine ejus corruptione (cum materia ſit incorruptibilis;) nec tamen forma ſubſtantialis eſt accidens, cum forma ſit pars ſubſtantiæ, accidens non ſit pars.

Sol. Subjectum duplex eſt,
1 *Inhæſionis*, cui aliquid ita ineſt, vt ab eo *eſſe* recipiat, vt paries ſui coloris.
2 *Informationis*, cui aliquid ita ineſt, vt ei *perfectionem* det, vt materia formæ: *Porphyr.* jam intelligit ſubjectum inhæſionis, tali autem ſubjecto forma non ineſt: informat enim materiam, vt *interna*, non inhæret, vt *externa* perfectio; nec à ſubjecto ſuo perfectionem recipit, vt accidens, ſed eam ſibi tribuit.

Sol. 2. Vel dicendum quòd duplex eſt ſubjectum.
1 *Completum*, & conſummato actu, vt compoſitum.
2 *Incompletum*, & in potentiâ, vt materia compoſiti, huic forma, illi ſubjecto accidens adeſt: & hoc in definitione accidentis intelligitur; licet ergo forma abeſſe poſsit à ſubjecto *incompleto*, ſine ejus interitu; non tamen ſine interitu *ſubiecti completi*, i. compoſiti, poteſt.

Ob. Manus, pes, digitus, auris, & abeſſe & adeſſe poſſunt homini ſine eius interitu, non tamen ſunt accidentia, cum ſint partes integrales hominis, ergo.

Sol. Per adeſſe in definitione accidentis, intelligitur adeſſe *extrinſecè*, & per modum *inhærentiæ*; non *intrinſecè*, & per modum *integralis perfectionis*: i. quod ita adeſt vt *inhæreat*, non tamen vt *componat* ſuum ſubjectum: per abeſſe ſine interitu ſubiecti, non ſolùm accidentia totius ſubiecti intelligimus, ſed cuiuſvis partis: licet enim adſint partes, non tamen inhærent, licet abſint non tamen ſine interitu partium eius cui abſunt, cum ipſæ ſint eius partes.

Ob. Quædam accidentia abſunt cum corruptione ſubiecti, vt

desinit esse ignis, cum calor corrumpitur ergo omnia accidentia non absunt sine subiecti corruptione.

Sol. Accidentia absunt, vel
1 *Aptitudine*, sine interitu subiecti.
2 *Actu*, interdum cum corruptione subiecti, sed hoc non ideo est, quia sublato accidente tollitur subiectum, & interit, sed quia intereunte subiecto, corrumpitur accidens, quia non potest esse sine subiecto.

Accidentia tribus modis corrumpuntur, aut per
1 *Subiecti corruptionem*, vt sublato *Socrate*, eius sapientia, sublato igne, eius calor, interit.
2 *Remotionem causæ*: vt sole sub horizonte delapso, lux interimitur in nostro hæmisphærio.
3 *Actionem contrarii*: vt frigus ex aquâ (ingrediente calore) expellitur.

Quocircà licet accidens (interdum) cum subiecto, sæpius tamen (manente subiecto) corrumpitur: nec interitus accidentis, subiecti corruptionem, sed subiecti interitus accidentis corruptionem necessariò ducit secum.

SECT. 6.

De secunda definitione accidentis eiusq; explicatione,

Secunda definitio accidentis est. *Accidens est quod contingit eidem inesse, & non inesse*, quæ definitio perfacilis est ex superioris sensu, *Accidens est* vniversale, *quod contingit* ratione *sui*, licet quædam accidentia necessariò insint ratione *subiecti*, vel quod contingit ratione *formæ*, licet quædam accidentia contingunt, vel potius insunt necessariò ratione *materiæ*, *inesse & non inesse*, 1. inhærere & non inhærere, eidem subiecto, *sine eius interitu*; nam hæc particula superioris definitionis, etiam in hac intelligenda est. *Inhærere* vero nihil aliud est quam alicui inesse, & ab eo dependere in existentiâ, tanquam à causâ. requiritur ergo vt aliquid dicatur *inhærere*. Primò vt insit. Secundò, vt ab eo cui inest dependeat, idq; non solùm, *subiectivè*, nam sic quoad existentiam forma dependet à materiâ, sed etiam *effectivè* nempe vt à causâ & fonte existentiæ: nam subiectum ratione accidentis (si existentiam respicias) vtroque modo se habet: sc. non vt solùm subiectum existentiæ accidentis, sed etiam vt efficiens causa; accidens enim existit & *in subiecto*, at *à subiecto*.

Ob. Quod si obiiciatur, aliqua accidentia necessario inesse subiecto; ideoque

ideòque non contingere: vt calorem igni, albedinem nivi.

Sol. Animadvertendum est, *necessitatem* esse duplicem,

1 *Materialem*, quæ ex materiâ provenit.

2 *Formalem*, quæ à formâ originem ducit; dicendum igitur est: quod quædam accidentia ratione *materiæ* necessaria sunt, vt corpori quantitas, nivi albedo, &c. at ratione formę, non sunt necessaria, sed vniuersa contingentia: ideoq; à *proprio*, *Accidens* distinguitur, quia ratione formæ necessariò inest. Vel explicari potest hæc definitio (vt superiùs diximus) nempe omnia accidentia ratione *sui*, contingentia sunt; licet quædam ratione *subiecti* sint necessaria: i. accidentia omnia si in seipsis considerentur, & quatenus accidentia, sunt suâ naturâ apta *inesse*, vel non *inesse*; at si considerentur, non *absolutè* quatenus sunt accidentia, sed *comparatè* & *contractè* quatenus naturalia accidentia, sic quædam necessariò insunt, nimirùm ratione subjecti cui insunt, eò quod hæc accidentia subjectum sibi determinat.

vel

Ob. Accidens in subjecto semper existit, (vt *Porphyr.* in vltimâ definitione docet,) ergo non contingit inesse, & non inesse; quod enim contingit interdum accidit: at nunquam accidit, quod accidens non adsit subiecto, cum semper in subjecto sit, ergo.

Sol. Accidens non semper dicitur esse in subjecto, *simpliciter*, sed *definitè* & *limitatè*, quamdiu, sc. ipsum accidens existit, hoc est: accidens, dum est, semper inest subjecto; *necessariò* si suam existentiam, *contingenter* si ipsius subjecti essentiam respiciamus.

SECT. 7.

De tertia definitione accidentis *& eius explicatione.*

Tertia definitio accidentis. *Accidens est quod neq; est genus, neq; species, neq; differentia, neq; proprium, semper autem subiecto inhæret.* Vbi primò notandum quare definitur negatiue? secundò ipse definitionis sensus perpendendus est.

Notandum, quod aliquod per negationem definitur tribus de causis, aut

1 *Simplicitatem*, sicut punctum ab *Euclide.* l. 1. def: 1. *punctum est, cuius nulla est pars* cum nullum tam simplex

propter { simplex in eodem genere vbi respondeat.
2 *Perfectionem magnam*; sicut substantia prima ab *Aristotele* in cap. de substantiâ: *quæ nec est in subiecto, nec de subiecto dicitur.* Cùm nullum tam perfectum sibi respondeat in eodem genere.
3 *Imperfectionem summam*, sicut materia ab *Arist.* 7. Metaphys. t. 8. *quod nec est quid, nec quale, nec quantum*, &c. & à *Porphyr.* (hoc in loco) accidens: *quod nec genus nec species*, &c.

Notandum est, quod cum accidens definiatur, *quod nec sit genus nec species*, &c. id non est de *reipsâ absolutè* intelligendum, quod id, quod est accidens, non sit genus, &c. sed de *modo*, & *respectu*, (hunc ad sensum) *accidens est quod* (eo modo quo est accidens, aut respectu eius) *nec est genus nec species*, &c. eadem enim res potest esse, & genus & species & accidens; sed non eadem ratione, aut eiusdem respectu, vt exempli gratiâ: *color* est *genus* ratione albedinis: *species* respectu qualitatis: *accidens* respectu parietis. Deinde observandum: quod licet *voce tenus* hæc definitio sit negativa, est tamen *ipso sensu* positiva; per id enim quod dicitur, *Accidens nec est genus nec species*, colligitur in *Quale* prædicari, nam ea prædicantur in *quid*. per id quod additur, *Nec differentia*, colligitur prædicari *accidentaliter*. sed per id quod in vltimo loco ponitur, *nec proprium*, colligitur non prædicari *conversim*: nam differentia *essentialiter*, proprium *conversim* prædicatur.

Cum verò in loco vltimo additur (semper in subiecto inhæret) semper non vniuersi temporis durationem designat, (cùm interdum accidentia intereant) sed durationem accidentis; (hoc in sensu) *Accidens est, quod semper in subiecto existit*: i. accidens *semper* dum existit, existit in aliquo subiecto, quia sine subiecto existere non potest.

Ob. Definitio negativa est improbanda, *Arist.* 6. Top. c. 6. t. 5. ergo male definitur accidens.

Sol. Negatio duplex, vel { 1 *Mera*, qua nihil positivi implicatur, & talis negatio definitionem non ingreditur.
2 *Mixta*, sub qua delitescit affirmatio, & tales negationes licet in definiendo vsurpare, quamvis ille locus *Aristotelis* (sicut & totus ille liber) de definitione *essentiali* intelligatur, non de *descriptivâ*.

Ob.

Ob. Albedo ſpecies eſt, color genus : continuum & diſcretum differentiæ quantitatis: at hæc omnia accidentia ſunt, ergo accidens malè definitur.

Sol. Idem poteſt eſſe genus & accidens quoad *rem*, ſed non quoad *reſpectum*, i. ea res quæ eſt accidens, poteſt etiam eſſe genus, ſed non reſpectu *eiuſdem*, ſed *diverſorum*.

Ob. Accidens abeſt à ſubjecto ſine ejus interitu, ut frigus aquæ, ergo non ſemper inhæret.

Sol. Accidens ineſſe in ſubjecto *ſemper*, non intelligitur ex parte *ſubiecti*, ſed ex parte *accidentis*, i. non in omni tempore in quo eſt *ſubiectum*, ſed in quo eſt *accidens*, inhæret in ſubjecto : poteſt enim ſubjectum ſine accidente, ſed accidens ſine ſubjecto exiſtere non poteſt.

Ob. At plures ejuſdem rei definitiones eſſe non poſſunt, ut docet *Ariſtot.* 6. Top. c. 5. t. 2. ergo malè hic tres proponuntur à *Porphyrio*.

Sol. Dixi eum totum Librum de definitione *eſſentiali* intelligendum eſſe, plures enim *deſcriptiones* accidentis eſſe poſſunt.

Accidens autem conſideratur diverſo reſpectu, vnde varias definitiones habet, ſc. aut

reſpectu
1. *Subiecti*: & ſic in primâ definitione (*quod abeſt & adeſt ſubiecto.*)
2. *Cauſæ* per quam ſubjecto ineſt, & ſic in ſecunda. *quod contingit eidem ineſſe*, i. quod contingentem habet ineſſendi cauſam.
3. *Caterorum vniverſalium*, & ſic in vltimâ, *quod neq. genus eſt*, &c.

proinde
1. Prima. 2. Secunda. 3. Tertia.
1. *Naturam.* 2. *Originem.* 3. *Diſtinctionem.*
Accidentis maximè declarat.

Quocircà definitionem hanc, hoc modo intelligite. *Accidens eſt vniverſale quod* (reſpectu ipſius cujus eſt accidens) *nec eſt genus*, &c. i. quod prædicatur in (*quale*) (per quod à genere & ſpecie) & *accidentaliter*, per quod à differentiâ, & *non converſim* per quod à proprio diſtinguitur, *& ſubſiſtit in ſubiecto ſemper*, i. (*ſemper*) dum omninò exiſtit, ſubſiſtit in ſubjecto.

SECT. 8.

De divisione accidentis, in separabile & inseparabile, eiusq; explicatione.

Dividitur accidens in

1. *Separabile*, nimirùm quod separari potest à subjecto suo (ipso subjecto post separationem existente) ut rubor ab homine erubescente.

2. *Inseparabile*, quod dum existit subjectum, reipsâ ab illo separari non potest, ut nigredo à corvo, albedo a cygno, calor ab igne.

In accidente autem *separabili* & *inseparabili*

Notanda sunt duo,

1. *Causa*, de quâ notandum quod illud accidens *inseparabile* est, quod in subjecto, *necessariam* & *firmam* causam habet: ut albedo in cygno, complexionem ipsius cygni habet: *separabile* autem, quod in subjecto causam habet *contingentem*, & *infirmitèr radicatam*, ut rubor in erubescente pudorem habet, calor in aquâ vim ab igne impressam habet.

2. *Modus separationis*, qui est duplex,

1. *Consistens cum existentia rerum separatarum*, i. cum ea quæ separantur ambo manent post separationem.

2. *Coniunctus cum corruptione alterius*, earum rerum quæ separantur, i. cum res à se invicem divelli non possunt sine corruptione alterius: *prior* est separatio *partium integralium*, vt cùm lignum in partes secatur; (ipsis manentibus partibus) *posterior*, *accidentium* respectu subjecti, quia impossibile est accidens à subjecto separari sine ipsius accidentis interitu.

Ali-

Aliquod dicatur *inseparabile*, bifariam, aut
- 1. *Absolutè*, quod nullo modo est separabile, nempe nec *reipsâ*, nec *intellectu*.
- 2 *Comparatè*, quod licet *reipsâ* nequit, *intellectu* tamen separari potest, estq; *inseparabile* vel respectu
  - 1. *Formæ*, quod necessariò rei formam sequitur, & sic propria passio est *inseparabilis*, nullum autem accidens.
  - 2. *Materiæ*, quod ipsam rei materiam necessariò consequitur, & sic quædam accidentia *inseparabilia* sunt, vt candor in nive, nigredo in Æthiope. quocirca cum accidens hoc in loco, dividitur in *separabile* & *inseparabile*, intelligite quod ratione *materiæ separabile* est, aut *inseparabile*, nam ratione *formæ* omnia separabilia sunt.

SECT. 9.

In quo sensu dicuntur omnia accidentia á Porphyrio *per intellectum à subiectis separari? vbi quædam dubitationes solvuntur.*

Notandum quod duplex est rerum, per intellectum,

Separatio, vel
- 1. *Simplex*, sive *abstractionis*, aut *præcisionis*, quæ in apprehensionis simplicitate consistit, nimirùm cum intellectus alterum apprehendit aut intelligit, altero non intellecto.
- 2. *Composita* aut *remotionis* sive *divisionis*, quæ in remotione vnius ab altero versatur: priori modo intelligendum est, quod *Porphyrius* dicit, *nigredinem à corvo per intellectum separari posse*, quia intellectus ita apprehendat corvum, quod nigredinem non intelligit, non autem posteriori, tum enim intellectus falsus esset; aliud igitur est intelligere *corvum sine nigredine*, aliud intelligere *corvum esse sine nigredine*, prior enim separatio est, quum unum intelligimus altero non intellecto: posterior, cum ambo quidem intelliguntur, sed unum ab altero removetur: unde *hoc* modo, intellectus non potest separare nigredinem à corvo, sine errore, sed *illo* potest.

Ob. Omne accidens abesse & adesse potest, (vt *Porphyrius* in definitione

nitione asserit) at definitio omni accidenti convenire debet, ergo nullum accidens est inseparabile.

Sol. Accidens consideratur dupliciter,
1. *Absolutè*, quatenus accidens est, & sic, per se, omne accidens abesse potest, & *separari*, i. accidens à seipso talē naturam habet, ut sibi non repugnet à subjecto divelli.
2. *Contractè*, quatenus materiale accidens est, & sic quædam inseparabilia sunt, & subjecto ratione *materiæ* necessariò conveniunt.

Ob. Idem accidens est, & separabile, & inseparabile, ut calor est in aquâ separabilis, in igne inseparabilis: ergo membra confunduntur.

Sol. Idem accidens in *specie* potest esse & separabile & inseparabile, sed non idem *numero*. Vel dicendū est, quod idem accidens, quoad rationem *essentiæ* potest esse & separabile, & inseparabile; sed non idem quoad rationem *inhærentiæ*, tum quia id respectu diversorum subjectorum est, tum propter diversas causas; cum separabile actu, à contingenti in subjecto causâ, inseparabilia autem à necessaria proveniunt: cùm igitur idem accidens, quoad speciem, in diversis subjectis, & firmam causam habeat in altero, & in altero possit habere mutabilem, rectè potest esse (respectu diversorum) & separabile, & inseparabile.

Ob. Id inest necessariò ratione formæ, sine quo forma esse non potest: at multa sunt accidentia, sine quibus forma esse non potest, vt forma ignis sine calore, ergo accidentia sunt inseparabilia ratione formæ.

Sol. Dicitur aliquod inesse, bifariam, (ratione formæ) vel quoad
1. *Consecutionem* formæ, quod nimirùm ipsam formam tanquam causam originalem & efficientem sequitur, & sic nulla accidentia, sed solum propriæ passiones insunt necessariò *ratione formæ*.
2. *Determinationem*; quia nimirùm ab ipsâ formâ tanquam naturali dispositione determinatur (quamvis ab aliâ causâ productum est:) & sic quædam accidentia (ratione formæ) inseparabilia sunt, vt calor in igne: non tam quia à formâ fluit, quam quia determinatur à formâ.

Ob. Id quod est *necessariò* in subiecto, non potest à subjecto separari, sed accidens est *necessariò* in subiecto: nam quod non potest esse extra subie-

ſubiectum eſt in ſubiecto *neceſſariò*, accidens autem extra ſubiectum eſſe non poteſt, ergo in ſubiecto *neceſſariò* eſt; minor manifeſta eſt, quia tum accidens poſsit per ſe exiſtere.

Sol. Eſt *neceſſariò* in ſubiecto, ex neceſſitate *exiſtentiæ ſuæ*; ſed non ex neceſſitate *inhærentiæ eius in ſubiecto*, quocirca ut (*ineſſe*) contra (extra eſſe) diſtinguitur, fateor, *neceſſariò* in ſubiecto (*ineſſe*;) at verò vt diſtinguitur contra (abeſſe) nego *neceſſariò* (ineſſe:) quamvis igitur non poteſt *extra ſubiectum* eſſe, poteſt tamen *abeſſe à ſubiecto*.

SECT. 10.

Quæſtiones tres de Accidente, quarum prima eſt: An idem accidens numero, ſit in diverſis ſubiectis?

Subiectum accidentis eſt duplex, aut
1. *Inhærentiæ*, cui accidens primariò incumbit, ut corpus reſpectu coloris in *Socrate*, anima reſpectu ſcientiæ.
2. *Appellationis*, cui nimirùm accidens appellationem præbet, vt *Socrates* reſpectu coloris, vel ſcientiæ ſuæ; nam licet *inhærent* in ipſis partibus, totum tamen *denominant*: *Socrates* enim coloratus eſt, & ſciens.

Dicendum igitur, quod idem accidens numero, in diverſis ſubiectis *appellationis* eſſe poteſt, non verò in diverſis ſubiectis *inhærentiæ*: ut idem calor, figura, quantitas, quæ erat in *Socrate* vivo, in mortuo, i. in cadavere *Socratis* manent; ſed tamen ipſum ſubiectum *inhærentiæ* non mutatur, hoc enim eſt ipſa materia ſeu corpus *Socratis* per ſe, non autem ipſe *Socrates*, niſi per accidens.

Ob. Ternarius numerus eſt accidens, eſt autem in diverſis ſubiectis, nam ſi eſſet in vno, tum vnum eſſet tria, tum accidens inhærens denominet.

Sol Subiectum duplex eſt, vel
1. *Simplex*, & in tali uno ſubiecto numerus non eſt.
2. *Aggregatum*, & in tali vno ſubiecto eſt numerus, licet enim tres illæ ſubſtantiæ in quibus ternarius numerus eſt, inter ſe diſtinguantur, (ſi abſolute in ſeipſis conſiderentur:) ſi tamen conſiderentur quatenus in iis unus eſt numerus, unum ſubiectum efficiunt.

Ob. Eadem vox numero, ab vnius ore prolata, ad multorum aures provenit, & ab ijs accipitur, ergò idem accidens numero est in multis subjectis; antecedens manifestum est; quia illi vocem non audiunt, nisi illam quæ à loquente prolata est, sed vna numero vox prolata est à loquente, ergo.

Subjectum vocis est

Triplex,
1. *A quo*, i. animal, quod emittit vocem.
2. *Ad quod*, i. animal quod audit vocem.
3. *In quo*, i. solummodo aër. ex quibus tribus (si propriè loqui velimus) *primum*, est vocis *principium*, sc. subjectum, (à quo.) *secundum* est vocis *terminus*, sc. subjectum (in quod.) *Tertium* verò solùm *subiectum* inhæsionis, viz. subjectum (*in quo*) in aere enim inhæret solum, sed in aëre formatur ab ore animalis, in aëre autem existens, aures animalis ferit.

Ob. Odor florum in manu gestorum, (ipsis abjectis) manui inhæret. ergo

Sol. Manus non est subjectum ipsius odoris, sed tenuiores quædam & aëriæ partes ipsorum florum, ab ipsis resolutæ, & manui adhærentes: Vel dicendum: quod idem non est numero odor, qui erat in floribus, sed novus ab odore florum manui imprimitur.

Ob. Audimus, ergo eandem vocem numero, ergo erit eadem vox numero in diversis aëris partibus.

Sol. In voce duo spectantur.
1. *Sonus vocis.*
2. *Figura vocis.* sonus extensus est in aëre, diversæque ejus partes, ad aures diversas proveniunt: *figura*, quoad extensionem indivisa est, & in quavis soni parte tota existit. unde non alia, atque alia figura vocis ad aures audientium provenit.

SECT. II.

SECT. 11.

Quæstio secunda: An inhærentia sit de essentia accidentis?

Accidens 2° accipitur, vel

1. *Absolutè*, pro re ipsâ quæ accidens est, ut calor, scientia: sic autem non est de essentiâ accidentis, multa enim accidentia sunt absoluta, est autem inhærentia, relatio: impossibile autem est relationem, de rei absolutæ essentiâ Esse.

2. *Formaliter*, pro re quatenus rationem accidentis participat, quomodo sibi inhærentia convenit, nam priori modo accidentia *in seipsis*, posteriori verò accidentia ratione *subiectorum* spectantur.

In inhærentiâ duo spectantur.

1. *Actus inhærendi*, & sic necessariò ad accidentis existentiam requiritur.

2. *Contingentia inhærendi*, et in hâc, essentia accidentis consistit. falsa igitur est vulgaris ista opinio Philosophorum, *aptitudinalem inhærentiam esse de essentia accidentis* asseverantium, cum accidens (quatenus accidens est) aptum est, (ut definit *Porphyrius*) vel inhærere, vel non inhærere; in *contingentia* ergo potius, quam in *aptitudine inhærendi*, natura accidentis cernitur.

Ob. At *inesse* est accidentis esse (inquiunt, ut docet *Aristot.*)

Sol. Falsum. nusquam enim ab *Aristotele*, id dictum est: sed est duplex esse, alterum *essentiæ*, alterum *existentiæ* dicitur: De *hoc* verum est, (*accidentis esse est inesse*) i. existentia accidentis est inhærentia: de *illo* falsum.

SECT. 12.

Quæstio tertia. An Imago sit in speculo, ut in subiecto?

Imago consideratur dupliciter, vel

1. *Absolutè*, ut est quædam qualitas, ab objecto sensibili defluens.

2. *Respectivè*, ut actum, officiumque repræsentandi habet, vtrovis modo spectetur, (si modo de inhæren-

inhærentiæ ſubiecto quæratur) aër eſt, inter oculum et ſpeculū intercedens: etenim repræſentatio eſt duplex. altera, per *radium incidentem, & rectum*, altera per *reflexum*, principium prioris, ſolum eſt *obiectum*, quod cernitur, poſterioris, *ſpeculum*, in quo cernitur. Si ergo de ſpeculari imagine loquamur, ſolum quoad *originalem repræſentandi Facultatem*, eſt à viſo corpore; quoad *immediatam repræſentandi vim*, eſt à ſpeculo: quoad *inhærentiam*, eſt ſolùm in aëre: multum hic ineptiunt interpretes contra methodum, Philoſophicam hanc quæſtionem (de ſpeculari imagine,) nec vbi debent tractantes, nec ut debent: *involventes* potius quod explicare volunt, quam *evolventes*: ſed hoc, ignorantia *Optices*, (erroris mater) peperit.

Hactenus de *Abſoluto* prædicabilium tractatu: ſequitur tractatus eorundem *relativus* ſeu *comparativus*.

TRAC-

TRACTATVS SEPTIMVS
De Communitatibus & Differentiis Vniversalium.

SECT 1.

De generali communitate, & differentia; omnium vniuersalium: quòd de multis prædicantur.

Post explicatum *absolutum* vniversalium tractatum, in quo *separatum* vniversalium naturam explicuit *Porphyrius*: veniendum est ad tractationem *comparatam*, in qua non *quid* vnumquodvis *in se* est, sed *quale* sit vnumquodvis respectu *alterius*, disquiritur.

Comparationem autem biformem instituit.
- 1 Alteram *generalem* omnium, quoad convenientiam.
- 2 Alteram singulorum inter se *peculiarem*; prior in primo hoc capitulo disquiritur, posterior in decem comparationes distribuitur.

In hac prima tractatione *Porphyrius* duo proponit, videlicet
- 1 *Conuenientiam ipsam*, quæ est *de multis prædicari*: id enim omnibus uniuersalibus competit.
- 2 *Explicationem* duplicem ipsius conuenientiæ; alteram
  - 1 Ab *inductione*, quia genus, & differentia, de speciebus & individuis; species de individuis solùm; proprium de vna sola specie, & ejus individuis; accidens de individuis & speciebus, prædicatur.
  - 2 Ab *exemplo*, quo singulas inductionis partes illustrat.

Notandum 1°, quod in hac communitate *Porphyr.* per differentiã, differentiam *genericam* intelligit; hæc enim sola de pluribus speciebus dicitur: per proprium vero, proprium *specificum*, hoc enim vni soli speciei adæquatur: quid autem hæc sunt supra diximus, tractatu 4. Sect. 16. & tract. 5. sect. 8.

Notandum 2°, quod cum dicat accidentia de individuis, & speciebus

prædicari; non *vniuersalis* ea propositio est, sed *indefinita*, & particularitèr intelligenda; cum quædam sint accidentia quæ in vna tantum specie inveniantur; vt scientia, risus, virtus, vitium, &c. solum in specie hominis.

Notandum primò discrimen quod *Porphyrius* docet esse inter primum subjectum *accidentium*, & *proprii*; nam accidentia primo, & immediatè *individuis* conveniunt, eorum verò gratia *speciebus*; proprium primò, & per se *speciei*, ejus gratia *individuis*; homo enim est albus, quia *Socrates* est albus; *Socrates* vero est risibilis, quia homo est risibilis.

Notandum deniq; duplicia accidentia esse; alia

1 *Intentionalia*, quæ ab intellectus operatione proveniunt, vt relationes rationis, & notiones, generis & speciei & cæterorum; eorumque prædicatio de subjectis suis, hæc autem vniversalibus primò convenire possunt.

2 *Realia*, quæ rebus ipsis inhærent; (nam intentionalia accidentia in rebus non sunt per *inhærentiam*, sed solum per applicationem) & de istis *Porphyrius* intelligendus est.

SECT. 2.

In quâ dubitationes, earumq; resolutiones sunt.

Ob. Genus, vt genus prædicatur de pluribus specie differentibus, (vt ex ejus definitione manifestum est:) vt autem prædicatur de individuis speciei; vt animal de *Socrate*, & *Platone*, prædicatur solum de differentibus numero: ergo vt de individuis prædicatur, genus non est.

Sol. Si *aptitudinem* prædicandi respiciamus; semper de multis prædicatur speciebus; sin *actum*, interdum solum de individuis; prout in propositione aliquâ ab intellectu, indiuiduis tribuatur vel speciebus; quocirca si prædicationem generis, penes ejus *realem extentionem* expendamus; semper de pluribus speciebus prædicatur; quia semper ad plures species res ipsa *extenditur*: Si penes *vocalem applicationem*, in propositione ad subjecta: vel de individuis solum, vel de speciebus prædicatur, prout ab ipso intellectu attribuitur rebus.

Ob. Differentia de specie non prædicatur, vt rationale de homine

nam

nam incorporea ſubſtantia de corporea non prædicatur: nam tum corporeum, eſſet incorporeum; rationale autem differentia hominis, incorporea ſubſtantia eſt, cum nihil aliud ſit quam anima rationalis in concreto: ergo. quod autem nihil aliud ſit, quam anima rationalis manifeſtum eſt; nam aut eſt ipſa anima, aut potentia animæ, non autem potentia; quia accidens eſt, ideoque pars ſubſtantiæ eſſe non poteſt; at rationale eſt pars hominis: ergo eſt ipſa anima.

Sol. Rationale bifariàm accipitur. ſc. vel
1 *Abſtractè*, prout idem deſignat quod anima rationalis.
2 *Concretè*, prout idem denotat; quod informatum anima rationali, priori modo ſimplicitèr incorpoream ſubſtantiam ſignificat, poſteriori ex *principali*, & *formali ſignificatione* incorpoream ſubſtantiam; ex *connotatione* corpoream, eâque ratione de corporea prædicari poteſt.

Sol. 2. Vel in rationali duo ſpectantur,
1 *Subſtantia* ipſa, & quoad hanc in concreto, de corpore prædicari poteſt.
2 *Simplicitas*, & *immaterialitas* ſubſtantiæ, & quoad hanc non poteſt; eſt autem (incorporeum) *ſimplicitatis*, non *naturæ*.

Ob. Proprium (vt riſibile) immediatè individuis convenit; ergo in eo ab accidente non diſcernitur: antecedens oſtenditur, quia riſus immediatè convenit individuis, cum ſit commune accidens: ergo & riſibile, argumentum manifeſtè ab actu ad potentiam ſequitur affirmativè.

Sol. Argumentum ab actu ad potentiam ſequitur affirmativè, cum actus & potentia ſint propoſitionum *prædicata*; non *ſubiecta*: vt exempli gratia, homo ambulat, ergo ambulare poteſt; nix eſt alba, ergo poteſt eſſe alba; quia actus & potentia ex parte prædicati ſe tenent; *infirmè* autem ſequitur riſus eſt actio, ergo riſibile eſt actio, riſus convenit *primò* individuis, ergo riſibile *primò* illis convenit; quia actio & potentia ex parte *ſubiecti* ſe habent.

Comparatio generis & differentiæ.

SECT. 3.

In qua ipſa communitates, & differentiæ generis, & differentiæ, recenſentur.

Notandum quod generis,& differentiæ assignat

1 Communitates tres; quoad

1 *Comprehensionem* specierum, quia ambo plures species continent.

2 *Participationem* suæ naturæ ad species: quia quicquid de genere,& differentia, id ipsum de speciebus prædicatur.

3 *Constitutionem conseruationemq;* specierum;quia ita pendet species ex vtriusque, vt vtrovis sublato,species intereat.

2 Differentias septem; quoad

1 *Ambitum prædicandi*, quia genus de pluribus prædicatur,quam differentia, cæteraq; vniuersalia.

2 *Modum continendi*, quia genus continet differentias; non è contra.

3 *Ordinem naturæ*; quia genus est prius differentiâ.

4 *Rationem dependentiæ á se invicem*, quia sublato genere tolluntur differentiæ, non è conversò.

5 *Modum prædicandi*,quia genus attribuitur in quæstione *quid* est:differētia in *quale quid*.

6 *Multitudinem*, quia vnius speciei vnicum genus est,at multæ differentiæ.

7 *Compositionem speciei*,quia in specie constituendâ genus *materiæ*;differentia *formæ* analogicè respondet.

SECT. 4.

De explicatione primæ communitatis.

Porphyrius in tractatione vniuersalium *absolutá*,præposuit speciem differentiæ,in hac tractatione *comparatâ* præponit differentiam speciei,illic enim ordinem *doctrinæ*,hic *naturæ* obseruat, illic *prædicandi* rationē respexit, quæ in specie est generi similior,& perfectior,quam in differentia;hic vero modum *comparationis* ejus cum genere ; cum quo, plures communitates,pauciores vero differentias habet, quam habet species:ergo recto jure speciei præmittitur.

Notandum quod in hoc loco per differentiam, differentia *generica* est intelligenda,i. quæ genus subalternum constituit;vt sensibile, animatum,&c.non vero *specifica*,hæc enim plures species non continet.

Nota

Nota 2° quod per continentiam, continentia *potentialis* intelligitur, non *actualis*, i. qua aliquid alterum continet *ſub ſe* & quoad prædicādi ambitum; ſic enim & genus, & differentia generica plures ſpecies continent.

Ob. Si differentia contineat plures ſpecies, aut ergo *ſpecifica* (quod per ſe falſum eſt) aut *generica* (quod æquè falſum eſt:) nam differentia generica tot ſpecies ſub ſe continet, quot ipſum genus; vt ſenſibile, quot animal; at *Porphyrius* hic aſſerit non tot continere ſpecies differentiam, atque genus: ergo.

Sol. Differentia generica duplex eſt, vel

1 *Conſtitutiva*, vt ſenſibile reſpectu animalis, & hæc *æqualis* eſt generi.

2 *Diviſiva*, vt ſenſibile reſpectu corporis animati, & hæc *minùs latè* patet: hanc igitur, non illam *Porphyr.* intelligit differentiam; nempe differentiam dividentem non tot ſub ſe ſpecies continere; atque ipſum genus.

SECT. 5.

De explicatione ſecundæ & tertiæ communitatis.

Notandum quod cū dicatur (quicquid prædicatur de genere, vt genus eſt, prædicari de ſpecie, vt ſpecies eſt) nō id de *intētionibus* accipiendū eſt: ſed de *rebus* ipſis, i. quicquid prædicatur de genere *reali*, vt talis res eſt, vt *verbi gr.* quicquid prædicatur de animali, vt animal eſt, vel de corpore, vt corpus eſt, id omne prædicatur de omnibus ſpeciebus, & individuis, ipſius generis. Quicquid prædicatur de genere, vt genus eſt, hoc eſt, quod de re quæ genus eſt, prædicatur *eſſentialiter*, & *per ſe*, ſiue *conſtituat* eſſentiam ejus, vt ejus genus & differentia; ſiue eſſentiam *conſequatur*, vt ejus propriæ paſſiones; id de ſpeciebus, ejuſque individuis dicitur; vt ſubſtantia, corpus, animatum, ſenſibile, de animali dicuntur *per ſe*, & quatenus animal: ideoque de homine, & beſtia, eorumque omnium individuis prædicabuntur.

Ob. 1. Nihil dicitur de genere, vt genus eſt, nam genus, vt genus eſt eſt prædicatum; at vt aliquid de eo dicitur eſt ſubjectum; ergo de genere vt genus eſt, nihil prædicatur.

Ob. 2. Hæc intentio (genus) de genere, vt (v.gr.) de animali dicitur, vt genus eſt, & definitio generis de genere dicitur, vt genus: ſed, nec vox nec definitio generis de ſpeciebus dicitur.

Sol. Ad primam dico, eam propoſitionē non de *intentione* generis, ſed

de *reipsa* intelligendam esse; nec de re quatenus *genus* est, sed quatenus talis *res* est: i. absolutè: vt quicquid dicitur de animali, non vt genus est, sed vt animal est, id genus dicitur.

Sol. Ad secundam respondeo, quòd & nomen generis, & generis definitio prædicatur de re, quæ est genus, vt v. g. de animali & corpore *intentionaliter*; at ea hic intelliguntur quæ *per se*, i. *essentialiter*; aut necessario, i. quæ *naturæ* ratione, non ratione *vniuersalitatis* ei conveniunt.

Similitèr explicandum id quod *Porphyrius* dicit de differentia; vt quicquid dicitur de rationali, vt rationale est, vel de sensibili, vt sensibile est, id de ijs omnibus prædicatur, quæ sub illis continentur, i. quicquid *per se*, & *necessariò* de illis prædicatur, *essentialitèr* etiam dicitur de differentia.

Ob. Vti ratione, de rationali (vt tale est) dicitur, *Porphyrii* testimonio (hoc in loco) non tamen prædicatur de omnibus de quibus rationale prædicatur: vt (ex.gra:) insani homines rationales sunt; non autem ratione vtuntur.

Sol. Vti ratione designat, aut
1. *Actum* vtendi ratione.
2. *Aptitudinem*, aut *facultatem*; actus omnibus non convenit, aptitudo convenit; & sic à *Porphyrio* accipitur, omnes enim homines natura proclives sunt, ad vtendum ratione: quod autem non actu vtuntur, non à *natura* est, sed ab aliquo naturæ *impedimento*: vt à mala organorum corporis dispositione.

Tertia communitas ex parte conservationis speciei, quod vel genere, vel differentia sublata, species interimitur: vt sublato vel animali, vel rationali, homo interit; quia nimirum species, ex genere & differentia, tanquam ex causis intrinsecis dependet, & tanquam ex partibus essentialibus constitit; nihil enim permanere potest aliqua parte ejus essentiæ interemptâ.

SECT. 6.

De expositione differentiarum primæ, secundæ, tertiæ.

Prima differentia est quoad prædicandi *ambitum*, quod genus prædicatur de pluribus, quam differentia, quam species, quam proprium, quam accidens.

Vbi

Vbi notandum primò; quod per differentiam, *divisiva* generis, non *constitutiva* intelligitur: vt animal prædicatur de pluribus quam rationale, à quo *dividitur*, non autem quam sensibile, á quo *constituitur*.

Ob. Secundò intelligendum, quomodo genus prædicatur de pluribus quam accidens; nam coloratum, quantum, &c. accidentia sunt; & prædicantur de pluribus, quam animal, & planta, &c. quæ genera sunt; cum de omnibus corporibus enuncientur.

Sol. Ad quod respondeo, quod genus non prædicatur *simpliciter* de pluribus, quam accidens; sed cum *hac limitatione*, nempe *ex necessitate naturæ suæ*; hoc est si ipsam vniuersalium omnium naturam spectes, requiritur ad naturam generis, vt de pluribus prædicetur, quam requiritur ad naturam alicuius alterius vniversalis; nam ad naturam accidentis, differentiæ, proprij, & speciei, sufficit, si de individuis vnius speciei, vnâve specie prædicentur; sed id ad naturam generis non est satis, sed ad naturam ejus requiritur, (vt prædicetur de pluribus speciebus,) multa enim & accidentia, & differentiæ, & species, & propria sunt, quæ in vna solum specie continentur; at nullum est genus, quod ad plures species se non extendit.

Secunda differentia ex *modo continendi* est: quia genus continet differentiam potestate suâ; differentia autem non continet genus.

Vbi notanda sunt duo; primò vt genus differentiam continet potestate, hoc est ambitu, & amplitudine suâ: nam continere *potestate*, est continere *sub se*, i. latius patere, & diffundi, quam id quod contineri dicitur; continere *actu*, est continere *in se*: priori modo *divisiva* differentia à genere continetur, posteriori à specie: vt rationale continetur in animali *potentiâ*, in homine *actu*.

Ob. Secundò, quomodo differentia continet genus; nam ea est ratio differentiæ, ad genus, quæ est formę ad materiam, vt *Porphyrius* in vltima differentiâ affirmat, sed forma continet materiam (asserente *Aristotele* 4° physicorum, textu decimo quinto:) ergo differentia continet genus.

Sol. Aliquid dicitur alterum *continere* bifariàm scilicet, aut

1 Per *modum inclusionis*, sic genus continet differentiam, vt totum vniuersale suam partem, non quia in *natura* suâ, sed quia in *potentia* suâ, differentiam includit.

2 Per *modum limitationis*; sicut rei terminus dicitur rem ipsam *continere*, i. coercere ne res vltra extendatur; & sic concedi possit differentias generis amplitudinem

dinem *continere*, i. vtrinque terminare, ne ad aliqua ſubjecta extra differentias, ſe extendat.

Sol. 2. Genus bifariàm reſpicitur.

1 *Confuſè*, vt *indeterminatum* eſt, & per nullam differentiam, actu contractum ad aliquam ſpeciem.

2 *Diſtinctè*, vt *reſtrictum* eſt, & actu vnitur cum differentia, ad ſpeciem conſtituendam; priori modo genus *continet* ſub ſe differentias; (ſicut ſuperius ſuum *inferius*:) poſteriori; differentia, genus; ſicut actus ſubjectivam ſuam potentiam ſub ſe *continet*; quoad *extenſionem* genus differentiam, quoad *perfectionem* differentia genus complectitur.

Diff. 3. Tertia differẽtia eſt ex *naturæ ordine*: quia genus ſuâ differentiâ *diviſivâ* prius eſt: differentia ipſo genere poſterior; ideoque ſublato genere, omnes differentiæ ejus diviſivæ intereunt: at non converſim, vt ſublato animali, rationale & irrationale tolluntur, ſed his ſublatis non tollitur animal.

Itaque duo hic *Porphyrius* agit: primò differentiam ponit, deinde corrolarium quoddam ex differentiâ deducit, ſenſus & veritas differentiæ manifeſta eſt: quia genus eſt principium, & fons, ipſarum differentiarum dividentium, ex quo ſpecies fluunt.

Ob. Quoad corrolarium autem dubitatio eſt ſolvenda: nam ſublato rationali & irrationali, omnia ſingularia animalia corruunt, cum res nequeunt eſſe ſine eſſentia ſua: at ſublatis omnibus ſingularibus animalibus, tollitur ipſa animalis eſſentia: nam ſublatis primis ſubſtantijs tolluntur ſecundæ, vt *Ariſtoteles* docet in capite de ſubſtantia, textu quinto: ergo.

Sol. Animal conſideratur, vel quoad

1 *Eſſentiam, primamve perfectionem*, quæ eſt naturæ *conſtitutio*.

2 *Exiſtentiam, vltimamve perfectionem*: quæ eſt naturalis *operatio*; priori modo genus ſublatis omnibus ſuis inferioribus, integrum manet: poſteriori non manet, cujus ratio eſt, quia *eſſentia* ejus, a ſuperioribus ſuis, & principijs eſt, *exiſtentia* à ſingularibus & ſubjectis: vnde his interemptis *exiſtentia* ruit; non vero *eſſentia*, quæ à ſuperioribus eſt. ſublato enim poſteriori, non tollitur prius.

Ob. At (rogabitis) vbi illud animal eſt? cum omnia ſingularia tolluntur?

Sol. Si locum quæratis, *nullibi* eſt, quia non eſt locus vniverſalium. *Ariſtoteles*

ristoteles primo libro poster. analyt. capite 3 tex. 1. sed solùm singularium rerum: si subjectum quæratis, *Nullibi* est; quia subjecta omnia tolli supponitur; si principium quæratis, *alicubi est*: nempe in suis superioribus, in quibus (vt effectus in virtute causarum) continetur.

SECT. 7.

De explicatione differentiarum quartæ, quintæ, & sextæ.

Quarta differentia est ex *prædicandi modo*: quia genus in (quid) differentia in (quale quid) de suis speciebus prædicatur, vt supra diximus. Genus *materialitèr*, differentia *formalitèr* de speciebus prædicatur.

Quinta differentia est ex *multitudine*; quia *unum est genus, vniusc. suiusq. speciei, at plures differentiæ.*

Ob. Quod si objiciatur habere hominem plura genera, vt animal, corpus, substantia.

Sol. Respondendum est habere vnum solum genus *proximum*, aut *immediatum*; vt animal, corpus, substantia, cætera autem *remota* esse.

Ob. At verò vnica est proxima differentia, ergo in ea discrimen non est.

Sol. Differentia est { 1. *Perfecta*, & *constituens*, vt rationale hominis, & talis vnius speciei, vnica proxima est. 2, *Imperfecta*, & *distinguens solùm*, vt mortale, capax disciplinæ, hominis, tales autem vni speciei plures convenire possunt.

Quod si aliquis adhuc hæreat scrupulus, (exemplis *Porphyrii* prætermissis) hoc pacto eruetis: vnũ solum esse genus quod *simpliciter* et omni modo genus est: nimirum sũmum; at plures differentiæ sunt vnius speciei, quæ omni modo differentiæ sunt, et sive ad superiora, sive ad inferiora comparentur, differentiæ manent; minus quidem ad *exemplum* appositũ, hoc est, sed (abjecto exemplo) magis verè ad *præceptum*.

Sexta differentia est ex *modo constituendi speciem, genus est simile materiæ, & differentia formæ*;) genus simile materiæ) ratione *confusionis*, et *potentiæ*, quia sicut materia ex se est quoddam confusum, et indeterminatum, priusquam forma ad eam accesserit, sic genus priusquam accedit differentia, (differentia autem est similis formæ) respectu *contractionis*, et *perfectionis*, quia sicut forma,

confusam materiam distinctam reddit, & ad certam reducit speciem, ita differentia genus ad certam speciem contrahit.

Comparatio secunda, generis, & speciei.

SECT. 1.

In quâ communitates & differentiæ, generis, & speciei, à Porphyrio *assignatæ, recensentur.*

Caput hoc (ut cætera) in duas partes distribuitur, in priori recensentur.

Tres communitates, nempe quoad

1. *Vniversalitatem*, quod ambo prædicantur de pluribus.

2. *Ordinem, respectu suorum subiectorum*; quia sicut genus est prius speciebus, ita species, individuis.

3. *Extensionem*, quia ut genus respectu suarum specierum, totum quoddam est: sic & species respectu singularium suorum.

In posteriori differentiæ sunt sex, vel quoad

1. *Modum continendi*, quia genus continet sub se speciem; species autem non continet genus.

2. *Modum constituendi*, quia genus differentiâ informatum constituit speciem; at species, genus non constituit.

3. *Dependentiam*, quia species dependet à genere, ut posterius à priori, non è contra.

4. *Prædicandi modum*, quia genus de specie vnivoce prædicatur; non species de genere.

5. *Modum excessus*, quia genus superat speciem *potestate* suæ naturæ (quia plures *sub se* species continet,) species autem genus *actu, & perfectione* naturæ superat, quia plures *in se* differentias continet.

6. *Locum in prædicamento*, quod nec genus potest esse specialissimum, nec species generalissimum, eorum quæ sunt in prædicmento.

SECT. 2.

SECT. 2.
De communitatum explicatione.

Com. 1. Communitas omnium vniverſalium generalis eſt, & per ſe manifeſta (ſi de aptitudine prædicandi intelligatur.)

Com. 2. Secunda habet aptam veritatem, & cauſam veritatis; quia genus conſtituit ſpeciem; ſpecies autem individua, ideoq; ſunt ijs *priora*; conſtituens enim eſt cauſa conſtituti, cauſa autem effectu *prior* eſt, quoad naturæ ordinem.

Ob. At prius eſt ſubjectum prædicato, (docente *Ariſtotele*) primo libro Phyſicorum, textu quinto, ergo individuum eſt prius ſpecie, & ſpecies genere.

Sol. 1. Subjectum duplex eſt, alterum in prædicatione,
- 1. *Denominativâ*, & *accidentali*, & ſic in eâ ſubjectum prius eſt, prædicato; nempe ſubſtantia accidente.
- 2. *Eſſentiali*, ubi ſuperius de inferiori enunciatur; in eâ autem ſubjectum poſterius eſt natura prædicato; & hoc poſteriori modo ſumit *Porphyrius*.

Sol. 2. Vel dicendum eſt: *Ariſtoteles* per ſubjectum, ſubjectum *informationis*, & naturam *recipientem*, id eſt, materiam: per prædicatum verò naturam *acceptam*, id eſt, formam, intelligit; materia autem formâ prior eſt.

Com. 3. In tertia communitate quoad *extenſionem*; cum et genus, et ſpecies, quoddam *totum* dicitur, iùtelligite totum *vniverſale*, reſpectu ſuorum inferiorum, quæ intra ſuum ambitum, et complexum continet; quantumvis in ipſo modo quoddam diſcrimen ſit, quia genus totam ſpeciei eſſentiã *actu* in ſe non continet; at ſpecies totam eſſentiam individui, cum individuum nihil addat naturæ ſpeciei, ſed ſolum accidentales quaſdam propietates.

SECT. 3.
De differentiarum intellectu.

Differentia 1. Prima differentia eſt ratione *continentiæ*; quia genus

continet ſpeciem, ſpecies autem non continet genus; i. genus continet ſpeciem *ſub ſe*, vt inferius ſuum ſub ſuperiori; & tanquam partem *vniuerſalem*: hoc autem modo, ſpecies non continet genus.

Ob. At totum continet ſuam partem, eſt autem genus pars ſpeciei, ut *Porphyrius* in capite de differentia docet, textu 17.

Sol. 1. Si *vniuerſalitatem* ſpectes, ſpecies generis, ſi *eſſentiam*, genus ſpeciei pars eſt: ergo ſpecies continet genus, verum eſt tanquam partem *eſſentialem* actu *in ſe*, ſed non vt partem *vniuerſalem* poteſtate, & *ſub ſe*, quod *Porphyrius* intelligit.

Sol. 2. In genere duo ſpectantur,
1. *Materia* ipſa, & quoad hanc, continetur in ſpecie.
2. *Amplitudo* & *diffuſio naturæ*, & quoad hanc, non continetur, cum natura generis, pluribus ſpeciebus communicetur.

Ob. Species continet genus actu, ergo poteſt continere, & per conſequens poteſtate continet, ergo diſcrimen nullum eſt.

Sol. Potentia duplex eſt,
1. *Eſſendi*, & ſic verum eſt, quod ſpecies in ſe continet genus.
2. *Prædicandi*, ſic autem ſpecies, potentia non continet genus: potentiam *eſſendi* appello, quâ aliquid poteſt eſſe *in altero*; potentiam *prædicandi*, quâ aliquid poteſt directè prædicari *de altero*; quocirca cùm ſpecies actu contineat genus, quoad *eſſentiam*, ut poteſtate, hâc ratione continebit ipſum. at verò *Porphyrius* cùm negat ſpeciem continere genus, intelligit poteſtatem prædicandi, i. non ita continet ſpecies ſuum genus, ut poſſit de ipſo directè prædicari.

Secunda differentia eſt ex ratione *conſtitutionis*: quia genus informatum differentijs, i. cum ijs vnitum ſpecies ſuas conſtituit. Non autem ſpecies conſtituit genus, cùm ſit eo poſterior, ubi notandum quod genus *per ſe*, & *ſolitariè*, ſumptum, ſpeciem non conſtituit, ſed, ut cum differentia connectitur; cujus ratio eſt, quia (conſtituere) *actus* quidam eſt, genus autem priuſquam per differentiam contrahitur, ſolùm eſt *in potentia*: quocirca licet genus per ſe conſideratum, *aptum ſit* ſpeciem conſtituere, non tamen *actu* conſtituit, priuſquã cum differentia vniatur. Vnde actus conſtituendi, primò *differentiæ*, propter vnionem autem differentiæ, *generi* convenit.

Tertia differentia eſt, quoad *ordinem naturæ*; & quoad dependentiã, quia genus eſſe prius ſpecie; ſcilicet quoad *naturam*, non autem *tempore*:

pore: ſpecies vero genere poſterior, vnde ſublato genere, ſpecies interit: at (ſpecie interemptâ) non tollitur genus; i. ſublatâ una, aut alterâ ſpecie, genus non tollitur: omnibus tamen ſublatis, tollitur quoad *exiſtentiam*, licet *eſſentia* maneat. Vt ſublato homine, vel bruto animal manere poteſt in relicta ſpecie, at vtriſq; ſublatis non manet quoad *exiſtentiã*.

Ob. Genus & ſpecies relativa, ſunt, vt *Porphyrius* docet, cap. de ſpecie, t. 20. at relativa ſunt ſimul natura, vt *Ariſtoteles* teſtatur in prędicamento relationis, ergo genus non eſt prius ſpecie, & per conſequens ſublata ſpecie genus interit.

Sol. Genus & ſpecies ſumuntur, aut

1. *Intentionaliter*, pro ipſis vocibus: & ſic relata ſunt, & ſimul naturâ.

2. *Materialiter*, pro ipſis rebus, quæ capiunt hæc nomina; ſic autem relata non ſunt, ſed genus prius eſt ſpecie. ut animal homine, priori igitur modo accepta ſpecies, ſi tollatur, genus tollitur, hoc eſt reſpectu relationis ejus ad ſpeciem, & nomen generis amittit, poſteriori non tollitur; hoc eſt, ipſa rei *eſſentia*, quæ genus eſt, integra maneat, quamuis *vniverſalitas* ejus immutetur.

Quarta differentia eſt ex *modo prædicandi*, quia genus de ſpecie prędicatur vnivocè, i. directè, & eſſentialiter, vt ſuperius de inferiori: at ſpecies de ſuo genere ita non prædicatur.

Quinta differentia eſt, ex *modo exceſſus*, quia genus continentia multarum ſpecierum ſuperat ſpeciem, ſpecies autem continentia propriæ, i. maximè propriæ differentiæ, ſuperat genus: hoc eſt, genus *potentiali* continentia ſpeciem, ſpecies *actuali* continentia genus ſuperat; breviter, genus quoad naturæ *extentionem*, ſpecies autem quoad naturæ *perfectionem* ſuperat.

Sexta differentia eſt ex *diverſitate loci in prædicamento*, quia ſpecies non poteſt eſſe generaliſsimum genus; genus enim generaliſſimum definitur, *quod ſolum genus eſt, non etiam ſpecies*. Nec genus poteſt eſſe infima ſpecies; cùm ea definitur, *quod ſpecies ſolum eſt, non autem genus*, vide tractatum ſecundum, ſect. 14. 15. & 16.

Notandum quod in tota præcedenti comparatione, *Porphyrius* de ſpecie *infimâ*, non *ſubalternâ* intelligendus eſt.

Comparatio tertia, generis & proprij.

SECT. 1.

In quâ communitates, differentiæ, Generis, & Proprii enumerantur.

Hæc comparatio consistit in tribus communitatibus, vel quoad

1. *Consequentiam ad speciem*, quia vtrumque speciem sequitur.
2. *Æqualitatem prædicandi*, non quoad *ambitum*, sed quoad *gradum*, quia neutrum prædicatur secundum majus et minus de suis subjectis.
3. *Modum prædicandi*, quia utrumq; univocè prædicatur de suis subjectis.

Et in quinq; differentijs, nempe quoad

1. *Ordinem naturæ*, quia genus prius est proprio.
2. *Extentionem*, quia genus de pluribus prædicatur speciebus, proprium de unica.
3. *Commutationem prædicandi*, quia proprium conversim dicitur, de suâ specie, non autem genus.
4. *Appropriationem*, quia proprium uni speciei appropriatur, genus minimè.
5. *Dependentiam*; quia dependet proprium à genere, vt (genere sublato tollatur proprium) non è contra.

SECT. 2.

De communitatum explicatione.

Com. 1. *Ob.* In prima communitate manifesta difficultas est, quia genus est prius natura sua specie, vt *Porphyrius* docet in præcedenti comparatione, textu 6. at id quod est prius, non sequitur suum posterius, ergo genus non sequitur speciem.

Sol. Aliquid sequitur alterum, bifariam

1. Quoad *naturam*, quod sequitur in constitutione *essentiæ*; et sic species est posterior genere, ipsumq; sequitur.

2. Quoad

2. Quoad *consequentiam*, quod scilicet sequitur in *illatione* argumenti; hoc est, quod infertur ex altero in argumentatione; et sic genus sequitur speciem: vt homo est, ergo animal est; sic in proprio, homo est, ergo risibile est: licet proprium sequatur speciem vtroque modo.

Com. 2. Secunda communitas est in *æqualitate participationis*; quia genus prædicatur *æqualiter* de suis speciebus. hoc est, non magis aut minus de vna specie, quam de altera; vt animal non magis de homine, quam de bruto, aut minus; eodem modo et proprium de suæ speciei individuis, ut unus homo non est magis aptus ad ridendum quàm alter.

Nota, quod *æqualitas* duplex est,

1. *Ordinis*, et sic genus et proprium non *æqualiter* prædicantur; vt substantia, aut corpus, prius prædicatur de animali quam homine, etc. et sic proprium prius de specie, quàm de individuis.

2. *Gradus*, et sic *æqualiter* prædicantur, hoc est, non magis de uno, quam de altero, (ut explicatum est.)

Ob. Ea non sunt æquè animalia, quæ non sunt æquè sensibilia, sed quædã animalia sunt magis sensibilia alijs: magis enim sensibilia sunt, quæ quinque sensus habent, quam quæ solum unum, at quædam animalia unum solum sensum habent. vt Ostrea, etc. vt *Aristoteles* docet secundo de anima, t. 23: ergo animal non æquè prædicatur.

Sol. In sensu duo spectãtur,

1. *Origo*, et *radix sentiendi*, scilicet anima sensitiva, quæ (in concreto sumpta) est animalis differentia.

2. *Facultas sentiendi*, ex anima in corpus promanans; si *originem* spectes, omnia animalia *æquè* sensibilia sunt; si ipsam *facultatem* in corpore, *non æquè* sensibilia sunt; nam imperfectissima animalia ratione ipsius animæ, *æquè* sunt apta ad quemvis sensum exercendum, atque ea quæ perfecta sunt; quod autem non possunt actus ipsos proferre, est in defectu instrumentorum in corpore; sine quibus anima operari nihil potest.

Ob. Vnus homo est magis aptus ad ridendum, quàm alius, ut qui sanguineæ temperaturæ est; quam qui melancholicæ: qui omnibus fruitur ad votum et voluntatem; quam qui adversam habet fortunæ frontem; ergo proprium prædicatur *inæqualiter*.

Sol. Ap-

Sol. Aptitudo ridendi duplex est.

1. *Primaria*, & *radicalis*, nempe aptitudo animæ quæ est ridendi principium.

2. *Secundaria*, & *instrumentaria*, nempe aptitudo organi corporei, cujus ministerio anima facit risum: prior, omnibus *æqualis* est, posterior *inæqualis*: sicut est varia corporis dispositio, & temperatura.

Com. 3. Tertia communitas est *in modo prædicandi*. quia et genus, & etiam proprium, prædicantur univocè; hoc est, secundum unum nomen, unamque rationem de suis subjectis.

Ob. Si proprium prædicetur univocè de subjectis suis, tum directè, secundum nomen & definitionem; at id falsum est, definitur enim proprium per subiectum, ergo subjectum de seipso prædicaretur, esset que nugatio in propositione.

Sol. Id quod est *proprium* duplicem definitionē habet.

1. *Materialem*, sic autem per *subiectum* definitur; vt *risibile est homo aptus natus ad ridendum.*

2. *Formalem*, sic autem definitur per proprium suum genus, & differentiam in prædicamento suo: vt *risibilitas est aptitudo ad ridendum*; *risibile est aptum natum ridere*, secundum hanc definitionem prædicari potest de subjecto sine nugatione.

SECT. 3.

De sensu differentiarum.

Prima differentia respectu *ordinis*, quod genus est prius proprio, manifesta est; si de ordine *naturæ* intelligatur, quia genus, & differentia (vt supra notavimus) quæ sunt *essentiales* causæ speciei, sunt *efficientes* causæ proprii, ut animal, & rationale risibilis, omnis autem causa naturâ suâ prior est suo effectu.

Ob. Nihil est prius eo quod non habet principium, at proprium non habet principium, cum sit æternum, sicut omnia vniversalia. ergo genus non est prius proprio.

Sol. Principium duplex est,

1. *Durationis*, seu *temporis*; & tale principium nullum vniversale habet.

2. *Effectionis*, seu *naturæ*: tale autem principium proprium admittit; quocirca licet respectu *durationis*, nihil

nihil sit prius proprio; est tamen aliquid prius respectu *effectionis*; scilicet ejus causa.

Diff. 2. Secunda differentia est quoad *ambitū*: qnia genus de pluribus speciebus prædicatur, proprium autem de vnica: quæ differentia ex earum definitionibus clarescit, nam genus de pluribus specie differentibus prædicatur; proprium vni soli speciei competit.

Ob. Mobile est proprium corporis, sensibile respectu animalis, &c. prædicatur tamen (vt per se manifestum est) de pluribus speciebus, ergo.

Sol. Discrimen non tam est in *amplitudine* prædicandi, quam in *ordine*; nam genus æquè primò & immediatè prædicatur de pluribus speciebus, at proprium immediatè non prædicatur de pluribus, sed de vna solâ: ea autem intercedente; (si sit proprium genericum) de pluribus: vt animal immediatè de homine, & bruto. mobile autem immediatè solum de corpore; ejus autem gratia, de speciebūs corporis.

Sol. 2. Vel dicendum est; quod genus ex necessitate *suæ definitionis*, & *naturæ*, de pluribus speciebus prædicatur; sed hoc ad naturam proprij à *Porphyrio* non exigitur.

Sol. 3. Proprium duplex est

1 *Genericum*, idq; de pluribus *immediatè* speciebus (sicut diximus) prædicari potest.

2 *Specificum*, idque de vna sola specie affirmatur; hocque proprium *Porphyrius* per vniuersum communitatum & differentiarum tractatum, semper intelligit.

Diff. 3. Tertia differentia est quoad *commutationem* prædicandi; quia proprium *conversim* prædicatur de suo subjecto, at genus de nullo *conversim* dicitur; hoc est, proprium cum vna certa specie convertitur, vt risibile cum homine, at genus cum aliqua vna è suis subjectis speciebus conversim non dicitur.

Notandum tamen, quod genus licet simpliciter cum nullo vno convertatur; convertitur tamen cum omnibus suis speciebus sub distinctione conjunctis; vt omne animal est homo, vel brutum; omnis homo, vel brutum, animal est.

Ob. Necessarium est proprium, & definitionem, & genus, converti cum eo cui inest, vt *Aristoteles* 2° topicorum. cap. 1. text. 4. at genus inest in specie, ergo genus cum specie convertitur.

1 *Vniformis*, quæ in mera transmutatione terminorum consistit.

Sol. Conversio duplex { vt omnis homo est risibilis, omne risibile est homo, hanc *Porphyrius* intelligit, & hæc generi non convenit.
2 *Difformis*, in quâ non solum transmutatio terminorum est, quoad *locum*, sed aliqua mutatio quoad *vocem* ipsam; vt animal est in homine: ergo homo est animal; prior conversio est inter *res* diversas, hæc autem inter *modos* diversos ejusdem rei; nempe inter inesse alicui, & de eodem prædicari; atque hanc *Aristoteles* ibi intelligit.

Differentia 4. Quarta differentia est *in appropriatione*, quia proprium vni speciei appropriatur, hoc est vni soli convenit, at genus vni speciei non adæquatur.

Notandum quod cum dicit proprium omni speciei convenire, hoc est toti cujus est proprium, non totum *integrale* intelligit, nam sic pes, vel digitus esset risibilis, sed totum *vniuersale* in omnibus vniversalibus partibus, hoc est, in omnibus inferioribus ipsius speciei reperitur.

Differentia 5. Quinta differentia, quoad *dependentiam*; quia proprium à genere dependet tanquam à sua causa; ideoque sublato genere proprium intercidit, at genus à proprio (quoad esse) non pendet cum causa ab effectu, prius à posteriori minimè dependeat.

Comparatio quarta generis, & accidentis.

SECT. 1.

In qua consensio, differentiæq; accidentis cum genere recensentur.

Hæc igitur comparatio consistit in { *Communitate* vna, quoad *vniuersalitatem*, quia commune est generi, & accidenti, siue separabile, siue inseparabile sit de pluribus prædicari.
Differentiis quatuor, quarum altera est quoad { 1 *Ordinem ad species*; quia genus est prius ipsis speciebus, & accidentia siue sunt separabilia, siue inseparabilia, eis sunt posteriora.
2 *Æqualitatem*, & *inæqualitatem participationis*; quia genus convenit *æquè* suis subjectis,

subjectis, non vero accidens.

3 *Modum essendi*, quia accidentia primo, in individuis subsistunt; at genus prius in seipso, & specie subsistit, quàm in individuis.

4 *Modum prædicandi*, quia genus in *quid*, accidens in *quale* de suis subjectis prædicatur.

SECT. 2.

De ipsius communitatis, & differentiarum sensu.

Ob. Sensus communitatis manifestus est, si vnum scrupulum amoveamus, nam id non est commune generi cum accidente, in quo genus differt ab accidente, sed genus in hoc differt ab accidente, quod de pluribus prædicatur, vt *Porphyrius* supra docet. capite 7. text. 4. ergo.

Sol. Prædicari de pluribus bifariàm accipitur, vel

1 *Absolutè*, prout idem valet quod prædicari de multis; & in hoc sensu generi cum omnibus vniversalibus convenit, de pluribus prædicari.

2 *Comparatè*, vt non *multitudinem* designat; sed *excessum multitudinis*; & in hoc sensu genus ab accidente & cæteris discrepat, quòd prædicatur de pluribus.

Diff. 1. Prima differentia est quoad *ordinem*, quòd genus est prius speciebus & accidens posterius: & manifesta est, quia genus est principium speciei, accidens autem ex principijs individui oritur, & in individuis 1° subsistit, quæ sunt posteriora ipsis speciebus.

Vbi duo obiter notanda sunt, 1° quod licet accidens ex principijs speciei proveniat *remotè*: (quia id quod est causa prioris est causa posterioris) ideoque cum speciei principia sint individui causæ, necessariò etiam sunt causæ accidentium, quæ consequuntur individua: *proximè* tamen & *immediatè* à principijs individui fluit, accidentia igitur proveniunt à principijs speciei, sed non vt principia speciei sunt, & in vniversali; sed vt per individuantes proprietates contracta, sunt principia ipsius individui.

Secundo *Natiua*, quæ subjectum perpetuò ab ipsa generatione concomitantur: vt calor respectu ignis, color respectu

obſervandum duas accidentium claſſes eſſe, nam quædam ſunt { corporis.

Adventitia, quæ ſubjecto accidunt poſt ejus generationem, vt ſcientia hominis, robur equi, &c. poſteriora hæc Accidentia, ſunt, & natura, & tempore ſubjectis ſuis poſteriora: prioris vero claſſis accidentia, ſuis ſubjectis ſunt *naturâ* quidem poſteriora, ſimul *tempore*.

Diff. 2. Secunda differentia quoad *participationem*, quod genus *æqualiter* participatur ſubjectis ſuis, accidens *inæqualiter*, accidentia enim intentionem, & remiſſionem capiunt; hoc eſt, intenſiùs & magis denominant aliqua ſubjecta, alia vero remiſſiùs & minùs, vt vnus homo eſt magis, albus, & doctus altero, ſed non eſt vnus magis animal quam alter.

Notandum, quod propoſitio hæc *Porphyrii* aſſeverantis accidentia intentionem & remiſſionem capere, non eſt *vniverſalis* (nam omnibus accidentibus non convenit) ſed *indefinita*, & *particulariter* intelligenda; in quo ſatis à genere diſcernitur cum nullum genus intentionem admittat, & remiſſionem.

Diff. 3. Tertia differentia eſt, quoad *rem in qua primò ſubſiſtunt*, quia accidentia primò ſubſiſtunt in individuis; at genus prius ſubſiſtit in naturâ ſuâ, & in ſpecie: quam in individuis: cujus ratio eſt, quod accidentia propter imperfectionem ſuam, ſuis viribus ſubſiſtere non poſſunt, ſed ſolum ratione *ſubſtantiarum* in quibus inhærent; inhærent autem prius in individuis ſubſtantijs; at ſubſtantiæ (cum perfectæ ſunt) in ſeipſis ſubſiſtunt primò, i. in ſeipſis ſuam eſſentiam poſſident, priuſquam ea cernatur in individuis. Nota tamen quod licet *ſubſiſtunt* primò in *ſeipſis*, *exiſtunt* tamen primò in *ſingularibus*, nam *eſſentiam* à ſuperioribus, *exiſtentiam* ab inferioribus recipiunt.

Diff. 4. Quarta differentia à *modo prædicandi* manifeſta eſt, quòd genus in *quid*, accidens in *quale* prædicatur: genus enim *intrinſecum* rei eſt, ideoq; *eſſentialiter*; accidens *extrinſecum* eſt, ideoque *accidentaliter* enunciatur, genus enim cùm *pars* ſit rei, *internè* eam conſtituit; accidens cum *modus* tantum ſit, vel conditio rei, ipſi ſolum *externè* adjacet.

Comparatio

Comparatio quinta differentiæ, & Speciei.

SECT. 5.

In qua ipsæ communitates, & differentiæ enumerantur.

Hæc comparatio cõsistit

- In *duabus communitatibus*, videlicet quoad
  - 1 *Æqualitatem participationis*, quia non secundum magis aut minus, sed æquè conveniunt vtræque subjectis suis.
  - 2 *Perpetuitatem convenientiæ*, quia vtræque semper adsunt subjectis suis, nec vnquam ab ijs separantur.
- In *quatuor differentiis*, quarum altera est quoad
  - 1 *Prædicandi modum*, quia species in *quid* prædicatur, differentia in *quale*.
  - 2 *Prædicandi ambitum*, quia differentia, sc. *generica*, non *specifica* de pluribus speciebus, ipsa autem species de individuis solum prædicatur.
  - 3 *Naturæ ordinem*, quia differentia est prior specie: species posterior differentia, & ab ea dependens; vt sublata differentia, tollitur species, non è contrà.
  - 4 *Modum constituendi speciem*; quia plures differentiæ conjungi possunt ad vnicam speciem constituendam; at plures species conjungi non possunt, vt vna aliqua species inde oriatur.

SECT. 2.

De communitatum explicatione.

Com. 1. Prima communitas clara est; si de æqualitate *gradus*, non de æqualitate *ordinis* intelligatur; nam differentia prius potest convenire alicui, vt speciei suę proximę; deinde alteri, vt subjectis remotis seu individuis; sed non alteri magis alteri minus convenit, sicut nec species. *Ob.* Vnus homo magis vtitur ratione quam alter, ergo magis vti possit, quam alter; ergo potentia ipsa ratiocinandi magis & minus recipit, & per consequens rationale, argumentum sequitur affirmativè ab actu ad potentiam.

Sol. 1. Nego argumentum: nam licet argumentum sequitur ab actu ad potentiam affirmativè, quando actus & potentia ponuntur *absolutè*, sine vlla determinatione; vt *Socrates* vtitur ratione ergo potest vti ratione; non tamen cum illis restrictio aliquæ vel determinatio conjungitur: vt magis vtitur, ergo magis vti potest; determinatio (magis) vim argumenti tollit.

Sol. 2. Vel dicendum est: admitti divisionis fallaciam, seu compositionis: nam si *magis* referatur ad *vti*, argumentum sequitur, vt magis vtitur, ergo potest magis vti; si autem referatur ad *potest*, non sequitur, magis vtitur, ergo magis potest vti. nam ipse *actus* magis minusve admittit, non *potentia*.

Sol. 3. Vel dicendum est, rationale capit magis & minus quoad *effectum*, & *operationem*; non quoad *formam* ipsam, quæ est radix operationis; hæc enim omnibus æquè competit.

Com. 2. Secunda communitas est quoad *perpetuitatem convenientiæ*: quia & species & differentia semper adsunt subjectis suis: vt rationale, & homo semper conveniunt *Socrati*.

Notandum quod cum dicitur differentia & species *semper* convenire individuo; *semper* bifariàm accipi, vel

1 *Absolutè*, vt omnem *temporis* durationem denotat.

2 *Contractè*, & *restrictè*, vt omnem durationem *subiecti* designat; quocircà cùm dicitur homo & rationale, (*semper*) *Socrati* convenire, id non simpliciter accipiendum est; quasi *Socrates* siue sit, sive non sit, sit animal rationale, (vt madida quædam capita excogitant,) sed *semper* sicut dixi *determinatè* accipitur, pro ipsa subjecti duratione, hoc est *Socrates* dum existat, est homo & rationalis.

SECT. 3.

De ipsarum differentiarum intellectu.

Diff. 1. Prima differentia, quoad *modum prædicandi*; quod species in *quid* prædicatur; differentia in *quale* (si per quale, quale *essentiale* non *accidentale* intelligatur.) manifesta est.

Ob. Species est *quale quid*, vt homo (*Porphyrio* asserente) capite 12. text. 3. de collatione differentiæ, & speciei: sed prædicatur secundum

ſecundum id, quod eſt: ergo prædicatur in *quale quid*, & à differentia in eo non diſtinguitur.

Sol. Species in ſe eſt *quale quid*, *quid* reſpectu generis, ex quo *materialiter*, *quale* ratione differentiæ ex qua *formaliter* conſtat, quæ eſt eſſentialis qualitas: at reſpectu individuorum, ſolum ſpecies *quid* eſt, licet enim eſſendi modum partim habeat à *differentiâ*, tamen habet modum prædicandi à *ſeipſa*: ſpecies enim reſpectu differentiæ, totum *eſſentiale* eſt, reſpectu individuorum totum *vniverſale*.

Diff. 2. Secũda differentia quoad *amplitudinẽ prædicandi*; quia differentia de pluribus ſpeciebus, ſpecies autem de pluribus individuis prædicatur, clara etiam eſt, ſi de differentia *generica*, quæ ſubalternam ſpeciem conſtituit, intelligatur: non de *ſpecifica*, i. vltimæ ſpeciei; hæc enim ſolum de vna ſpecie, ejuſque individuis prædicatur.

Ob. Omnis differentia eſſentialis cum aliqua ſpecie convertitur: ergo ſi differentia prædicetur de pluribus ſpeciebus, cum ijs etiam convertetur; ejuſdemq; ſpecies (quam proximè conſtituit) de ijſdem prędicabitur: Tum autem non eſt differentia ſi conveniat diverſis ſpeciebus, quia nulla differentia diverſas ſpecies proximè conſtituit: Antecedens manifeſtum eſt: vt, ſenſibile cum animali, animatum cum corpore animato.

Sol. Verum eſt, quod ſpecies quam generica differentia proxime conſtituit; (prædicatur de ijs) ſed non prædicatur vt ſpecies ſed vt genus cum ſpecies ſubalterna ad ſua inferiora comparata, ſit genus: ideoque hæc differentia de infima ſpecie non intelligitur.

Diff. 3. Tertia differentia eſt *quoad naturæ ordinem*, quia differentia eſt prior naturâ, ipſa ſpecie, cum ſit ejus cauſa, ipſa autem ſpecies poſterior, nimirum quoad *naturam*: non vero quoad *tempus*, (cum omnia vniverſalia ſunt ſimul reſpectu temporis.)

Notandum quod cum dicitur hic ſublata ſpecie non tolli differentiam; non intelligit differentiam peculiarem: i. *ſpecificam*, ſed *generícam*; vt ſublato homine non tollitur ſenſibile, rationale autem diſcurſivum tollitur: ratio evidens eſt, quia (ſublata vna ſpecie) manere poteſt in altera ſpecie ſui generis; vt ſenſibile in bruto, interempto homine.

Ob. Quod ſi ex eo objiciatur quod *Ariſtoteles* interdum aſſerit; totum eſſe prius naturâ ſuis partibus, vt 1° Politic. cap. 2. ideoque ſpeciem (cum ſit totum reſpectu differentiæ) eſſe priorem differentia:

Sol.

Sol. Respondendum, dici (prius naturâ) bifariàm,

Primò, quod prius est in *constitutione* naturæ.

Secundò, quod est prius in *intentione* naturæ; prius in *constitutione* est imperfectum perfecto, pars toto, causa effectu: prius in *intentione*, est è converso, totum partibus, & perfectum imperfecto: vnde in *constitutione* genus, & differentia, ipsa species; at *in intentione* naturæ, vtrisque ipsa species, vt perfectior est, ita prior.

Diff. 4. Differētia quarta est, quoad *modum componendi in constitutione speciei*: quia plures differentiæ simul conjunguntur ad vnam speciem perficiendam, at plures species non possunt.

Vbi duo sunt observanda, primo explicatio differentiæ ipsius.

Notandum quod duplex est differentiarum status, aut enim sunt:

Contradivisæ, quæ nimirum idem genus distribuunt, ipsumq; ad diversas species contrahunt; vt est rationale, & irrationale; & hæ simul ad vnam speciem conficiendam concurrere non possunt, cum sint oppositæ.

Subordinatæ, quæ species constituunt, quarum vna sub altera comprehenditur, vt est corporeum animatum, sensibile, rationale: atque hujusmodi differentiæ plures concurrunt ad vnam speciem, licet non æquè *proximè*, sed vna solum *immediatè*, cæteræ *remotè*, & suo ordine.

Ob. Secundò, si plures differentiæ concurrant, ergo & plures species; nã differentia à sua specie (quam proximè constituit) separari non potest, vt sensibile ab animali, animatum à corpore animato: ergo, si plures differentiæ, componi possunt, possunt etiam plures species, vt alia inde species oriatur.

Sol. Dicendum quod sicut plures differentiæ concurrunt ad vnam speciem; sic etiam & ea quæ ab illis constituuntur, sed non concurrunt sub ratione *specierum*; sed sub ratione *generum*, vt v. gr. licet animal, & corpus animatum, & corpus componantur, vt homo fiat, (sicut eorum differentiæ,) tamen respectu *hominis* sunt genera non species: licet respectu suarum *differentiarum* à quibus constituuntur, sunt species. Sed plures concurrunt *differentiæ*, sub ratione *differentiarum*; vt sensibile, animatum, &c. respectu hominis *differentiæ* sunt, licet non *proximæ* sed *remotæ*, & *mediatæ*.

Ob. Albedo & nigredo concurrunt ad compositionem medij coloris; quatuor

elementa ad compositionem mixtorum corporum: (vt omnes *Physici* concedunt) ergo plures species conjungi possunt, ut tertia inde oriatur.

Sol. Cõcurrunt in *individuo*, non autem in *specie*; non enim ex albedine et nigredine *universali*, rubedo oritur, sed ex *singularis* albedinis, cum *singulari* nigredine temperamento, medius resultat color; & sic dicendum est de elementis.

Comparatio sexta differentiæ, & proprij.

SECT. 1.

In qua communitates &, differentiæ, proprii, & differentiæ recensentur.

Comparatio differẽtiæ, & proprij consistit ex

- *Cõmunitatibus duabus*, altera quoad
  - 1. *Æqualitatem prædicandi*: quia & differentia, & proprium *æqualiter* prædicantur de suis subjectis.
  - 2. *Vniversalitatem conveniendi* duplicem; alteram ex parte *subiectorum*, quia utrumq; omnibus convenit, quæ sub primario suo subjecto continentur: alteram ex parte *temporis*; quia illis *semper* convenit.
- *Differentiis duabus*, altera quoad
  - 1. *Ambitum prædicandi*; quia differentia de *pluribus* speciebus prædicatur, proprium de *vnica* sõlum specie.
  - 2. *Rationem convertendi*, quia proprium de specie prędicatur *conversim*, non verò differentia.

SECT. 2.

In qua communitates explicantur.

Com. 1. Prima cõmunitas *quoad æqualitatem participationis*, (quia æqualiter conveniunt subjectis suis) satis manifesta est, vt rationale

nale de omnibus hominibus. Rhinnibile de omnibus equis: *æqualiter*, non respectu *ordinis*, quia *prius* prædicari potest de vno, *posterius* de altero, sicut existunt; sed *æqualiter* respectu *gradus* aut *intentionis*, quia non *intensius*, & *magis* de vno, *remissius* & *minus* de altero, sed pari gradu de omnibus enunciatur, vt vnus homo non est *magis* rationalis, & *minus* risibilis altero: quod autem alij homines sunt alijs intelligentiores. (cùm intelligentia sit actus rationis,) hoc non est ratione *principii* intelligendum, nimirùm animæ rationalis, sed ratione *dispositionis* ejus in corpore.

Clara resp. Rationale consideratur bifariam.
1. Quoad *essentiam*, & sic omnibus *æquè* convenit.
2. Quoad *vim* & *modum operandi*, nempe intelligendi: & sic (si consideretur ex parte *animæ* à qua pendet, vt *principio*) est *æqualis*, si ex parte *corporis*, à quo pendet, vt *medio*, seu *instrumento*, (sicut est in vno corpore quam in alio melior ad intelligendum dispositio) est *inæqualis*.

Ob. At vnus homo propensior est ad ridendum altero naturâ, vt in sanguineis temperaturis videmus, qui vt magis hilares, ita magis ridibundi sunt.

Sol. 1. Dicendum est quòd in homine duo spectantur,
1. *Constitutio naturæ*, quæ in compositione essentialium *principiorum* consistit.
2. *Complexio naturæ*, quæ in proportione primarum qualitatum, convenit suæ formæ; si de natura loquamur quoad *constitutionem*. i. quoad *essentiam* ipsam: sic naturâ omnes *æquè* sunt risibiles, (sicut æqualis omnibus est essentia hominis) at si de eâ loquamur, quoad *complexionem*, i. quoad ipsam naturalem hominis *temperaturam*: sic vnus homo est *magis* risibilis altero, quia complexio vnum hominem propensiorem reddit ad ridendum, altero.

Sol. 2. Vel dicendum est quod ridendi facultas consideratur, vel vt ex *anima* fluit, & sic est *æqualis*; vel vt recipitur in *corpus*, & sic ex parte *dispositionis*, est *inæqualis*; licet ex parte *animæ* sit omnibus *æqualis*.

Secunda etiam communitas quoad *vniversalitatem & perpetuitatem conveniendi* (, quia vtrumq; convenit omnibus & semper) est facilis intellectu; nam conveniunt omnibus, quæ sub primario suo subjecto con-

continentur, vt primarium subjectum risibilis est homo, ergo risibile convenit omnibus, quæ continentur sub homine; similis autem ratio est in cæteris. (semper) non *absolutè*, vt totam *temporis* durationem designat, sed *hypothetice*, quamdiu ipsa *subiecta* existunt, hoc est, vt *subiecti* durationem denotant; (semper) conveniunt propria & differentiæ quoad *originem*, non quoad *affectionem*; quia licet homo non semper rideat, aut vtatur ratione; principium tamen possidet vnde possit id facere.

SECT. 3.

De intellectu Differentiarum.

Diff. 1. Differentia prima quoad *amplitudinem*, quia (Differentia de pluribus prædicatur speciebus, proprium de vna sola) intelligitur de differentia *generica*, & proprio *specifico*, i. differentia generica prædicatur de pluribus *infimis* speciebus, vt sensibile de homine, et bruto, licet *proximè* prædicatur de vna solum interjecta: vt sensibile. at proprium *specificum*, de vna sola infima specie quovismodo prædicatur.

Hic (vt supra annotatum est) per (Deum) cœlum intelligitur; quod per aliquam divinæ efficaciæ *participationem*, (Deus) appellatur; et *Platoni*, et *Porphyrio*, et *Aristoteli*; vbi enim in *Aristotele* legitur, quinto Top. capite 10. textu 2. (Deum) *animal rationale esse*, per (Deum) cœlum intelligite; quòd *Aristoteles* in exemplis interdum imitatur *Platonem*; nominatur (Deus) non *naturâ*, sed *participatione*, quod quidem animal rationale est, non propter *intrinsecam* vnionem animæ rationalis; sicut homo, cujus anima informat ejus corpus; sed propter *extrinsecam* vnionem intellectualis naturæ, i. intelligentiæ, à quâ movetur, quatenus orbi assistit, viventisque denominationem illi præbet.

Diff. 2. Differentia secunda respectu *conversionis* (quia proprium convertitur cum suâ specie, differentia autem non convertitur) similiter de differentia *generica*, et proprio *specifico* intelligitur, i. proprium cum specie vnâ *infima* convertitur, differentia autem *generica* licet convertatur cum aliqua specie *interiecta*, tamen cum *infima* specie non convertitur, sed est eâ latior.

Differentia est consequens respectu speciei, hoc est in ordine *argumentationis*, non *naturæ*; quia specie positâ, differentia consequenter ponitur; vt si homo est, necesse est, vt rationalis sit.

Ob. At quare *Porphyrius* differentias generica accipit, & propria, non generica, sed specifica?

Sol. Quia in lucidis & claris exemplis versari voluit *Porphyrius*; jam verò inter differentias, *generica* notior est *specifica*; inter propria, *specificum* est notius *genericum*, plures enim *genericas* quam *specificas* differentias cognoscimus, plura autem propria *specifica*, quam *generica*.

Comparatio septima, differentiæ, & accidentis.

SECT. 1.

De differentiarum, & communitatum enumeratione.

Comparatio hęc consistit in recensione partim

- *Communitatum*, quæ duæ sunt: altera
  - 1. *Indefinita*: quæ convenit cum *quovis* accidente vniversali; nempe de pluribus prædicari.
  - 2. *Definita*, quę convenit solũ cum accidente *inseparabili*, quoad perpetuitatem, & vniuersalitatem convenientiæ; quia vtrumq; *semper* & *omnibus* convenit.
- *Differentiarum*, quæ sunt tres, altera quoad
  - 1. *Continentiam*, quia differentia continet species, non continetur; accidentia aliquo modo cõtinent, aliquo modo cõtinẽtur à subjectis.
  - 2. *Mutationem gradus*; quia accidens intendi potest & remitti, differentia essentialis non potest.
  - 3. *Modum compositionis*; quia contraria accidentia misceri inter se possunt: at contrariæ differentiæ non possunt.

SECT. 2.

In quâ communitates explicantur.

Prima communitas per se manifesta est.

Secunda communitas specialis est, intercedens inter differentiam, &

& accidens solum *inseparabile*: quod utrumq; *omnibus*, & *semper* convenit, (*omnibus*) i. omnibus individuis, quæ sub ea specie continentur cui conveniunt; ut nigredo omni corvo, calor omni igni.

Ob. Sed quædam obsistunt difficultates, primò quia curvitas est accidens *inseparabile* respectu nasi simi, glaucedo respectu oculorum. nec tamen omnis nasus est simus, nec omnis oculus glaucus, ergo non convenit omnibus.

Sol. Accidentia alia sunt

1. *Materialia*, quæ materiam rei sequuntur, & hæc sunt duplicia
   1. Alia, quæ ipsam materiæ *naturam* sequuntur, vt quantitas.
   2. Alia, quæ eam sequuntur prout *ab extrinseco agente* disponitur.
2. *Formalia*, quæ nempe aut formam sequuntur vt *causam*, sicut propriæ passiones, vel ab eâ determinantur, ipsamq; comitantur, vt calor ignis, albedo cygni; nam licet ignis forma non efficiat eum calorem qui in igne est, eum tamen exigit tanquam *instrumentum* actionis suæ; licet forma cygni non producat albedinem quæ est in cygno, eam tamen requirit vt *ornamentum* & *comitem* naturæ suæ; accidentia autem quæ formam non *determinant*, vt simitas in naso, & glaucedo in oculo, & quæ a contingenti dispositione agentis proveniunt, non necesse est omnibus convenire.

Ob. Substantiæ sunt priores omnibus alijs tempore, ut docet *Aristoteles* 7. Metaph. textu 4. ergo accidentibus, ergo accidentia inseparabilia non conveniunt semper.

Sol. Dicendum substantiam esse priorem omnibus suis accidentibus non *absolutè* & secundum *se totam*, sed secundum *materiam* hæc enim antecedit omnia accidentia compositi, tempore.

Ob. Frigus accidens inseparabile est aquæ, cum non minus necessariò & naturalitèr ratione formæ ei convenit, quam calor igni, vt (omnibus *Physicis* notum est) & *Aristoteles* affirmat, nec tamen aquæ semper convenit.

Sol. Dicendum est quod licet frigus quoad *actualem præsentiam*, *inharentiamq;* ab aqua separari potest, tamen quoad *naturalem præsentiam* non potest; aquæ enim *naturalitèr* semper adest, atq; aqua dum in naturali suo statu remanet, semper frigus possidet: licet *actu* interdum, aut *violentèr* ab ea separatur.

Ob. Albedo respectu cygni, est accidens inseparabile, nec tamen semper cygno convenit, (vt per se manifestum est,) dum enim adolescunt, non sunt albi, sed vergunt ad nigrum, aut cinericium colorem; ergo non convenit semper.

Sol. 1. Dicendum est accidens inseparabile (semper) inesse, bifariam intelligitur,

1. Respectu *totius durationis subiecti*, et sic non est intelligendum.

2. Respectu *perfecti status subiecti*, et sic quidem (semper) convenit: in perfecta enim ætate albedo cygno, nigredo corvo semper adsunt.

Sol. 2. Veldicendum quod convenit (semper) non *simpliciter*, sed *Hypothetice*, supposita scilicet inhærentia, i. quamprimum accidens *inseparabile* inhæserit subjecto, nunquam ab eo removetur, sed ei *inseparabiliter* inhæret.

Sol, 3. Vel respondete quod convenit (semper) quoad *causam*, licet non quoad inhærendi *actum*: i. subiectum habet in se causam *inseparabilis* accidentis: licet non possit producere ipsum accidens, ratione defectus debitæ perfectionis in subjecto.

Quocirca in hoc loco, non quævis *inseparabilia* accidentia intelliguntur, sed *naturalia*, i. quæ natura subjecti exigit, vel ut *instrumentum*, vel ut *ornamentum* suum: hæc enim conveniunt omnibus, respectu quorum inseparabilia sunt (semper) i. semper dum in *naturali* statu sunt, et *perfecto*, vel (semper) quoad *causam* et *inclinationem*, licet non quoad inhærendi *actum*, licet enim *actus* aliquando non afficiat subjectum, ut albedo in cygno juvenescente, vel interdum deficiat à subjecto, ut frigus in aqua; est tamen semper in subjecto *causa* vel *producendi*, vel *reducendi* hæc accidentia.

SECT. 3.

In qua differentiæ exponuntur.

Differentia prima est, quoad *continendi modum*: quia differentia species continet, non autem ab ijs continetur, accidentia partim continent sua subiecta, partim ab ijs continentur.

Observandum primò quod per differentiam: differentiam *generi-*

ricam

cam intelligit, ut sensibile hominem, et brutum continet.

Secundo, notandum, (ut hæc melius intelligantur) duplicem esse continentiam, alteram

1. Quoad *ambitum*, sic id quod majus est, et *vniversale*, id quod minus est, et *particulare* continet: ut homo, *Socratem*.

2. Quoad *vim* et *efficaciam* essendi, sive secundum *totum*, sive *partem*: sicut effectus continetur à sua causa, à qua recipit essentiam, vel existentiam: species continetur à suo genere; et differentia, ut homo ab animali, et sensibili vtroq; modo, cùm genus communius eo sit, et ejus causa: species à proxima sua differentia, posteriori solum modo (cum ea speciei naturam tribuit; sed ea latius non pateat.) denique ab accidentibus continetur, priori tantum modo, cum latius ea patere possunt, quam species, sed nullo modo causæ sunt essendi ipsi speciei.

Accidentia ergo partim *continent* speciem aliquam; i. ea latiùs patent, quia in diversis speciebus esse possunt, vt nigredo non in corvo tantum, sed etiam in *Æthiope*, & carbone est; & partim ab ea specie *continentur* (si amplitudinem subjectionis respicias) quatenus eadem species plura intra se accidentia complectitur, ut nigredinem corvus, calorem, humorem, quantitatem, &c.

Differentia secunda est quoad *gradus intentionem*, quia accidentia intenduntur & remittuntur, i. suscipiunt magis & minus. Differentia clara est si de quibusdam, sed non de omnibus intelligatur, vt de differentia maximè propria, & essentiali, nam reliquæ differentiæ intendi et remitti possunt, vt docet *Porphyrius* in capite de differentia, text. 11.

Ob. Aliquæ magis differunt essentialitèr quam alia, ut quæ differunt genere, magis differunt quoad essentiam, quam quæ differunt solùm specie; ergo essentialis differentia magis & minus capit.

Sol. Differentia sumitur vel pro

1. *Distinctione ipsâ*, aut discrimine rerum.

2. *Formâ*, quæ est hujus distinctionis principium: *priori* modo essentialis differentia suscipit *magis & minus*, quia maior est rerum diversitas, seu discrimen, quòd à generica differentia, quam quòd à specifica provenit: *posteriori* modo non admittit *magis*

gis aut *minus*, quia ea forma quæ discrepantiam hanc facit inter res, omnibus suis subjectis cõvenit *æquè*; ut rationale omnibus hominibus.

Diff. 3. Differentia tertia est, quoad *coniunctionẽ*, quia contraria accidẽtia permisceri possunt, simulq; in unam tertiam naturam coalescere; ut calor friguſq; in tepente aqua; at differentiæ permisceri non possunt, ut rationale, & irrationale.

Ob. Contraria eidem subjecto successivè insunt, at differentiæ diversæ non possunt eidem inesse, ergo differentiæ non sunt contrariæ.

Sol. Contraria sunt alia quoad
1. *Inhærentiam*; quæ ex eodem subjecto mutuo se expellunt. sic accidentia (non differentiæ) sunt contraria
2. *Divisionem*, quæ idem genus è regione dividunt, & sic differentiæ contradivisæ, ut rationale & irrationale sunt contraria.

Ob. Si contraria accidentia (vt albedo & nigredo) misceantur tum eorum quoq; differentiæ, (cum enim species ex genere & differentia consistant, differentia autem essentialis à specie separari non potest) necesse est ut cum misceantur res, misceantur etiam differentiæ.

Sol. Miscentur aliquæ dupliciter, vel
1. *Per se*, sic solum contraria accidentia.
2. *Per accidens*, sic contrariorum accidentium differentiæ miscentur, ratione scilicet ipsorum accidentium.

Sol. 2. Vel dicendum est, quod species considerantur bifariam, aut vt sunt in (esse)
1. *Liberè* et *perfectè*, i. ut *per se* separatæ considerantur, non verò ut in altera natura.
2. *Ligatè*, et *imperfectè*, i. ut in aliena natura inveniuntur remissæ & retusæ: *priori* modo verũ est albedinẽ, nigredinẽq; sine suis essentialibus differentiis consistere non posse, at si considerentur quatenus miscentur, sine ijs esse possunt, tum siquidem amittunt specierum naturam, & medij coloris partes fiunt.

Ob. 1. Quæ inter se miscentur, inter se conveniunt, quia simul sunt: contraria vero inter se non conveniunt, cùm maximè differant, (Deſiniente *Aristotele*) 5. Metaph. textu 16.

Ob. 2. Quæ miscentur necessario sunt simul in eodem subjecto, (nam quæ sunt in diversis subjectis, dum in ijs maneant, non miscentur,) at contraria in eodem subiecto simul non possunt esse, ergo.

Sol. Contraria considerantur quoad
1. *Gradum intensum*, ut perfecta sunt, ut in igne calor: albor in cygno.
2. *Gradum remissum*, vt sunt imperfecta, vt in tepida aqua calor, &c: *priori* modo non possunt contraria simul

simul in eodem esse, i. vt ambo intensa & perfecta sunt, at *posteriori* modo simul in eodem subjecto esse possunt, vt cum remisso calore in aqua tepida consistere necesse est temperatum frigus: *priori* itaque modo maximè differunt, & mutuo se expellunt ex suis subjectis, *posteriori* modo conveniunt.

Ob. At inquies non sunt contraiæ differentiæ in eodem genere simul, vt rationale, & irrationale in animali?

Sol. Respondeo esse quidem in genere, sed non vt in *subiecto*, aut per *mixtionem*, sed solum vt in *principio*, & per *eminentiam*; quatenus ex genere, (vt ex fonte) profluunt; sunt ergo simul in genere, sed *potentiâ* simul, non *actu*, aut permixione in actuali consistentia, in eodem subjecto.

Comparatio octava speciei, & proprij.

SECT. 1.

In quâ communitates, & differentiæ recensentur.

Hæc comparatio cõsistit ex

- *Communitatibus* duabus, altera, quoad
  - 1 *Conversionem*, quia species & proprium inter se convertuntur.
  - 2 *Æqualitatem participationis*, quia vtrumq; *æqualiter* inest suis individuis.
- *Differentiis* quatuor, altera quoad
  - 1 *Mutationem habitudinis*, quia species aliorum genus esse possit, proprium aliorum proprium esse non potest.
  - 2 *Ordinem naturæ*, quia species prior est; proprium posterius.
  - 3 *Modum ineſſendi subiectis*, quia species inest *actu*, proprium interdum *potentia* solum inest.
  - 4 *Definitionem*, quia species, & proprium diversas habent definitiones.

Com. 1. Prima communitas est, quoad *conversionem*, quod mutuò prædicantur de se invicem proprium & species, i. de se invicem *universaliter* enunciantur; vt equus, & hinnibile, omnis enim equus est hinnibilis, & omne hinnibile est equus.

In conversione duo spectantur
1 *Mutuitas prædicandi*, quæ consistit in communitate terminorum in propositione.
2 *Modus prædicandi*: quoad priorem species & proprium conveniunt; quia & species de proprio, & proprium de specie vniversalitèr prædicantur; sed quoad posteriorem differunt, quia proprium de specie *directè*, at species de proprio *indirectè* prædicatur.

Ob. Quicquid convertitur est aut definitio, aut proprium, ergo species non convertitur. 1. Top. cap. 7,

Sol. 1. (Quicquid convertitur,) i. quicquid convertitur cum specie, est aut definitio, aut proprium, cum enim dicatur definitio converti, oportet aliquod supponere subjectum cum quo convertatur.

Sol. 2. (Quicquid convertitur) non *simplicitèr*, sed quicquid è quatuor prædicatis *topicis* convertitur; est definitio, aut proprium; species autem, nullum est ex ijs, sed est omnium subjectum.

Sol. 3. (Quicquid convertitur,) & inter conversionem *directè* de eo prædicatur, cum quo convertitur; est definitio, aut proprium: at species de ijs quibuscum convertitur *indirectè* prædicatur.

Com. 2. Communitas secunda est, *quoad æqualitatem participationis*; quia & species *æqualitèr* de suis individuis prædicatur, vt equus de hoc, & illo equo; & etiam proprium, vt hinnibile, de singularibus equis; nullus enim equus est *magis* equus altero, nec *magis* hinnibilis.

SECT. 3.
In quâ differentiæ dilucidantur.

Diff. 1. Discrepantia prima est quoad *habitudinem*, vel potius quoad *extensionem*; quia species aliorum genus esse potest; at proprium, aliorum, i. diversarum specierum esse non potest, cum sit peculiare vnius speciei; in quâ differentiâ; per *speciem* intelligite speciem interjectam: quæ (vt supra diximus) non solum species, verumetiam genus est, per *proprium* autem (quod semper intelligitur à *Porphyrio*) proprium *specificum*; quod scilicet infimæ speciei peculiare est.

Diff. 2. Discrimen secundum est quoad *ordinem naturæ*: quia species antè subsistit quam proprium, proprium deinde adnascitur; quod facile est, si intelligatur non de *temporis*, sed de *naturæ* ordine; quia species efficiens est causa proprij.

Ob. A priori ad posterius non sequitur essendi consequentia, vt

Aristoteles

Aristoteles docet in cap. de modis prioris, text. 2. at à specie ad proprium sequitur; vt homo est ergo risibilis est, ergo, species non est prior.

Sol. Species consideratur, aut quoad
- *Essentiam*, & sic species *prior* est proprio.
- *Existentiam*, & sic cum eo *simul* est: quocirca à specie ad proprium, sequitur essendi consequentia; verum à proprio, ad speciem non sequitur *essendi* consequentia, sed subsistendi.

Ob. At quæ convertuntur simul naturâ sunt; vt *Aristoteles* affirmat cap. de modis simul, text. 5. species autem & proprium convertuntur, ergo simul sunt.

Sol. 1. Verum est, si vnum non sit causa alterius, (nam ea pars definitionis est) nec ambo effectus ejusdem tertij; at homo est causa risibilis; & sic species proprij,

Sol. 3. Conversio duplex est,
1. In *rebus absolutis*, quæ in *rectis* casibus exercetur, sicut proprium convertitur cum specie: vt, omnis homo est risibilis; & è contra.
2. In *relativis*, quæ in *obliquis* casibus exercetur, vt omnis pater est filij pater, & omnis filius est patris filius; quæ *posteriori* modo convertuntur, sunt simul naturâ, non quæ *priori*.

Diff. 3. Differentia tertia est, quoad *modum inessendi in suis subiectis*, quia species semper *actu* inest in suis individuis, at proprium *potentia* quidem *semper*, sed *actu interdum* solummodò inest; (species semper inest in individuis *actu*,) i. actu *constitutionis*, quia semper individuorum naturam actu *constituit*.

Ob. Homo semper est actu risibilis, nam aliter non habet actu ridendi facultatem semper; ergo discrimen nullum est intra speciem, & proprium.

Sol. 1. Respondent vulgo per proprium, *actum* proprij intelligendum esse; vt non risibile, sed risum; idque non semper *actu*, sed potentia solum interdum convenit, quam fatuè: cum actus proprij accidens sit; non ergo *Porphyrius* inter speciem & proprium, sed inter speciem & accidens discrimen posuit.

Sol. 2. Proprij duplex actus est,
- *Primus*, qui actus *naturæ* est.
- *Secundus*, qui est actus *operationis*: proprium ergo quoad *priorem* actum *semper* inest individuis suis; vt risibilitas (quæ nihil aliud est quam facultas ridendi) *semper* est in singulari quovis homine, at quoad

posteriorem non *semper* est, i. ea facultas in quovis individuo, non semper in actum reducitur.

Proprium non semper inest actu, hoc est non est semper cum suo actu, id est operatione.

Diff. 4. Discrimen quartum, quoad definitionem supra manifestum est.

Comparatio nona speciei, & accidentis.

SECT. 1.

In quâ communitates, & differentiæ recensentur.

Comparatio consistit in
- *Communitate vnica,*
  - 1 Quoad *vniversalitatem,* quia vtrumque prædicatur de pluribus.
- *Differentiis* quatuor, altera est quoad
  - 1 *Modum prædicandi,* quia species in *quid,* accidens in *quale* prædicatur.
  - 2 *Vnitatem,* quia vnius rei vnica est species, sed multa accidentia.
  - 3 *Ordinem,* quia species intelliguntur, priusquam accidentia.
  - 4 *Communicationem,* quia species subjectis suis *æqualitèr,* accidens vero *inæqualitèr* participatur.

SECT. 2.

In qua communitas explicatur.

Vnicam assignat *Porphyrius* speciei cum accidente convenientiam, eamque omnibus communem, scil. de omnibus prædicari; deinde causam ostendit, quare vnam solùm communitatem assignat; quia raræ sunt inter subjectum & accidens, communitates, cum maximè distant.

Ob. Ea non maximè distant, quæ simul sunt; at accidens est simul cum subjecto, cum in eo sit; ergo accidens & subjectum maximè non distant.

Sol.

Sol. Distantia est duplex,
1 *Loci*, & quoad hanc penitus non *distant* subjectum & suum accidens.
2 *Naturæ*, & quoad hanc *distant* plurimum; cum quoad *essentiam* nulla ex parte conveniunt.

Ob. Quæ maximè sunt eadem non maximè differunt, at subjectum & accidens maximè sunt eadem, qui sunt eadem numero: quæ autem numero sunt eadem, maximè sunt eadem; vtraque propositio est *Aristotelis* 1. lib. Top. cap. 7. text. 5. & 8.

Sol. Aliqua sunt eadem numero, bifariàm,
1 *Internè*, & quoad *essentiam*, quæ eandem numero essentiam habent: vt ensis: & gladius, sic autem eadem numero sunt *maximè* eadem.
2 *Externè*, & *accidentaliter*, quæ in eodem numero subjecto adhærent; aut vnum est alterius subjectum; vt paries & color in pariete, (nam omnis numerica differentia accidentium est à subjecto) & sic quæ eadem numero sunt in *existentia*; in *essentia* maximè distare possunt.

SECT. 3.
De differentiarum explicatione.

Diff. 1. Differentia prima est, quoad *modum prædicandi*, quia species in *quid* prædicatur, accidens in *quale quid*; accidens prædicatur in quale quid, i. in quale est subjectum? *quid* enim hic *indefinitè* ponitur, vt idem valet quod aliquod subjectum, non *definitè* prout *essentiam* denotat: quod suprà notavimus tractatu 4. sectione 18.

Diff. 2. Differentia secunda est, quoad *vnitatem*, quia vnius rei, hoc est, vnius individui vna solum est species, vt homo *Socratis*: (nam licet plura superiora dicantur species aliquo respectu, i. respectu superiorum; sola tamen infima species sub *habitudine speciei*, de individuis dicitur: reliqua vero intercedentia, licet dicantur species, ad individua tamen relata nomen generis subeunt;) at vnius individui plura accidentia esse possunt: vt, in *Socrate*, calor, humor, quantitas.

Ob. Sed dubitatio hic oritur: quod subjectum dicitur participare plura accidentia; nam *participare est participati nomen & definitionem suscipere*, vt docet *Aristoteles*, 4. Topic. cap. 1. text. 6. at subjectum non capit definitionem vllius accidentis.

Sol. Dicendum duplicem esse *participationem*, altera est,

1 *Essentialis*, quâ aliquid alterius rationem, tanquam suam essentiam *participat*; & in eo sensu *Aristoteles* negat subjectum sui accidentis rationem *participare*, quia ratio accidentis est non minus extrinseca (si essentiam subjecti respicias) quam ipsum accidens.

2 *Accidentalis*, quâ aliquid alterius rationem *participat*, sed præter suam essentiam & *accidentaliter*, in eo respectu verè potest subjectum accidens *participare*.

Diff. 3. Differentia tertia est, quoad *ordinem intelligendi*, quia species priùs intelliguntur, accidentia posterius: difficultas hic latet non exigua alibi dissolvenda, levis hic & facilis satisfaciat expositio; (species prius intelliguntur accidentibus,) i. species sunt *aptæ* sua natura prius intelligi, quam acccidentia; quamvis *actu* accidentia primò intelliguntur.

Intellectus bifariàm consideratur,

1 *Absolutè*, & quoad *nativam suam intelligendi facultatem*, quæ illi per se convenit.

2 *Determinatè*, quatenus cum sensibus conjunctus est, & eorum operationem, & ministerium præsupponit: *priori* modo intellectus intelligit id prius quod est naturâ prius: *posteriori* id prius intelligit quòd in suam cognitionem priùs per sensum incurrit: vnde eo modo species, hoc etiam modo, accidens priùs intelligitur.

Diff. 4. Differentia quarta, quoad *communicationem* est; quia species *æquè* omnibus suis individuis communicatur; at accidens *inæqualiter*, sive sit separabile, sive sit inseparabile: vt vnus homo est alio iracundior; corvus etiam magis niger *Æthiope*; quæ nihil difficultatis habet (si propositio particularitèr intelligatur,) non de vniversis accidentibus, sed de quibusdam tantùm.

Comparatio decima proprij, & accidentis.

SECT. 1.

In quâ communitates, & differentiæ recensentur.

Comparatio hæc conſiſtit in enumeratione,

Communitatum duarum: quarum altera eſt quoad

1 *Connexionem neceſſariam cum ſubiecto*, quod ſubjectum nec ſine proprio, nec ſine accidente inſeparabili conſiſtere poteſt.

2 *Perpetnitatem convenientiæ*, quia proprium & accidens inſeparabile, omnibus, & ſemper conveniunt ſubjectis ſuis.

Differentiarum trium, differunt enim quoad

1 *Appropriationem*, quia proprium vnius ſpeciei peculiare eſt, accidens in pluribus cernitur.

2 *Converſionem*, quia proprium cum ſuo ſubjecto convertitur, accidens vero non.

3 *Participationis modum*, quia proprium *æqualitèr* ſubjectis ſuis, ſed accidens *inæqualitèr*, alijs magis; alijs minus, convenit.

SECT. 2.

De communitatum explicatione.

Com. 1. *Ob.* In prima communitate, difficultas occurrit, nam accidens ſuprà definitum eſt, quod abeſſe poteſt à ſubjecto, ergo ſubjectum ſine omni accidente eſſe poteſt.

Sol. 1. Subjectum accidentis conſideratur aut ratione.

1 *Specificæ naturæ*, ſic omnia accidentia abeſſe poſſunt, quia ſpecies nulla accidentia ſibi determinat.

2 *Individualis naturæ*, & ſic quædam neceſſario ſubjectis conveniunt; priori modo in definitione accidentis; poſteriori in hac communitate intelligitur.

Sol. 2. Vel dicendum eſt quod *Porphyrius* hic, *abſolutè*, & *poſitivè*; ibi, *hypothetice* & *conditionalitèr* locutus eſt; hic enim affirmat ſubjectum non poſſe eſſe ſine quibuſdam accidentibus; ibi quod ſi abſunt, non ob hoc, eſſentia ſubjecti interit, non enim ibi dicit vniverſa accidentia abeſſe poſſe à ſubjectis, ſed abeſſe poſſe ſine corruptione ſubjecti;

subjecti; hoc est natura subjecti, non ita pendet ab illis accidentibus, quin ab eo abesse possunt, sine aliqua ejus læsione.

Sol. 3. *Consistere*, vel *subsistere*, denotat vel
1 *Essentiam*, & sic sine accidentibus subiecta *consistere* possunt.
2 *Existentiam*, & sic non possunt, licet enim nullo modo sint *causæ* existentiæ subiectis: (vt imperiti quidam philosophi sentiunt) sunt tamen eiusdem *comites* necessarii.

Com. 2. Secunda communitas est, quoad *perpetuam conuenientiam*: quia & proprium, & accidens inseparabile, omnibus conveniunt: hoc est omnibus individuis eiusdē speciei in quibus invenitur illud proprium, & accidens inseparabile. Hic autem notandum, non esse *indefinitas* has communitates cum accidente in *genere*, sed solum *definitas*, cum accidente *inseparabili*.

SECT. 3.

De differentiarum intellectu.

Diff. 1. Differentia prima quoad *appropriationem*, facilis est; quod proprium uni soli speciei convenit, si de proprio specifico intelligatur, vt risibile homini soli: accidens pluribus: vt, nigredo non solum corvo, sed carboni.

Diff. 2. Differentia secunda, quoad *reciprocationem*, æquè facilis est: proprium convertitur cum suo subiecto, accidens non convertitur; si de ea conversione intelligatur, quæ ratione *formæ* provenit, non *materiæ*; nam coloratum convertitur cum corpore; sed (vt supra notavimus) ratione *materiæ*, non ratione *formæ*; quæ propriæ passionis nota est peculiaris.

Diff. 3. Differentia tertia est, quoad *participandi modum*; quia proprium *æqualitèr* individuis suæ speciei convenit; accidens *inæqualitèr* secundum intentionem gradum, vni subjecto inhæret, quam alteri; quod de accidente, vt (supra dixi) *indefinitè* dictum, *particularitèr* intellectum esse oportet; de proprio dilucidū autem est, (si in eo *vim* & *facultatem*, non *actum* & *operationem* respiciatis) & in ipsa facultate, non tam *instrumentum*, quo actus exercetur; quam *originem*, à qua fluit, & *principium* à quo exercetur; illud enim *variè* temperari potest; hoc, in vniversis *æquè* paratum est (vt supra sæpè annotavimus.)

Hæc de Vniversalibus ampla satis tradidisse sufficiat; nec magis ampla corpore, quam vsu si perdiscantur; iam ad Prædicamenta linguam simul, & calamum transferemus; sed veterem linguam, novum calamum.

TRACTATVS OCTAVVS.

De Ante-prædicamentis.

SECT. 1.

De Ante-prædicamentis in genere.

Dicuntur Ante-prædicamenta ob duas causas, & propter

1. *Situm*, quia ab *Aristotele* præfiguntur prædicamentis.

2. *Ordinem cognitionis*, quia eorum cognitio necessariò est prior cognitione prædicamentorum, et ejus quasi vestibulum; licet enim in *rebus* ipsis prædicamentis nihil potest esse prius, in nostrâ tamen *cognitione* priora sunt hæc ante-prædicamenta, priora (inquam) non ordine *naturæ*, sed ordine *doctrina*; non in *constitutione*, sed in *cognitione*; non in ratione *essendi*, sed in ratione *discendi*.

Ob. Prædicamenta sunt prima rerum principia, sic enim vocantur à *Porphyrio* in cap. de specie, text. 32. at nihil potest esse prius principio; ergo nihil potest esse prius prædicamento.

Sol. Prædicamenta (capiendo ea pro summis generibus) dicuntur esse principia *constitutionis* rerum, ergò in *constitutione* nihil est prius; sed in *cognitione* non sunt principia, sed priora ijs sunt Ante-prædicamenta.

Ob. Principia sunt per se nota, & per se fidem efficiunt, 1 lib. Topic. cap. 1. text. 6. at prædicamenta sunt principia, ergo per se sunt nota, & per consequens ante-prædicamentis ad eorum cognitionem non est opus.

Principia sunt duplicia, alia
- 1. *Incomplexa*, ut prædicamenta, de quibus *Aristoteles* ibi non loquitur.
- 2. *Complexa*, ut propositiones generales, sicut est illa, Omne totũ est majus suâ parte & illa, Eadem res non potest simul esse & non esse, quæ vocantur ab *Aristotele* principia *demonstrationis*, & talia per se fidem trahunt, & talia non sunt prædicamenta.

Ante-prædicamentum est præambulum quoddam ad cognitionem prædicamentorum à priori, & immediatè conducens.

Dicitur (præambulum) respectu *positionis*, quia ab *Aristotele* præfigitur.

Dicitur (conducere) respectu *cognoscentis* cui est prædicamentis notius, licet in suâ naturâ ipsa sunt notissima.

Dicitur (immediatè) ratione *distinctionis* ejus à prædicabilibus, quæ licet ipsa conducunt ad cognitionem prædicamentorum, vt docet *Porphyrius* in proœmio suarum institutionum; tamen quia immediate non conducunt, non sunt Ante-prædicamenta.

Dicitur (à priori) ad excludendum post-prædicamenta, quæ quidem conducunt ad cognitionem prædicamentorum, sed a *posteriori*. In ante-prædicamentis enim explicantur *quæ* reponuntur in istis ordinibus; in post-prædicamentis non *quæ*, sed *qualia* sunt; in illis *natura*, in his verò *affectiones* & *passiones* explicantur.

Ante-prædicamenta alia sunt,
- 1. *Definitiones* tres,
  - 1. *Æquivocorum.*
  - 2. *Vnivocorum.*
  - 3. *Denominativorum.*
- 2. *Divisiones* duæ,
  - 1. *Vocum.*
  - 2. *Rerum.*
- 3. *Regulæ* duæ,
  - 1. De ijs quæ in *vno* genere continentur.
  - 2. De *iis* quæ in *diversis* collocantur.

SECT. 2.

SECT. 2.

De Ante-prædicamentis in ſpecie, & primò de Definitionibus.

Omnia decem Prædicamenta triplicitèr cõparantur,

1. Primò *ad ens*, cujus ſunt membra dividentia, & ſic eſt in ijs *æquivocatio*; dicitur enim ens de ijs *æquivocè*, vt dicit *Porphyrius* cap. de ſpecie, text. 32. & quia hæc eſt prima comparatio, primò ponuntur *Æquivoca.*

2. Ad *inferiora* eodem ordine, de quibus *vnivocè* prædicantur; & quia hæc eſt ſecunda comparatio, ideò ſecundò ponuntur *Vnivoca.*

3. *Inter ſe*, ſic quod novem poſteriora prædicamenta Subſtantiæ conferantur, de ſubſtantiâ enim illa omnia prædicantur *denominativè*, & quia illa eſt tertia comparatio, ergo tertiò *Denominativa* definiuntur.

SECT. 3.

Differentia inter Æquivoca, Multivoca, Diverſivoca, & Vnivoca.

Quia omnes res aut definitione *diſtinctè*, aut nomine *confuſe* declarantur, ex his duobus, ſcilicet, nomine & definitione, quatuor diverſitates naſcuntur, vel enim res,

1. Vnico nomine, & vnicâ definitione conveniunt, & hæc ſunt *Vnivoca.*

2. Vnicâ definitione, ſed varijs deſignantur nominibus, vt enſis & gladius, & hæc ſunt *Multivoca.*

3. Nec nomine, nec definitione, vt homo & albedo, & hæc *Diverſivoca* ſunt.

4. Vnico nomine, ſed varias habent definitiones, & hæc vocantur *Æquivoca.*

SECT. 4.
Distinctio Æquivocorum.

Æquivocum duplex

1. *Activum*, quod communitèr vocatur *Æquivocans.*

2. *Passivum*, quod nominatur *Æquivocatum*, inter illa hæc est differentia, quod *Æquivocans* est nomen commune, plures habens significationes, *Æquivocata* verò non sunt nomina, sed res participantes illud nomen commune, secundùm diversas rationes, vt hoc nomen (canis) est *æquivocans*, quia aliâ ratione significat canem piscem, aliâ canem domesticum; canis verò piscis, & domesticus sunt *æquivocata.*

SECT. 5.
Ordo Æquivocorum.

Æquivoca primo tractantur, vel

1. Quia *comparatio* prædicamentorum ad ens, respectu cujus sunt æquivoca, *prima est.*

2. Quia æquivoca sunt *simplicissima*, cum nomine solo conveniant.

3. Quia oportet prius cognoscere quæ *reiicienda* sunt à prædicamentis, quam quæ in ijs *reponenda.*

SECT. 6.
Definitio Æquivocorum.

Æquivoca dicuntur, quæ solùm nomen commune habent, definitionem autem secundùm illud nomen aliam atq; aliam; hic autem consideranda sunt *definitum*, & *definitionis partes.*

De *definito* primò considerandum est, quæ æquivoca hîc definiuntur:

tur: *Æquivocata* sc: quæ passiva diximus; nam ea sunt illæ res quæ commune nomen habent; *Æquivocantia* verò sunt, quæ non habent nomen commune, sed sunt ipsa nomina communia.

Secundò de eo notandum; quare definitur in plurali numero? quodcunq; hîc alij dicant, hâc ratione facillimè ejus causam reddere possum, si dixerim æquivocatum habere duplicem relationem, alteram *suppositionis* ad æquivocans, alteram *æquiparantiæ* ad aliud eodem nomine *æquivocatum*; non enim piscis marinus *æquivocum* ad hoc nomen canis dicitur, nisi per respectum ad canem latrabilem, quæ sunt duo *æquivocata*; hæc autem duplex relatio patet resolvendo nomen *æquivocatum*; quod dicitur quasi *æquè vocatum*. ratione primæ particulæ; dicitur ad aliud, quod est æquè cum eo ratione secundæ; & idcirco propter relationem æquiparantiæ definiuntur in plurali numero.

In definitione autem tres sunt partes, quę omnes requiruntur ad rationem æquivocorum,

1. *Vnitas nominis*, in hoc, quod dicitur (æquivoca unum habere nomen.)
2. *Pluralitas significationis*, in hoc, quod dicitur habere (diversas definitiones.)
3. *Applicatio istius multiplicis significationis* ad unum nomen, in hoc quod dicitur (secundum illud nomen) non enim satis est quod habent unum nomen & diversas definitiones, nisi habent diversas definitiones (secundum illud nomen commune.

Vnde observandum, quod eadem respectu diversorum nominum *æquivoca* esse possunt & *vnivoca*; vt canis piscis, & canis domesticus sunt *vnivoca* respectu hujus nominis (animalis) quæ tàm in ejus definitione quàm nomine conveniunt: at vero respectu hujus nominis (canis) sunt *æquivoca*, quia in illo nomine diversas habent definitiones: (Æquivoca dicuntur) melius quam sunt, quia licet res sunt *æquivoca*, non tamen nisi in ordine ad vocem, & propter ambiguitatem vocis, cujus est (res *dicere*,) sicut est rei (*dici* per vocem.)

(Quorum nomen) Nomen hic ab *Aristotele* non sumitur sicut in cap. 2. lib. de Interpretatione prout distinguitur contra verbum, sed latiùs patet pro qualibet voce significante ad placitum.

(Solùm) non dicitur simpliciter ad excludendum orationem, sed contractiùs ad excludendum definitionem; cùm enim in æquivocorum ratione nomen solùm & definitio inveniantur, ipsorum duorum *nomen* solùm commune est, ipsa autem *definitio* non est communis.

(Commune eſt) commune hic non ſumitur pro vniverſali; nam nullum nomen æquivocum eſt vniverſale) ſed pro eo quod participatur multis; commune quoad *ſignificationem*, non *prædicationem*.

Eſt triplex participatio, alia
1. *Eſſentialis*; ſic ſolùm eſſentialia prædicata participantur; & ita definitur ab *Ariſtotele* 4. Topic. cap. 1. text. 6. *eſſe receptionem definitionis eius, quod communicatur*.
2. *Accidentalis*; ſicut dicit *Porphyrius* in communitatibus proprij & accidentis text. 6. proprium *æquè* participari, accidentia *non æquè*.
3. *Nominalis*; quæ eſt nominis communicatio; prima participatio eſt *vnivocorum*, ſecunda *denominativorum*, tertia *æquivocorum*.

(Definitio autem ſecundum illud nomen) per definitionem intelligite, definitionem non *nominis*, ſed *naturæ*: (alia atq; alia;) non dicitur (& non eadem) ſed alia atq; alia; ſubſtantiæ enim participant idem nomen alicujus accidentis, vt *Socrates* & *Plato* nomen colorati; nec habent nominis definitionem eandem, quia nullam ejus definitionem habent, tamen non ſunt *æquivoca*, ſed *denominatiua*, quia non participant aliam atq; aliam ejus definitionem.

Ob. Vitioſum eſt illud definiendi genus, ſi omnium eorum quæ ſunt nominis tantùm communis vna definitio ſtatuatur; at omnium æquivocorum hîc vna ſtatuitur definitio, quia definitio debet convenire omni, ergo eſt vitioſa: Major eſt *Ariſtotelis* 6 lib. Topic. cap. 5. in principio.

Sol. Definitio alia eſt,
1. *Realis*, quæ omnium realium æquivocorum non poteſt dari vna.
2. *Intentionalis*, qualis eſt iſta quæ hîc ſtatuitur, & talis omnium dari poteſt.

Ob. Omnia æquivoca conveniunt in nomine æquivocorum, & conveniunt in definitione iſti nomini attributa, ergo omnia æquivoca ſunt vnivoca, nam hîc definiuntur, ut ſunt æquivoca: nam ſi ut vnivoca tum bis definirentur, & tum vnivoca non haberent communem definitionem ſecundum idem nomen.

Sol. Nego argumentum; ad vnivocationem enim illud non ſufficit ut nomen habeant commune *intentionis*, ſed realis *eſſentiæ*; at vero hîc *æquinocis* realibus nihil communicatur præter *intentionis* definitionem: Nam ſicut apud *Porphyrium* definitiones generis, ſpeciei, differentiæ, &c. (intentionum) per ſe ſunt, & (*rerum*) non niſi vt partici-

ticipant *intentiones*, ita apud *Aristotelem*, definitio *æquiuocorum*, *uniuocorum*, *&c.* per se sunt (intentionum:) (rerum) autem non nisi vt istis omnibus subjiciuntur,

Ob. Vnius rei est tantum vna forma, sed significatio est forma nominis, ergo vnius nominis est vna solum significatio; ergo æquivocum nomen non habet plures significationes.

Sol. Forma vocis est duplex,

1. *Essentialis & interna*, quæ est *compositio* ex literis & syllabis, & unius rei talis est unica sola.

2. *Accidentalis & externa*, quæ est *significatio*: *significatio* enim vocum imponitur à voluntate hominum, & ad eorum placitum, vt *Aristoteles* affirmat in principio lib. de Interpret. nec à naturâ voces aliquid significant, & talis potest esse multiplex.

SECT. 7.

Diuisio Æquiuocorum.

Æquivoca sunt duplicia, aut scilicet

1. *A casu*, quæ æquè primo eodem nomine diversis rationibus significantur, vt canis marinus, & terrestris respectu hujus nominis (canis;) & dicuntur *casu* æquivoca, quia (*casu*) idem nomen recipiunt, & non propter ordinem vnius ad alterum.

2. *A consilio*, quæ quidem significantur eodem nomine secundum diversas rationes; vnum tamen *prius*, alterum *posterius*, et vnum propter respectum ad alterum: vt homo vivus, et homo pictus, respectu hujus nominis (homo:) nam *pictus* appellatur homo solùm propter quandam similitudinem delineationis quam habet ad hominem *viuum*; ista propriè *Æquivoca*, hæc vero propriè *Analoga* appellantur.

Notan-

Notandum tamen quod omnis analogia non tollit vnivocationem, nec æquivocationem inducit; vnde obſervandum quod triplex eſt analogia, alia enim eſt

1. *Ordinis ſolius*, quando (ſcilicet) vnum participat ipſum nomen *prius* quàm alterum, tamen ſecundùm eandem rationem, & hâc ratione binarius & ternarius numerus ſunt *analogi* numeri, quia binarius prior eſt, licet vterque eandem habet numeri definitionem.

2. *Dignitatis ſolius*, quando (ſcilicet) unum membrnm dividens eſt altero *dignius*, & talis analogia, in omnibus ferè generibus reperitur, ſic homo & brutum ſunt *analoga* animalis, quia homo eſt nobilior bruto.

3. *Significationis*, quando (ſcilicet) duo diverſa eodem nomine ſecundum diverſas rationes ſignificantur, alterum tamen prius, alterum poſterius, & unum propter quendam ordinem quem habet & relationem ad alterum, ſicut in ſuperiori diviſione dictum eſt.

SECT. 8.

De vſu Æquivocorum, & fine iſtius tractatus.

Vſus Æquivocorum eſt duplex, ſcilicet

1. *Reiectio* iſtorum à prædicamentis, non autem poſſumus ea rejicere, niſi cognoſceremus, quæcunq; enim reponuntur in prædicamentis, ſunt *vnivoca*.

2. *Cognitio* facilior *vnivocorum*, quia oppoſita juxtà ſe poſita magis eluceſcunt, & quia unum oppoſitorum quodammodo alterum definit, vt inquit *Ariſtoteles* 6. lib. Topic. cap. 4. text. 13.

SECT. 1.

De vnivocis, & primò de eorum distinctione.

Vnivoca sunt duplicia, alia namque sunt

1 *Grammatica*, cùm plura nomina vnam rem significant.

2 *Dialectica*, cũ vno nomine multæ res significantur, sunt autem *Dialecticorum* alia

1 *Activa*, quæ vocantur *vnivocantia*, quæ sunt ipsa nomina plures res significantia, secundùm eandem rationem, vt homo dicitur *vnivocum* respectu *Socratis* & *Platonis*.

2 *Passiva* seu *vnivocata* quæ sunt ipsæ res diversæ ab eodem nomine significatæ secundùm eandem rationem, vt *Socrates* & *Plato* respectu hominis, vterq; enim habet nomen hominis & eandem ejus definitionem; est enim vterque animal rationale, vnde *vnivocum vnivocans* nihil aliud est quàm simplex essentiale prædicatum, & *vnivocatum* quàm subjectum.

SECT. 2.

Distinctio inter (vnivocè prædicari) ut sumitur à Porphyrio, *& ut ab* Aristotele *sumitur.*

Vnivocum sumitur duplicitèr

1 Pro eo quod affirmatur secundùm nomen suum, & definitionem *suam* de subiecto, siue illa definitio sit definitio subiecti vel prædicati solùm, & sic dicuntur proprium & accidens in concreto affirmari de subiectis *vnivocè*, i. secundùm nomen & definitionem suam; nam de quocunq; dicitur aliquod nomen, de eo etiam dicitur ejus definitio, quia de quocunque definitum de eodem etiam definitio enunciatur, & sic risibile & album prædicantur de *Socrate* secundùm definitionem albi & risibilis, & sic capitur vnivocum apud *Porphyrium*.

2 Pro eo quod affirmatur secundùm nomen & definitionem non suam solius sed *subiecti* etiam, & sic propria

& accidentia *vnivocè* dici non possunt, quia licet album & risibile affirmantur de *Socrate* secundùm definitionem albi, & secundùm definitionem risibilis, tamen non secundùm definitionem *Socratis*, quia definitio risibilis & albi est æquè accidentalis & externa *Socrati*, atq; est ipsum album & risibile; at verò animal dicitur de *Socrate* non solùm secundùm rationem, & essentiam, & definitionem animalis, verum etiam ipsius *Socratis*; idem judicium est de specie & differentiâ, vt rationale dicitur de homine non solùm secundùm definitionem suam, sed etiam definitionem hominis, & homo de *Socrate* & *Platone* non solùm secundùm definitionem suam, sed etiam *Socratis*, quia animal rationale non est minus de essentiâ *Socratis* quàm hominis, & hoc modo capitur vnivocum ab *Aristotele*, & hæc distinctio est notatu dignissima.

SECT. 3.

Definitio Vnivocorum & eius explicatio.

Vnivoca sunt quæ habent idem nomen, & eandem seu communem definitionem secundùm illud nomen; In hâc autem definitione observanda sunt tàm *definitum* ipsum, quàm *partes definitionis*.

Definitum sunt non vnivoca *vnivocantia* (nam illa non habent nomen commune) sed sunt ipsa nomina communia, quæ de diversis rebus secundùm eandem definitionem affirmantur; (vt dictum est;) sed *vnivocata*, nam illa sunt quæ habent idem nomen, vt *Socrates* & *Plato* respectu hominis; cujus habent tum idem nomen (ambo enim homines dicuntur) tum eandem rationem secundùm illud nomen, quia ambo secundùm quod sunt homines, sunt animalia rationalia: Definiuntur autem in plurali numero propter rationem assignatam in Æquivocis.

Notandum quòd vnivocorum definitio ex

1 *Vnitas nominis*, vnde si idem nomen non habent, vnivoca nullo modo esse possunt.

2 *Vnitas definitionis*, vnde si in vnicâ definitione non conveniant, non sunt vnivoca.

3 *Applicatio vnius ad alterum*, sic quòd habent vnam definitionem secundùm vnum nomen: nam non satis est vt, homo & bestia vnivoca sint animalis, quia habent

tribus constat partibus, tria ergò ad eorum rationem requiruntur, scil.

habent c[illegible]mmune ejus nomen, nec etiam quod habent communem ejus definitionem, sed vt sint ejus vnivoca, requiritur, vt communem ejus definitionem habeant, (hoc est) secundùm idem nomen (animalis;) nam sic canis piscis, & canis terrestris habent nomen commune canis, [illegible]aliquam etiam communem definitionem, scil. corporis au[illegible]s, sed quia non habent communem alig[illegible]ionem secundùm nomen *Canis*, ideò no[illegible]

(Vnivoca sunt) sci[illegible]ata, (quæ habent communes) id est, idem & commune per *essentialem participationem*, & non solùm *ambiguam significationem*, vt æquivoca.

(Nomen) id est, vocem, siuè n[illegible]de verb[illegible] id est, quandam appellationem.

(Et communem definitio[illegible]cet essentialem, in his quæ essentialem habent; in ijs autem quæ essentialem non habent, talem qualem habent, i. essentialem conceptum, seu essentialem significationem; eamque definitionem oportet esse non modò *vnivocantis* & prædicati, sed *vnivocati* & subjecti.

(Secundùm illud nomen) id est, vnivocantis, nam (vt dictum est) possunt eadem respectu diversorum nominum æquivoca esse & vnivoca.

Ob. Summa genera sunt vnivoca, alitèr non ponerentur in prædicamentis, nec tamen habent aliquod commune nomen, & communem definitionem essentiæ, secundùm illud nomen, ergò omnia vnivoca in hâc definitione non continentur.

Sol. Sunt *vnivocantia* respectu inferiorum suorum, non vnivoca *vnivocata* quæ hic definiuntur.

Notandum autem quod in omni serie prædicamentali sunt tria vniuoca, scil.

1 *Vnivocantia tantùm*, vt summa genera, illa enim tribuunt & nomen & definitionem secundùm illud nomen inferioribus, at à nullo superiori recipiunt.

2 *Vnivocata tantùm*, vt individua quæ recipiunt nomen & definitionem à superioribus, at nullis tribuunt cùm nihil habent sub se.

3 *Vnivocantia & vnivocata simul*, vt interjecta inter summum genus & individua, quæ nomen & essentiam tùm à superioribus recipiunt, tùm inferioribus tribuunt.

Ob. Si vnivocans benè definiatur tùm ens est vnivocans respectu

ſubſtantiæ & accidentis, nam habent idem entis nomen (vtrumq; enim ens apellatur) & eandem entis definitionem, quia vtrumq; eſt *id quod eſt*, quæ eſt definitio entis.

Sol. Habent ſubſtantia & accidens entis definitionem, id eſt, interpretationem ſeu notationem *nominis*, at non habent aliquam definitionem *eſſentiæ*, nam ens nullam eſſentiam habet, nec vllam ſubſtantiæ eſſentiam & accidenti tribuit, ſed nomen tantùm.

Ob. Si omnia vnivocata hic definiantur, tùm ſubſtantiæ & accidentia vnâ definitione continentur, at non poſſunt, cùm diverſiſſimarum naturarum ſint, ergò.

Sol. In vnâ *reali* & *eſſentiali* definitione non poſſunt, at in vnâ *intentionali* & *accidentali* poſſunt; nec dicitur hic homo abſolutè, vt homo aut ſubſtantia, nec hæc albedo vt albedo ſeu qualitas, ſed vtrumque vt vnivocum, vnde poſſunt eandem huius intentionis definitionem ſuſcipere.

SECT. 4.

De fine tractationis Vnivocorum.

Vſus tractationis vnivocorum eſt duplex, ſcil.

1 *Cognitio* ordinis & prædicationis eorum quæ in eodem prædicamento collocantur: (dico ordinis) quia vnivocatum eſt ſubjectum vnivocantis, & eo poſterius prædicatione, quia ſemper vnivocans dicitur eſſentialitèr de vnivocato.

2 *Admiſſio* eorum in
1 Prædicamenta.
2 Propoſitiones.
3 Definitiones.
4 Demonſtrationes, & quaſcunque argumentationes.

SECT. 5.

De diſtinctione Æquivocationis & Vnivocationis.

Vt æquivocum & vnivocum, ſic etiam æquivocatio & vnivocatio eſt duplex, altera

1 *Activa*; vnivocatio activa eſt relatio termini vnivocantis ad res vnivocatas: æquivocatio autem activa eſt talis reſpectus æquivocantis ad res æquivocatas.

2 *Paſſiva*; vnivocatio autem paſſiva eſt relatio rerum vnivocatarum ad terminum vnivocantem:

vocantem: æquovocatio verò passiva est relatio rerum æquivocatarum ad terminum æquivocantem.

SECT. 1.

De Denominativis; & primò de eorum distinctione.

Denominativa sunt duplicia, sunt enim vel

1 *Voce solâ*, quale est concretum cùm abstracto conveniens in initio, & differens in fine dictionis, cùm quo tamen non significat eandem formam accidentariam, vt studium & studiosus; nam *studium* diligentiam significat, *studiosus* habentem virtutem.

2 *Voce & significatione simul*, quale est concretum cui respondet abstractum eandem formam exprimens, cùm quo in principio convenit, & differt in finali terminatione, vt album respectu albedinis; nam quod (quidam dicunt) de denominativorum significatione, ridiculum est, cùm talia suis formis non habeant denominationem aliquam aut nominis similitudinem, vt virtus & studiosus, neque hic definiuntur.

SECT. 2.

De Definitione Denominativorum.

Denominativa sunt quæ casu ab aliquo differentia, ab eo habent nominis appellationem; hic autem observanda sunt definitum, & etiam definitionis explicatio.

Quod ad definitum attinet notandum est discrimen inter hæc, denominans, denominativum, & denominatum, nam

1 *Denominans* est ipsum abstractum inhærens in subjecto, vt albedo.

2 *Denominativum* est ipsum concretum, ab hoc abstracto finali solùm terminatione differens, quod prædicatur de subiecto, vt albus.

3 *Denominatum* est subjectum vtriusque, & cui inhæret denominans, & de quo dicitur denominativum. Dicitur autem abstractum denominans, quia concretum nunquam dicitur de eo subjecto nisi gratiâ ejus, aut *inhærentis*, vt in intrinsecis denominativis, aut *adiacentis*, vt in extrinsecis.

Dicitur
1 *Denominans* respectu *inhæsionis.*
2 *Denominativum* respectu *prædicationis.*
3 *Denominatum* respectu *subiectionis.*

Definiuntur ergò hic denominativa vtriusque prædicti generis, (quodcunque dicant alij) præcipuè tamen ea, quæ voce & significatione denominativa diximus, quia illa habent plures conditiones ad perfectam denominationem requisitas.

(Sunt quæ) id est, sunt concreta accidentalia (nam hæc, aqueum, terreum, aureum, humanum, & quæcunque substantias vel substantiales differentias significant, vt rationale, sensibile, animatum, denominativa minimè sunt) licet denominativorum formam habent.

(Casu differentia) id est, vocis cadentiâ & finali terminatione. (Ab aliquo) scilicet abstracto, & primogeneo, vt deducitur album ab albedine, justum à justitiâ.

(Ab eoq; habent nominis appellationem) id est, derivationem; à quo derivantur, non derivatione *grammaticâ*, nam sic potiùs abstractum à concreto derivatur, sed potius velut effectus à causâ, nam abstractum est velut formalis causa concreti, cùm ipsum tùm constituit, tùm ab alijs distinguit.

SECT. 3.

Quæ requiruntur ad perfectam Denominationem.

Ad rationem denominativorum quinq; hæ conditiones requiruntur, nempe aut

1 Ex parte *rei* tria,
- 1 *Convenientia* ejus in formali significatione cùm denominante.
- 2 *Differentia* ejus in formali significatione cùm denominato.
- 3 *Compositio* denominativi cùm denominato, & *applicatio* ejus ad denominatum in propositione.

2 Ex parte *vocis* duo,
- 1 Convenientia in *principio* dictionis cùm ipso denominante.
- 2 *Discrepantia* ejusdem ab eodem in *casu* & *finali terminatione.*

SECT.

SECT. 4.
Quid Abstractum & Concretum.

Abstractum dicitur ab *Abstrahendo*, quia à subjecto abstrahitur, sic, quòd de subjecto inhæsionis prædicari non potest, vt albedo; non enim est vera prædicatio, paries est albedo.

Ob. Albedo, & justitia, & omnia quæ vocantur abstracta insunt in subjecto, ergò à subjecto non abstrahuntur.

Sol. Non dicuntur abstracta respectu *inhæsionis*, nam sic nulla accidentia sunt abstracta; sed respectu *prædicationis*, & sic dividuntur accidentia in concreta & abstracta, id est, in ea quæ possunt prædicari de subjecto, & quæ non possunt.

Concretum dicitur à *concernendo*, quia concernit & consignificat subjectum, sic quòd abstractum significet formam accidentalem *absolutè* & *secundùm se*, vt albedo; concretum autem significet eandem formam, *non absolutè*, *sed respectu ad subiectum*, nec *secundùm se*, sed solùm vt *subiecto connectitur*.

Vnde notandum quod omne concretum habet duplex significatum,

1 *Materiale*, vt album materialiter significat id quod est album, id est, subjectum suum; & dicitur *materiale* significatum, quia subjectum est materia accidentis non *ex quâ*, & *constitutionis*, sed *in quâ*, & *inhæsionis*.

2 *Formale*, vt album formaliter significat albedinem, id est, formam albi; hoc verò significatum *principalius* est, illud *minùs principale*, & hoc propriè *significatum*, illud magis *consignificatum* appellari debet.

Distinguuntur ergò concretum & abstractum duobus modis vel penes

1 *Significata*, quia abstractum significat simplicem formam, & sic ejus significatio dicitur significatio *simplicitatis*; at concretum & formam significat & subjectum, vnde ejus significatum dicitur significatum *pluralitatis*.

2 *Modum & formam significandi*, quia abstractum significat formam *absolutè*, concretum formam *in respectu ad subiectum*.

Ob. Abstracta denominant (nam aliter non essent denominantia) ergò abstracta & non solùm concreta sunt denominativa.

Sol. Abstracta denominant *effectivè*, concreta solùm *formaliter*.

Ob. Abstracta sunt formæ (vt dictũ est) ergò denominant formaliter.

Sol.

Sol. Sunt formæ reſpectu ſuorum *ſubiectorum*, at reſpectu *denominationis* ſunt efficientes cauſæ, efficit enim albedo vt homo denominetur albus; at concreta ipſius denominationis formæ ſunt, ſubiecta verò, ſeu denominata materiæ.

Ob. Iſta prædicatio, ſtatua eſt lignea, annulus eſt aureus, eſt denominativa, at ligneum & aureum non ſunt concreta accidentalia ſed ſubſtantialia, ergò.

Sol. Denominativa ſunt duplicia, alia enim ſunt

1 *Formalia*, in quibus concretum alicujus formæ accidentalis de ſubſtantiâ enunciatur: vt homo eſt prudens; nam ſi ſit concretum formæ ſubſtantialis, vt homo eſt rationalis, corpus eſt animatum, non eſt illud denominativum ſed vnivocum.

2 *Materialia* in quibus denominatur aliquid ex materiâ, id eſt, ex ſubſtantiâ ex quâ conficitur, vt annulus qui ex auro fit, eſt aureus; atque talia in ſubſtantijs inveniuntur, & in his denominativis eſt contrarius penitùs ordo: Nam *formalis* eſt denominatio quando concretum accidentale prædicatur de ſubſtantiâ; *Materialis*, quando ſubſtantiale concretum prædicatur de accidente.

Ob. Omnia denominativa non poſſunt oriri ab vno aliquo abſtracto, nam album, & juſtum, & longum non poſſunt oriri aut derivari ab vno aliquo abſtracto, ergò iſta definitio non convenit omnibus denominativis.

Sol. Omnia Denominativa ſumuntur dupliciter, vel

1 *Collectivè*, ſic quòd omnia *ſimul* ſumpta ab vno oriantur; & illud eſt penitùs impoſſibile, quia nullum abſtractum poteſt vnum nominari, à quo omnia concreta ſeu denominativa ducantur.

2 *Diſtributivè* & *ſigillatim*, ad hunc ſenſum; quòd nullum ſit denominativum quod non ab aliquo vno oriatur, & ſic verum eſt, nam album oritur ab aliquo vno, ſcil. albedine, & juſtum ab aliquo vno, ſcilicet juſtitia &c.; licet omnia ab aliquo vno & eodem non oriantur.

Ob. Denominativa non differunt à conjugatis, quia ſapiens & ſapientia, & juſtus & juſtitia vt ſunt denominativa, ita ſunt conjugata: teſte *Ariſtotele* lib. 2. Topic. cap. 9. text. 1. ergò malè definiuntur.

Sol.

Denominativa distinguuntur a conjugatis dupliciter,

1. *Amplitudine*, quia latius patent conjugata; quippe abstracta non minùs conjugata dicuntur quàm concreta, ut albedo quàm album; at abstracta denominativa non sunt, sed solum concreta.

2. In *modo* & *respectu*, quia licet concreta denominativa dicuntur & conjugata, dicuntur tamen denominativa respectu *prædicationis*; & sic hîc considerantur; dicuntur cõjugata respectu *argumentationis* in quantũ mutuo quodâ jugo & nexu se inferunt, & sic cõsiderãtur in *Topicis*: verbi gratiâ, in hâc propositione, nix est alba, albũ est denominativũ quia simplicẽ hic prædicationẽ habet, at in hac argumentatione, albedo est in nive, ergò nix est alba, conjugatum est, quippe præter *prædicationẽ* annexam quandã *illationem* habet; Adde quòd conjugatum mutuum dicit respectum ad suum conjugatum, ut album (in quantum est conjugatum) quendã ejus nexum ad albedinẽ; at denominativũ (in quantum tale) dicit solùm respectum ad denominatum seu subjectum, ut album (in quantum denominativum) non dicit tam respectum ad albedinem, quàm ad id quod est album, vt hominem & parietem.

SECT. 5.

De Divisione Denominativorum.

Denominativum duplex, est

1. *Internum*, quod est in eo secundùm suum abstractum quod denominat; ut album respectu parietis in quo albedo inhæret.

2. *Externum*, quod non est in eo quod denominat (sicut *Socrates* dicitur locatus à loco) qui non est in eo, sed circà eum, & ignis calefaciens dicitur à calefactione, non quæ in igne sed quæ in aquâ est, nec est inconveniens quod idem denominativum sit *externum* & *internum* respectu diversorum, ut homo dicitur sapiens propter sapientiam illi inhærentem *intrinsecè*,

similitèr actio ejusdem hominis dicitur sapiens non propter sapientiam ipsi actioni inhærentem internè, sed *externè disponentem*.

SECT. 6.

De vsu tractationis Denominatiuorum.

Finis hujus tractatus potest esse duplex, alter respectu

1. *Prædicamentorum*, vt (scilicet) cognoscamus novem posteriora prædicamenta; de primo (scilicet) substantiâ tanquam denominativa de denominato prædicari: Nam sicut in vnivocis insinuatur eorum habitudo quæ in eâdem serie collocantur, in quâ superiora vnivocantia sunt, inferiora vnivocata, sic in denominativis comparatio novem posteriorum ad primam in quâ illa sunt denominativa, hoc autem denominatum.

2. *Prædicabilium*, vt cognoscamus duo posteriora esse denominativa, sicut tria priora sunt vnivoca; tamen prior finis hujus tractationis ab *Aristotele* sibi ipsi proponebatur solus.

SECT. 7.

Epilogus trium dictorum Ante-prædicamentorum.

Per ea quæ dicta sunt cognoscemus esse tria genera prædicationum, scilicet

1. *Æquivocum*, quando terminus æquivocans de aliquâ re affirmatur, *æquivocè* acceptus, ut canis latrans est canis; tunc autem æquivocum sumitur *æquivocè* cùm sine distinctione pro pluribus significatis sumitur.

2. *Vnivocum*, quandò vnivocans prædicatur de suo vnivocato, ut *Socrates* est homo.

3. *Denominativum*, quandò accidens, sive pro-

proprium, ſive commune de ſubjecto prædicatur, ut homo eſt doctus: Primum genus ab omni prædicamento *reiicitur*, & ejus vſus *ſophiſticus* eſt; ſecundum genus, & tertium in prædicamento *recipiuntur*: ſed ſecundum comprehendit habitudinem eorum ad *ſe invicem* quæ ſunt in eodem prædicamento, tertium eorum quæ in diverſis, & horum vſus eſt dialecticus & legitimus.

De duabus Diuiſionibus.

SECT. 1.

De primâ Diuiſione.

Ob. Res ſunt priores vocibus, ergo diviſio rerum debet eſſe prior quàm diviſio vocum.

Sol. Res ſunt priores *naturâ*, quia ſunt *fundamenta* & *ſubiecta* vocum; voces ſunt priores *nobis*, quia ſunt *ſigna*, & *inſignia* rerum; nos enim ad rerum cognitionem non venimus niſi per voces; voces ergo, & earum diviſio propter noſtram eruditionem (ordine diſciplinæ) priùs tractari debent.

Eorum quæ dicuntur, alia ſunt { 1. *Coniuncta*, ut homo currit, leo vincit. 2. *Simplicia*, vt, homo, currit, vincit, leo.

In quâ diviſione obſervanda ſunt tùm *diviſum*, tùm *membra dividentia*, eorumq; definitiones.

SECT. 2.

De diuiſo.

Diuiſum eſt (ea quæ dicuntur) id eſt, ea quæ voce proferuntur, nempe voces ſignificantes ad placitum.

(*Dici*) sumitur tripliciter, vel
1. Pro eo quod est *derivari*, ut dicta est fides ab eo ut fiat, id est, fides derivatur ab eo, vt fiat.
2. Pro eo quod est *prædicari*, ut virtus dicitur de justitia, i. prædicatur.
3. Pro eo quod est *proferri* seu *enunciari*, & sic hoc in loco sumitur.

Notandum quod voces significativæ ad placitum considerantur in scientiis, aut ut
1. *Abstractæ* à rebus, sicq; aut inserviunt
1. *Congruitati*, & sic ad *Grammaticam*
2. *Ornatui*; & sic ad *Rhetoricam*
3. *Harmoniæ* cuidam & delectationi, & sic ad *Poeticam*
} considerationē pertinent.
2. *Applicatæ* rebus & quatenùs probabilitati inserviunt, & sic *Dialecticæ* sunt considerationis.

SECT. 3.

De membris dividentibus, & primò de simplicibus vocibus.

Simplicia sunt, quæ significantia rem simplici actu intellectus apprehensam, vnicâ voce enunciantur, (ut hòmo.)

Est enim duplex actus intellectus,
1. *Simplex*, qui est nihil aliud quàm *apprehensio* seu *intellectio* alicujus rei sine apprehensione alterius, ut cùm hominem (sine alicujus adjuncti consideratione) intelligam.
2. *Compositus*, & ille duplex; alter
1. *Enunciatio*, quandò intellectus vnicam rem componit cum aliâ, ut cùm intelligam hominem esse album; aut cum unam sejunxit ab aliâ, ut cùm intelligam hominem non esse equum.
2. *Discursus*, quandò intellectus unam rem colligit ex aliâ, & concludit ex aliâ, ut quandò colligit hominē vivere quia ducit spiritū: primus actus qui est (apprehensio simplex) versatur in rebus *absolutè* & *per se* sumptis; secundus qui est (prædicatio) versatur in rebus *propositione connexis*; tertius qui est (discursus) versatur in rebus *argumentatione cohærentibus* & *coagmentatis*.

Sim-

Simplicitas vocis penes tria attenditur, vel

1. Simplicitatem *rei* quæ significatur.
2. Simplicitatem *actionis* intellectus, quâ illa res concipitur.
3. Simplicitatem *soni*, adde simplicitatem *significationis* (ex quâ magis pendet quàm ex sono simplici) quo illa res exprimitur; simplicitas *rei* est causa *materialis*, simplicitas *intellectionis* est *effectiva* causa, simplicitas *soni* est deniq; *formalis* causa simplicitatis vocis.

SECT. 4.
De coniunctis vocibus.

Complexa vox est, quæ plures res significat, quæ nonnisi composito actu intellectus apprehenduntur, sive per unum sonum exprimantur, vt in *æquivocis*, sive per multòs, ut in *univocis* nominibus; Nam cùm *Dialecticus* voces non secundùm se, sed secundùm quod significativæ rerum sunt, respiciat, illa vox à *Dialecticis* judicabitur complexa quæ plures res significat, vt omnis vox æquivoca, licet quantùm ad sonum simplex appareat.

SECT. 5.
De Divisione vocum Complexarum.

Vox significativa potest esse triplex.

1. *Voce* tantùm, quæ est terminus secundùm vocem compositus ex pluribus dictionibus significativis, cui tantùm in intellectu vnicus conceptus, extra intellectum vnica res, respondent, ut corpus animatum.
2. *Significatione* tantùm, quæ in voce quidem simplicitatem custodit, nec ex pluribus significantibus dictionibus conficitur, sibi tamen multiplicem habet in intellectu conceptum respondentem, extrà intellectum multas res, ut canis.

2. *Voce & significatione* simul, quæ est vox conflata ex pluribus dictionibus significantibus cui multæ res respondent, & conceptus, ut homo est albus; & his postremis duobus modis hic est sumenda complexa vox: Primâ vero acceptione licet complexa habeatur à *Grammaticis* non tamen à *Dialecticis*, qui voces considerant magis propter significationem, quàm sonum.

Omnis definitio, ut (animal rationale) sumitur aut pro significato,
- 1. *Immediato*, & sic est *complexum*, nam immediatè significat diuersas res, scilicet partes hominis.
- 2. *Mediato*, et sic est *simplex*, nam mediatè (mediantibus scilicet partibus) significat ipsum hominem qui unum quoddam, et simplex est.

SECT. 6.
De Diuisione complexionis vocum.

Complexio vocum est duplex,
- 1. *Distans*, quæ est duplex,
  - 1. *Perfecta*, resultans ex nomine et verbo, ut in propositione, homo est animal.
  - 2. *Imperfecta* quæ est aut
    - 1. *Implicita*, ut in nomine æquivoco quod multas habet significationes vno nomine suppressas, ut (canis.)
    - 2. *Explicita*, quæ oritur ex connexione vocum per aliquam conjunctionem, ut *Socrates* et *Plato*.
- 2. *Indistans*, quæ resultat ex termino determinabili et determinante, in quâ non est verbum aut conjunctio, quę aut oritur ex pluribus rectis, ut homo albus, aut ex recto et obliquo, ut ens in tempore.

Ob. Simplicia sunt priora quàm conjuncta, ergo prius poni debent ab *Aristotele*.

Sol. Sunt *naturâ* priora, quia partes sunt complexorum, at *nobis* notiora complexa sunt, quia sunt tota, Totum enim notius est suis partibus.

bus. 1. Physic. text. 4.

Ob. Conjunctæ voces fiunt ex simplicibus, quia simplices sunt partes conjunctarum, at membra opposita ejusdem divisionis non debent fieri ex se invicem, quia vnum oppositorum aliud potiùs tollit, quàm constituit, ergo.

Sol. Fiunt ex simplicibus conjunctæ, quantùm ad *materiam*, non quantùm ad *formam*; formam enim simplicis vocis appello ejus absolutionem ab omni connectione cum altero, quam absolutionem amittit quando cum alijs componitur.

Vnde vox significativa simplex triplicem habet formam, alteram

1. *Remotam*, in quantum est *articulata*, & hæc forma est ejus ex literis & syllabis compositio.

2. *Propinquam*, quatenùs *significativa* est, & hæc est alicujus rei per seipsum expressio.

3. *Proximam*, quatenùs *simplex* est, & hæc est ejus ab aliarum vocum connectione absolutio; secundùm duas priores formas ingreditur complexam vocem, ultimam autem amittit, cùm ingreditur.

Ob. Homo, leo, &c. componuntur ex partibus suis, scilicet literis et syllabis, ergo est vox complexa.

Sol. Conjunctio duplex,

1. *Literarum* et *syllabarum*, quæ in unam vocem perfectam coalescunt, et sic etiam simplices voces dici queant compositæ.

2. *Vocum*, quæ ad orationis constitutionem concurrunt, et hæc conjunctio hic intelligitur, quomodò *homo* vox non est composita.

Ob. Currit, est propositio saltem implicita, ergò verum vel falsum significat, at nihil quod non conjunctione dicitur verum vel falsum esse potest, vt *Aristoteles* docet in capite de Oppositis text. 22. et lib. de Interpr. cap. 1. text. 5. ergo currit est vox conjuncta, et consequenter malè ponitur ab *Aristotele* pro exemplo simplicis.

Sol. Verbum (currit) et omnia verba alicujus personæ possunt sumi vel cum ipsâ personâ, et sic complexa sunt, et propositiones; vel sine subjecto, ut idem valet cum principali suâ significatione et radice (currere) ut hîc sumitur, et ita simplex est.

Sol. 2. Nomen

Sol. 2. Nomen vel verbum complexum judicantur penes rem quam *significant*, non penes rem quam *consignificant*; nam tum omnia concreta essent complexa, sic (currit) significat quidem cursum, qui cùm simplex terminus sit, etiam (currit) est ejusdem rationis, consignificat autem tum personam currentem, tum tempus currendi.

SECT. 7.

De subiecto complexionis.

Complexio tum est in

1. *Re*, ut *in causa*; quia compositio in rebus facit complexionem in vocibus.

2. *Intellectu*, ut in *subiecto*; nam sicut ipse est subjectum veritatis & falsitatis, ita necessariò complexionis.

3. *Voce*, ut in *signo*; quippe complexio vocis non est nisi signum complexionis in intellectu; si autem propriè loqui velimus ista *coniunctio* in *rebus*, *compositio*; in *intellectu*, *comprehensio*; in *vocibus complexio* appellanda est, nam res ipsæ inter se invicem componuntur, quam compositionem comprehendens intellectus per vocem complexam exprimit.

Ob. Vox dicitur complexa, ergò complexio est in voce tanquàm in subjecto.

Sol. Nego argumentum, quia ista est *externa*, non *interna* denominatio; ideò enim dicitur complexa quia ab intellectu complexio procedit; sicut enim sapientis actio dicitur sapiens, quia à sapiente homine profluit in quo est sapientia; ita vox dicitur complexa, quia dimanat ab intellectu in quo inhæret complexio.

SECT. 8.

Quomodo possit hæc divisio applicari rebus.

Non multò minorem habet probabilitatem hanc divisionem intel-

intelligi debere de rebus quàm de vocibus, præsertim cùm res non voces in prædicamentis collocantur, ista verò Ante-prædicamenta instituuntur propter prædicamentorum cognitionem, & tùm (in hunc modum) interpretandus est *Aristoteles.*

(Eorum quæ dicuntur) id est, eorum quæ significantur, aut dicuntur per vocem; (Alia sunt complexa) id est, voce complexâ significantur; (alia sunt simplicia) id est, simplici voce proferuntur: Nam illud verbum (dicuntur) non minùs concinnè vocibus quàm rebus adaptari potest, ex hâc distinctione, quòd voces dicuntur per *relationem*, & *pronunciationem*, res autem per *repræsentationem* vocum, sic quod res *dici*, voces autem potiùs *dicere* videantur.

SECT. 9.
De vsu primæ divisionis.

Vsus & finis huius divisionis est, qualia sunt quæ collocantur in prædicamento nimirùm *simplicia*, & qualia reiiciuntur nimirùm *complexa*, perspicere.

SECT. 10.
De secundâ divisione quæ est divisio Rerum.

Eorum quæ sunt
- 1 Alia *de subiecto* aliquo dicuntur,
  - 1 Et sunt *in aliquo subiecto*, vt vniversalia accidentia.
  - 2 Et *non sunt in aliquo subiecto*, vt vniversales substantiæ.
- 2 Alia non *de subiecto* aliquo dicuntur,
  - 1 Et *non* sunt in aliquo subiecto, vt singulares substantiæ.
  - 2 Et sunt *in* aliquo subiecto, vt singularia accidentia.

In quâ divisione considerandæ sunt *divisum*, & *divisionis explicatio.*

SECT. 11.
De divisionis explicatione.

Divisum est ens reale.

Vt autem *diuiſio* meliùs intelligatur obſervandum eſt eſſe duplex ſubjectum apud Dialecticos, aliud

1 *Inhæſionis*, quod eſt ſubjectum accidentium, vt *Socrates* reſpectu coloris ſui eſt ſubjectum inhæſionis; & vocatur à quibuſdam ſubjectum *in quo*, & hoc intelligitur ab *Ariſtotele* in his verbis (ineſſe in ſubjecto.)

2 *Prædicationis*, aut ſubjectum *de quo*, quod eſt ſubjectum eſſentialis prædicati, vnde etiam ſubjectum *eſſentiæ* à quibuſdam dicitur, vt *Socrates* hominis aut animalis, & hoc intelligitur ab *Ariſtotele* his verbis (dici de ſubjecto.)

(Eorum quæ ſunt) id eſt entium realium.

(Alia dicuntur de ſubjecto) ſcilicet, *prædicationis*, & *eſſentialitèr*; (& ſunt in aliquo ſubjecto) ſcilicet, *inhæſionis*, & *accidentalitèr*, vt vniverſalia accidentia, ſicut albedo dicitur de aliquo ſubjecto *prædicationis*, ſcil: de hâc aut illâ albedine, & ineſt in aliquo ſubjecto *inhæſionis*, ſcil. *Socrate* aut *Platone*; ſic quòd de alio dicitur *eſſentialitèr*, in alio ineſt *accidentalitèr*.

(Alia non de aliquo ſubjecto dicuntur, ſed ſunt in aliquo ſubjecto) vt ſingularia accidentia (verbi gratiâ) hæc albedo non dicitur de aliquo ſubjecto, quia eſt ſingularis (niſi eo modo quo de ſingularibus ſubſtantijs dixi) ſed eſt in aliquo ſubjecto, quia eſt accidens; omne autem accidens eſt in ſubjecto.

(Alia de ſubjecto aliquo dicuntur, & non ſunt in ſubjecto) vt vniverſales ſubſtantiæ (verbi gratiâ) homo dicitur de aliquo ſubjecto, vt de *Socrate*, quia eſt inferius, & ſubjectum *prædicationis* ejus, ſed non ineſt in aliquo ſubjecto, ſcil. per *inhæſionem* & *accidentalitèr*: Nam ineſt quidèm in *Socrate* & omnibus ſuis individuis, ſed tanquàm *principium* & *pars*, non tanquàm *accidens* & *paſſio* ejus, id eſt, per conſtitutionem & eſſentialitèr, ſed non *accidentalitèr* & per *inhæſionem*.

(Alia, non de aliquo ſubjecto dicuntur, nec in aliquo ſubjecto ſunt;) vt ſingulares ſubſtantiæ: ſicut *Socrates*, non eſt in ſubjecto, quia eſt ſubſtantia, nec dicitur de ſubjecto quia eſt ſingularis: ineſt quidem *Socrates* homini, & animali, ſed non tanquàm *ſubjecto*; (quia *Socrates* eſt eorum ſubjectum) ſed tanquam *principio* & *cauſæ* vniuerſali; & dicitur *Socrates* de ſeipſo, tanquam de ſubjecto *propoſitionis*, non tanquàm de ſubjecto *eſſentialis prædicationis*.

Ob. Contra primum membrum diviſionis. Quæ dicuntur de ſubjecto dicuntur ſecundùm nomen & definitionem (quia dicuntur eſſentialitèr de ſubjecto) at quæ inſunt in ſubjecto non poſſunt dici ſecundum

cundùm nomen & definitionem, vt ipſe *Ariſtoteles* dicit in cap. de Subſt. text. 12. ergò.

Sol. Non negat *Ariſtoteles* (ea quæ inſunt in ſubjecto) omninò dici de ſubjecto vnivocè, ſed non dici vnivocè de eo in qno accidentalitèr inſunt: Inſunt ergò in vno, ſcil. primâ ſubſtantiâ, & non poſſunt prædicari de eâ vnivocè, dicuntur tamen vnivocè de alijs, ſcil. de ſuis inferioribus in prædicamento.

Ob. Contrà ſecundum membrum. Omnia vniverſalia in ſingularibus ſubſtantiis ſunt, vt ſæpiſſimè *Ariſtoteles* contrà *Platonem* clamat, qui illa ſeparata ponebat, ergò vniverſales ſubſtantiæ inſunt in ſubiecto.

Sol. Inſunt quidèm in ſubiecto eodem modo quo dicuntur, id eſt, *eſſentialitèr* & *conſtitutivè*, non *accidentalitèr* & *inhærentèr* quod hic intelligitur.

Ob. Muſca ſingularis eſt in mundo vt in ſubiecto, ergò ſingularis ſubſtantia; nam aut ineſt tanquàm pars aut tanquàm accidens; non tanquàm pars, quià tunc corruptâ illâ muſcâ non eſſet idem totus mundus, eò quòd eaſdem partes non haberet, totum autèm nihil aliud eſt quàm partes omnes ſimul ſumptæ: Prætereà ſi muſca illa ſit pars reſpectu mundi, tùm mundus eſt totum reſpectu eius, & ſunt ſibi invicèm relata, at ſublato vno relatorum tollitur alterum, ergò ſublatâ illâ muſcâ tollitur mundus.

Sol. Muſca ſingularis eſt in mundo tanquàm *pars*, nec tamen ſequitur corruptâ muſcâ corrumpi totum mundum, licet non habeat eaſdem partes quas anteà habebat; ſed tollitur tantùm quo ad *relationem* ad illam partem, nam quot ſunt partes in mundo tot ſunt relationes ad illas partes, ſicut enim dicimus de patre qui habet multos filios, quòd ſublato vno eorum tollitur & pater non *abſolutè* quia habet alios manentes, ſed quantum ad paternitatem *iſtius filii*; ſic de mundo habente infinitas partes, ſi vna earum tollitur, tollitur mundus, non (ſimplicitèr) quantum ad *exiſtentiam*, ſed quantum ad *relationem* ad illam partem.

SECT. 12.

De Definitione eius quod eſt, ineſſe in ſubiecto, aut Accidentis.

Eſſe in ſubiecto eſt eſſe in re aliquâ non tanquàm pars, à quâ res ſeinn-

Vt autem *diuisio* meliùs intelligatur obseruandum est esse duplex subjectum apud Dialecticos, aliud

1 *Inhæsionis*, quod est subjectum accidentium, vt *Socrates* respectu coloris sui est subjectum inhæsionis; & vocatur à quibusdam subjectum *in quo*, & hoc intelligitur ab *Aristotele* in his verbis (inesse in subjecto.)

2 *Prædicationis*, aut subjectum *de quo*, quod est subjectum essentialis prædicati, vnde etiam subjectum *essentiæ* à quibusdam dicitur, vt *Socrates* hominis aut animalis, & hoc intelligitur ab *Aristotele* his verbis (dici de subjecto.)

(Eorum quæ sunt) id est entium realium.

(Alia dicuntur de subjecto) scilicet, *prædicationis*, & *essentialitèr*; (& sunt in aliquo subjecto) scilicet, *inhæsionis*, & *accidentalitèr*, vt vniversalia accidentia, sicut albedo dicitur de aliquo subjecto *prædicationis*, scil: de hâc aut illâ albedine, & inest in aliquo subjecto *inhæsionis*, scil. *Socrate* aut *Platone*; sic quòd de alio dicitur *essentialitèr*, in alio inest *accidentalitèr*.

(Alia non de aliquo subjecto dicuntur, sed sunt in aliquo subjecto) vt singularia accidentia (verbi gratiâ) hæc albedo non dicitur de aliquo subjecto, quia est singularis (nisi eo modo quo de singularibus substantijs dixi) sed est in aliquo subjecto, quia est accidens; omne autem accidens est in subjecto.

(Alia de subjecto aliquo dicuntur, & non sunt in subjecto) vt vniversales substantiæ (verbi gratiâ) homo dicitur de aliquo subjecto, vt de *Socrate*, quia est inferius, & subjectum *prædicationis* ejus, sed non inest in aliquo subjecto, scil. per *inhæsionem* & *accidentalitèr*: Nam inest quidèm in *Socrate* & omnibus suis individuis, sed tanquàm *principium* & *pars*, non tanquàm *accidens* & *passio* ejus, id est, per constitutionem & essentialitèr, sed non *accidentalitèr* & per *inhæsionem*.

(Alia, non de aliquo subjecto dicuntur, nec in aliquo subjecto sunt;) vt singulares substantiæ: sicut *Socrates*, non est in subjecto, quia est substantia, nec dicitur de subjecto quia est singularis: inest quidem *Socrates* homini, & animali, sed non tanquàm *subiecto*; (quia *Socrates* est eorum subjectum) sed tanquam *principio* & *causæ* vniuersali; & dicitur *Socrates* de seipso, tanquam de subjecto *propositionis*, non tanquàm de subjecto *essentialis prædicationis*.

Ob. Contra primum membrum divisionis. Quæ dicuntur de subjecto dicuntur secundùm nomen & definitionem (quia dicuntur essentialitèr de subjecto) at quæ insunt in subjecto non possunt dici secundùm

cundùm nomen & definitionem, vt ipſe *Ariſtoteles* dicit *in cap.* de Subſt. text. 12. ergò.

Sol. Non negat *Ariſtoteles* (ea quæ inſunt in ſubjecto) omninò dici de ſubjecto vnivocè, ſed non dici vnivocè de eo in qno accidentaliter inſunt: Inſunt ergò in vno, ſcil. primâ ſubſtantiâ, & non poſſunt prædicari de eâ vnivocè, dicuntur tamen vnivocè de alijs, ſcil. de ſuis inferioribus in prædicamento.

Ob. Contrà ſecundum membrum. Omnia vniverſalia in ſingularibus ſubſtantiis ſunt, vt ſæpiſſimè *Ariſtoteles* contrà *Platonem* clamat, qui illa ſeparata ponebat, ergò vniverſales ſubſtantiæ inſunt in ſubiecto.

Sol. Inſunt quidèm in ſubiecto eodem modo quo dicuntur, id eſt, *eſſentialitèr* & *conſtitutivè*, non *accidentalitèr* & *inhærentèr* quod hic intelligitur.

Ob. Muſca ſingularis eſt in mundo vt in ſubiecto, ergò ſingularis ſubſtantia; nam aut ineſt tanquàm pars aut tanquàm accidens; non tanquàm pars, quià tunc corruptâ illâ muſcâ non eſſet idem totus mundus, eò quòd eaſdem partes non haberet, totum autèm nihil aliud eſt quàm partes omnes ſimul ſumptæ: Prætereà ſi muſca illa ſit pars reſpectu mundi, tùm mundus eſt totum reſpectu eius, & ſunt ſibi invicèm relata, at ſùblato vno relatorum tollitur alterum, ergò ſublatâ illâ muſcâ tollitur mundus.

Sol. Muſca ſingularis eſt in mundo tanquàm *pars*, nec tamen ſequitur corruptâ muſcâ corrumpi totum mundum, licet non habeat eaſdem partes quas anteà habebat; ſed tollitur tantùm quo ad *relationem* ad illam partem, nam quot ſunt partes in mundo tot ſunt relationes ad illas partes, ſicut enim dicimus de patre qui habet multos filios, quòd ſublato vno eorum tollitur & pater non *abſolutè* quia habet alios manentes, ſed quantum ad paternitatem *iſtius filii*; ſic de mundo habente infinitas partes, ſi vna earum tollitur, tollitur mundus, non (ſimplicitèr) quantum ad *exiſtentiam*, ſed quantum ad *relationem* ad illam partem.

SECT. 12.

De Definitione eius quod eſt, ineſſe in ſubiecto, aut Accidentis.

Eſſe in ſubiecto eſt eſſe in re aliquâ non tanquàm pars, à quâ res ſeiun-

Et a non potest consistere.

Vbi animadvertendum est *definitum*, & *definitionis applicatio.*

Definitum est *Accidens*, quod intelligitur his verbis (esse in subjecto) quòd esse in subjecto est proprium Accidentis.

Notandum quod est duplex accidens.

1 *Prædicabile*, quod distinguitur contra *proprium*, quod definitur ab *Aristotele*, 1° Topic. cap. 5. text. 8. esse illud quod contingit cadere in rem aliquam & non cadere, & sic sumitur à *Porphyrio*.

2 *Prædicamentale*, quod distinguitur contrà *substantiam*, & comprehendit tùm accidens prædicabile, tùm proprium; omne, scil. quod in aliquo posteriorum prædicamentorum ponitur; & ita hic sumitur; nam hoc non minùs convenit quarto quàm quinto prædicabili.

(Esse in aliquâ re.) *Aristoteles* in 4° Phys. text. 23. octo ponit modos quibus vna res est in alio, aut vt

1 *Pars in toto*, sicut digitus in manu.

2 *Totum in partibus*, vt homo in omnibus partibus simul sumptis.

3 *Species in genere*, vt homo in animali.

4 *Genus in specie*, vt animal in homine, id est, vt superius in inferiori.

5 *Forma in materiâ*, vt anima in corpore.

6 *Effectum in efficiente*, sicut filius in patre, & omnia generabilia in generante.

7 *Res in fine*, vt homo in Deo.

8 *Locatum in loco*, vt homo in domo.

In quibus omnibus modis, modus inessendi accidentis in subiecto non ponitur; potest autem reduci ad quintum modum, qui est formæ in materiâ: nam subjectum materia accidentis dici potest in quantum subest accidenti, & ipsum sustinet sicut materia formam.

In modo tamen inessendi formæ in materiâ & accidentis in subjecto, quadruplex est differentia, tum in

1 *Particulari ratione* inessendi, quia forma substantialis inest *informando*, accidens *inhærendo*.

2 *Perfectione*, quia forma substantialis est actus seu perfectio prima, accidens secunda.

3 *Effectu*, quia materia cùm formâ substantiali facit vnum per se seu simplex, vt anima cùm corpore hominē; at accidens cùm subjecto vnum per accidens siue complexum, vt homo cùm albedine hominem album; siue, quia forma est in materiâ vt eam perficiat, accidens in subjecto, vt ab eo perficiatur.

Aliquid

Aliquid autem ineſt in aliquo dupliciter, vel vt

1 *Coniunctum* ei, & *interné*; ſicut quinque prioribus modis aliquid eſt in aliquo.

2 *Diſiunctum* ab eo, & *externo* quodam modo, vt tribus poſterioribus modis: (eſſe autem in re aliquâ) eſt hoc in loco, eſſe *interné* & *coniunctim.*

(Non tanquam pars) id eſt, non ſolùm tanquam pars illius in quo ineſt, ſed non tanquam pars vllius ſubſtantiæ; nam niſi ſic explicetur iſta particula, ſequetur formam ineſſe in materiâ vt accidens in ſubjecto, cùm inſit in materiâ non tanquam pars materiæ, & tamen ab ea ſeparari non poteſt interim vt ſit.

(Et non poteſt ab eâ re in quâ ineſt ſeiuncta exiſtere:) Non negat poſſe ſeparari, ſed negat ſi ſepararetur poſſe ſubſiſtere; dependet enim accidens à ſuo ſubiecto quantum ad exiſtentiam (vt dictum eſt;) & eſt quodammodò ſubiectum, ſui accidentis quodlibet genus cauſæ: eſt *efficiens* in quantum *producit*, eſt *finis* in quantum *perficit*, eſt *materia* in quantum *ſubiacet*, & eſt *forma* in quantum *definit*: Nam producere *efficientis*, perficere *finis*, ſubiici *materiæ*, definire deniq; *formæ* eſt proprius actus.

Sciendum quod in illâ definitione explicantur duo,

1 *Eſſe* accidentis, in his verbis (in re aliquâ ineſſe;) vnde illa communis propoſitio apud Dialecticos *Accidentis eſſe eſt ineſſe*, & apud *Ariſtotelem* 7. Metaph. *Accidens non eſt ens, niſi quia entis.*

2 *Modus*, tum quidem

1 *Eſſendi*, his verbis (non tanquam pars) vt intelligatur accidens ineſſe prætèr rei eſſentiam.

2 *Dependendi*, in his verbis (nec ab eo cui ineſt poteſt ſejunctim conſiſtere ſine interitu) id eſt, ſine interitu ſui; nam poteſt ſeiungi ſine interitu ſubiecti, vt docuit *Porphyrius* in cap. de accidente; dependet autem accidens a ſubiecto in omni genere cauſæ.

Vnde ſunt tres partes illius definitionis

1 *Ineſſe in re aliquâ*) & hâc, excluditur ſecundus modus ineſſendi, ſc. totius in partibus, quia ipſum non ineſt in vnâ aliquâ re, ſed in multis.

2 *Non tanquàm pars.*) excluditur hâc, primus, tertius, quartus, quintus; nam primus eſt partium *integralium*, tertius *eſſentialium*, quartus partium *vniverſalium*.

secundùm illas tres conditiones accidentis, scil.

3 *Nec ab eo cui inest potest seiunctim consistere.*) Quæ pars (meâ opinione) non tàm *distinctionis* gratiâ adhibetur quàm *explicationis*, quia fieri non potest, vt si insit in aliquâ re non tanquàm pars alicujus substantiæ, quin accidens sit.

Ob. Arbor est in terrâ non tanquam pars vllius substantiæ, nec potest separari interim vt sit, ergò si ista definitio esset bona, esset accidens.

Sol. Arbor potest avelli à terrâ interim vt sit, saltèm per aliquod tempus: (nam alitèr evulsa arbor posset nunquàm replantari, quod experientiâ falsum est:) at accidens à subiecto avelli non potest vt per aliquod temporis spacium maneat: Nec solùm in tempore est differentia, sed etiam in conservante, quia accidens dependet à subiecto immediatè quoad *existentiam*, at arbor à terrâ quoad *nutritionem*, quia arbor trahit ex terrâ alimentum.

Ob. Cùm flores manu comprimimus, odor qui erat in floribus, migrat in manum, ergò potest esse sine subiecto.

Sol. Non solùm odor, sed tenuiores & aëriæ quædam partes confricatione manus resolutæ, cùm odore in manum transferuntur, quæ sunt subiectum odoris.

Ob. Corrupto *Socrate* manent eius albedo in cadavere & quantitas, ergò.

Subiectum accidentis est duplex,

1 *Denominationis*, illud, scil. quod denominatur ab accidente, & sic *Socrates* est subiectum suæ albedinis & quantitatis, nam ille est albus & ille est quantus.

2 *Inhæsionis*, illud, scil. cui primò inhæret accidens, & sic materia *Socratis* est subiectum ipsius albedinis & quantitatis; quæ quia manet (cum materia est ingenita & incorrupta, vt *Aristoteles* 1 Phys. text. 82.) ideò manent illa accidentia; nam possunt accidentia mutare subiecta denominationis, non inhæsionis.

Ob. Omnis perfecta divisio debet esse bimembris, at hæc est quadrimembris, ergò.

Sol. Reduci potest hæc divisio ad duo membra, scilicet,

Entium

Entium realium alia { 1 *Substantiæ*, quæ in nullo insunt. / 1 *Accidentia*, quæ insunt in subiecto. } Substantiarum autem & Accidentium, alia sunt { 1 *Vniversalia*, quæ de subiecto aliquo dicuntur. / 2 *Singularia* quæ de nullo dicuntur. }

Prior divisio entis in substantiam & accidens est analogi in sua analogata, nam ens est analogum respectu substantiæ & accidentis, 4. Metaph. text. 2. Posterior autem est divisio subiecti in accidentia; contingit enim rebus *universalitas* ex operatione intellectus, contingit verò iis *particularitas* per cumulum proprietatum.

SECT. 13.
De vsu huius secundæ divisionis.

Vsus huius secundæ divisionis quantum ad prædicamenta est duplex, scil. { 1 *Cognitio* eorum quæ sunt in Prædicamentis, & quantum ad *naturam* eorum quia omnia sunt substantiæ aut accidentia, & quantum ad *extensionem* naturæ quia omnia sunt vniversalia vel particularia. / 2 *Cognitio dependentiæ* novem posteriorum prædicamentorum à primo, in quo sunt, vt in subiecto. }

De duabus regulis.

SECT. 1.
De prima regula & eius explicatione.

Duas statuit *Aristoteles* regulas, de iis quæ in prædicamentis collocantur, quarum prima est de *cognatis* & inter se cohærentibus; secunda de *diversis* & naturâ disiunctis; prior de habitudine eorum quæ sunt in *eodem* prædicamento, posterior de habitudine eorum quæ in *diversis* prædicamentis collocantur.

Prior regula est, *Quando alterum prædicatur de altero tanquam de subiecto, quicquid dicitur de prædicato, id omne de subiecto quoq; dicitur.*

(Quando

Quando alterum de altero,)non dicit aliud de alio; nam *aliud* discrimen *essentiale* notat, *alterum* solùm *accidentale*, vt docuit *Porphyrius* in cap. de Differentiâ text. 5. vnde insinuat prædicatum cùm subjecto in essentiâ convenire debere, qualia sunt ea quæ sunt ejusdem prædicamenti.

Tanquam de subjecto)id est, tanquam de subjecto *prædicationis*, tanquam de subjecto *essentiæ*, tanquam superius de inferiori, vt animal de homine.

Quicquid dicitur de prædicato) id est, de eo quod in priori propositione fuit prædicatum, (nam quando aliquid de eo dicitur, tum est subjectum)quicquid(inquam)dicitur de prædicato non quocunque modo intelligitur, sed *essentialiter*.

Illud omne de subjecto istius prædicati dicitur) vt si animal dicatur essentialiter de homine, tum quicquid affirmatur essentialiter de animali affirmabitur de homine qui est subjectum animalis.

SECT. 2.

De extensione huius regulæ.

Quamvis ad omnia prædicata extendi potest hæc regula sive essentialia sive accidentalia, tamen secundùm intentionem *Aristotelis* restringenda est ad essentialia prædicata, id est, ad ea prædicata quæ sunt ejusdem prædicamenti cùm subiecto. Quod patet ex scopo *Aristotelis*, qui ideò hanc regulam adhibet ad cognitionem eorum explanandam quæ in eâdem serie collocantur; Quamvis itaq; potest hæc regula ad omnia prædicamenta extendi, illud tamen est præter mentem *Aristotelis*, qui eam in alium finem instituebat.

Notandum in prædicamentis esse duas series, nam alia est

1 *Recta*, & appellari potest series *profunditatis*, quæ consistit in progressione à summo genere per species interjectas ad individua.

2 *Lateralis*, & vocari potest series *habitudinis*, quæ versatur in deductione differentiarum: & secundùm has duas series sunt duplicia prædicata; alia *rectæ* seriei (vt genera & species) alia *lateralis* (ut differentię) & regula de vtrisque est intelligenda.

Qui autem ex hâc regulâ volunt docere *Aristotelem* aliquem modum argumentandi per gradationem (quem *Soritem* vocant) instituisse, errant toto cœlo; quippe hîc *Aristoteles* solùm prædicationem, non argumentationem considerat.

Ob.

Ob. Homo prædicatur essentialitèr de animali, at non prædicatur de bruto, ergo: Major ostenditur, nam aut homo, aut non homo dicitur essentialitèr de animali, nam ista sunt contradicentia; at non prædicatur non homo essentialiter de animali, quia tum prædicatur de homine essentialiter, & sic homo esset non homo, & per consequens brutum, cùm omne animal non homo sit brutum, ergò homo essentialitèr affirmatur de bruto.

Sol. Nec homo, nec non homo prædicatur essentialitèr de animali; valet quidem argumentum à contradicentibus *absolutè* sumptis, & una pars talis propositionis vera est semper, & ita verum est quod non homo prædicatur de animali, at non valet illud argumentum cum talibus *determinationibus* (essentialitèr, primò, & per se:) verum itaq; est quod non homo prædicatur de animali, sed illud nec *essentialitèr*, nec *accidentalitèr*, cùm non sit aliquod prædicabile respectu ipsius.

SECT. 3.

De usu huius regulæ.

Vsus hujus regulæ est duplex, ut cognoscamus

1. Quid superius aut prius sit, nam id quod prædicatur de altero in rectâ serie superius est, sive mediatè, sive immediatè; quod etiam prædicatur in serie laterali, remotè superius, proximè prius non superius dicitur.
2. Ea omnia quæ ita de subjectis suis prædicantur ad idem prædicamentum referri cum subjectis.

SECT. 4.

De secunda regula Ante-prædicamentali.

Secunda Regula est, *Diversorum generum non subalternatim positorum differentiæ specie sunt diversæ*, at nihil prohibet easdem esse differentias generum subalternatim positorum.

Hæc regula consistit in duplici habitudine, altera

1. *Generum* subalternatim positorum, quæ possunt easdem habere differentias.
2. *Generum* non subalternatim positorum, quæ non possunt

(Diverſorum Generum.)

Genera ſunt tripliciter diverſa, vel

1. Quæ *diverſorum* ſunt prædicamentorum, ſive ſumma ut Subſtantia, Quantitas, &c. ſive ſubalterna ut animal, & continua Quantitas.

2. Quæ *eiuſdem* ſunt prædicamenti, tamen unum ponitur ſub altero, ut ſubſtantia, corpus, corpus animatum, animal.

3. Quæ ejuſdem ſunt prædicamenti, & unum non eſt ſub altero, ut animal & planta, corpus & ſpiritus; nam illa ambo ſunt ſub animato corpore, hæc ambo ſub ſubſtantiâ inveniuntur, neutrum tamen ſub altero.

(Non ſubalternatim poſitorum.)

Non de quibuſcunq; diverſis generibus, ſed de non ſubalternatim poſitis inſtituitur hæc regula.

Genera ſubalternatim poſita ſunt duplicia,

1. Ea quorum unum continetur ſub altero, ſicut ſubalternatim poſita dicuntur animal & corpus vivens.

2. Ea quorum vtrumq; ſub eodem tertio continetur, ut animal & planta ſub vivente corpore, ſic quod genera non ſubalternatim poſita, ſunt ea *quorum nec unum ab altero continetur, nec ambo ab eodem tertio*; id eſt, quæ diverſorum ſunt prædicamentorum, ſive ſint primò diverſa & ſumma, ut Subſtantia, Quantitas, &c. ſive ſub diverſis ſummis ponantur, ut corpus, calor.

(Diverſæ ſpecie ſunt Differentiæ.) Differentiæ dicuntur differre ſpecie ab *effectu*, quia faciunt ſpecies (quas cõſtituunt) differre ſpecie.

Notandum *ex Porphyrio* differentias eſſe duplices, ſcilicet

1. *Conſtituentes*, quæ eſſentiam ſpeciei conſtituunt, ut eſt ſenſibile & animatum reſpectu animalis.

2. *Dividentes*, quæ dividunt ipſum genus, & in diverſas ſpecies deducuntur, ut rationale & irrationale reſpectu animalis.

Harum autem differentiarum eſt talis regula, quòd ſemper inferius participat omnes differentias conſtituentes ſuperioris, ut animal participat omnes differentias conſtituentes corporis, at non omnes dividentes, nam non participat inanimatum, nec ullas differentias dividentes inanimati corporis. Contrà ſuperius habet omnes differentias dividentes inferiorum, ſed non omnes conſtituentes, ut quæcunq; differentiæ

rentiæ dividunt animal dividunt corpus, licet non immediatè; at quæcunq; constituunt animal non constituunt corpus, ut patet de animato & sensibili.

SECT. 5.

De applicatione eorum quæ dicta sunt in explicatione verborum.

Si itaq; per genera *non subalternatim* posita intelligantur, primò ea quorum unum non continetur ab altero; amboq; tamen ab eodem tertio, ut sunt planta & animal, tunc intelligenda est regula de ijs *divisivis*, id est, talia genera non habent easdem differentias *divisivas*, sed habent easdem constituentes omnis generis in quo conveniunt: Secundò si ea Genera intelligantur quorum nec unum sub altero, nec ambo sub eodem tertio continentur, id est, ea quæ sunt diversorum prædicamentorum, tum possumus interpretari hanc regulam de vtrisq; differentijs & constituentibus & dividentibus, quia nullas easdem habent; & sic est potiùs regula interpretanda secundum mentem *Aristotelis*, ut ex fine & vsu regulæ patebit.

Quod autem ad posteriorem partem regulæ spectat, si per genera subalternatim posita intelligantur, ea quorum unum continetur sub altero, ut animal & corpus animatum, ita intelligenda est regula; Quod possunt habere easdem differentias & constituentes & dividentes, sed non omnes, sed aliquas, nam illæ differentiæ quæ sunt inter ipsa duo dividunt superius, sed non inferius, constituunt inferius non superius. Sin verò ea quæ ambo ponuntur sub eodem tertio, non tamen unum sub altero, tum ita regula est exponenda, quod possunt habere easdem constituentes, non omnes, sed aliquas easq; remotas, nullas autem dividentes, ut patet de animali & plantâ, quæ nullas dividentes easdem habent, sed easdem habent remotas constituentes: Quod autem dictum est in hâc regulâ de differentijs dividentibus, idem de speciebus dici potest.

SECT. 6.

Eandem rem esse non posse in diversis prædicamentis.

Errant isti homines qui concedunt in diversis prædicamentis eandem rem posse poni diverso respectu (si in vtroq; poni directè asserant:) potest enim res quædam poni in diversis in vno *directè*, in altero *reductivè*, vt scientia in prædicamento qualitatis *directè*, in prædicamento relationis *reductivè*: at poni directè non posse confirmatur eo argumento, quia tum aliqua res haberet duo proxima genera, & duas proximas differentias, in vtroq; scilicet prædicamento, in quo ponitur, & sic eadem res haberet duas proximas definitiones, & proximas duas essentias, contrà *Aristotelem 6.* Topic. *Vnica est vnius rei definitio, vnica essentia:* Imò sequeretur quòd idem differret à seipso, prædicamento, & consequenter genere & differentiâ, quia diversorum prædicamentorum diversa sunt genera & differentiæ, & sic specie & essentiâ idem à seipso differret; Quòd si aliquis terminus inveniatur qui possit directè poni in diversis prædicamentis, pronunciandus statim est, terminus æquivocus; sic corpus ponitur in prædicamento Substantiæ & Quantitatis *directè*, at non idem corpus; illud enim est materialis *substantia*, hoc autem est triplex illius substantiæ *dimensio*; illud hujus *subiectum* & *principium*, hoc illius *accidens* & *affectio*.

Ob. Rationale est differentia animalis & scientiæ, nam scientiæ dividuntur in *rationales*, ut Grammatica, Dialectica, Rhetoriça; & *reales* quæ sunt cæteræ.

Sol. Rationale est æquivocum, est enim vel
1. *Intuens*, ut angelus
2. *Discurrens*, vt homo.
3. *Dirigens*, ut scientia; illa *naturalia* sunt, hoc *artificiale*, dirigens humanam rationem in suis actionibus.

Ob. Quæ

Ob. Quæ genera ſunt diverſorum prædicamentorum ſub altero ponuntur, ut animal et ſcientia, cùm ſunt ſubalterna genera, ergo ſunt ſubalternatim poſita.

Sol. Aliud eſt dicere genera *ſubalternatim* poſita, aliud *ſubalterna*; nam dicuntur ſubalterna propter reſpectum ad *alternam* nominis mutationem, cum aliquando ſunt genera, aliquando ſpecies, ſed *ſubalternatim* poſita dicuntur propter reſpectum ad *ſe invicem*, quando unum continetur ab altero, aut ambo ab eodem tertio; ſic animal et ſcientia ſunt genera *ſubalterna*, ſed non *ſubalternatim* poſita; Contrà ſubſtantia et animal ſunt ſubalternatim poſita, ſed non *ſubalterna* genera cùm ſubſtantia ſit ſummum genus.

Ob. Figuræ vt triangulus, quadrangulus, circulus, ſunt in prædicamento Quantitatis, cùm conſtant ex lineis et ſuperficiebus, quæ quantitates ſunt, et in prædicamento Qualitatis cùm ſint quartæ ſpeciei.

Sol. In ipſis duo conſiderantur, ſcil.

1. *Materia*, quæ eſt quantitas, et pròpter hanc non debemus illa referre ad prædicamentum Qualitatis.

2. *Forma*, quæ eſt delineatio et expreſſio quantitatis, ſcilicet, concurſus iſtarum linearum aut ad angulos *acutos* ut in triangulo, aut ad angulos *rectos*, vt in quadrangulo, aut ad *rotunditatem* vt in circulo; et ratione hujus ſunt in prædicamento Qualitatis; nam formæ eſt, non materiæ reponere in prædicamento.

SECT. 7.

De vſu huius regulæ.

Vſus hujus regulæ quantum ad priorem partem eſt, oſtendere naturas prædicamentorum eſſe impermixtas, ſummaq; rerum genera eſſe inter ſe diſiuncta, diſiunctas etiam eſſe omnes eorum ſpecies et differentias: Quantum autem ad poſteriorem, oſtendere habitudinem earum rerum quæ in eâdem ponuntur categoriâ.

Hic tamen adnotandũ de differentijs quas *Arist.* pro exemplis assignat, quòd licet essentiales non sint, tamen excusandus *Aristoteles*, tùm quòd nos lateant essentiales, tùm quod illæ faciunt quod *Aristoteles* intendit, scilicet, ostendunt easdem differentias non esse earum rerum, quarum vna ab alterâ non continetur.

Differentiæ animalis sumuntur aut à

1. *Loco*, ut animal terrenum, aquatile.
2. *Motu*, ut animal gressibile, reptile.
3. *Numero* pedum, ut animal bipes, quadrupes.
4. *Vi & facultate animi*, vt rationale, irrationale.

Vt autem *Aristoteles* & *Porphyrius* de exemplis suis eximantur à calumniâ, notandum quòd tria sunt obseruanda in tractandâ scientiâ, scilicet,

1. *Præcepta* seu *regulæ*, quæ semper in omni scientiâ in summo gradu certitudinis esse debent.

2. *Probationes* seu argumenta, quæ semper debent materiæ de quâ tractatur, conformari: si materia sit necessaria, (ut in Mathematicis) tum necessariæ debent esse talis scientiæ probationes & demonstrativæ: si autẽ materia sit contingens probabiliſvè (ut in Politicis, & in Moralibus) tum probabiles debent esse talis scientiæ probationes & Topicæ; nec requiritur necessitas nisi vbi eam materia pro suâ conditione admittit, ut docet *Arist.* 1. Ethic. cap. 3.

3. *Exempla*, quæ minimum gradum certitudinis requirunt, nec tam propter *probationem*, quàm propter *illustrationem* in scientijs adhibentur, nec aliter probant quàm illustrando, quod si persolverint, non est aliquid exactius ab illis requirendum.

TRAC.

TRACTATVS NONVS.

SECT. 1.
De Prædicamentis in genere.

Priuſquam ad prædicamentorum explicationem veniatur, æquum videtur, propter meliorem eorum cognitionem, vt aliqua quæ illis omnibus conveniunt, præſciantur: Duo itaq; conſideranda erunt: primo de *naturâ*: ſecundò de *numero* prædicamentorum: In tractando autem naturam prædicamentorum, conſideranda primò *definitio* eorum quid ſint. Secundò *partes*, quæ in prædicamento ponuntur. Tertiò *conditiones* iſtarum partium, qualia illa debent eſſe, quæ ponuntur in prædicamẽto. Quartò, *modi*, quibus res in prædicamentis reponuntur: In *numeri* autem tractatione, conſiderandum & quot ſunt prædicamenta; & quibus modis prædicamenta diſtinguuntur.

SECT. 2.
De Definitione Prædicamenti.

Prædicamentum eſt ſeries generum, ſpecierum, & individuorum, ſecundum ſub & ſupra poſitorum. Vbi conſiderandum erit *definitum*, & partium *definitionis* explicatio: Quod ad *definitum* attinet, notandum quod prædicamentum

Capitur dupliciter, vel
- 1. *Simpliciter*, pro ſummo genere alicujus ordinis rerum; vt pro ſubſtantiâ illâ, quæ eſt communis omnibus ſubſtantijs iſtius prædicamenti: & ſic *res* proprie non dicuntur eſſe *in* prædicamento, ſed *ſub* prædicamento.
- 2. *Complexè*, pro multis generibus, & ſpeciebus, & individuis ejuſdem rationis, ordine quodam ſubjiciendi et prædi-

prædicandi debitè connexis et coagmentatis : et ita hic ipsum definitur, et sic res dicuntur esse *in* prædicamento.

(Prædicamentum) complexè sumptum; (Est ordo) i. locus communis, vel series, vel schema, vel aggregatio (generum) scilicet summi, et subalternorum sub illo summo. (specierum) sc. subalternarum et infimarum: (individuorum) i. quæ sub istis generibus continentur, et speciebus; (Secundum sub, et supra positorum) i. ita invicem combinatorum, ut alia sint *superiora*; alia *inferiora*, alia *prædicata*, alia *subiecta*.

Ob. Individua sunt infinita, ideo non sunt suscipienda in scientiam: vt docet *Porph.* in cap. de specie tex. 34. ex *Platone*, et consequenter non habent locum in prædicamentis.

Sol. In individuis duo spectanda sunt, tum

1. *Numerus* eorum, qui est *infinitus*, ideoq; non sunt quoad *numerum* tractanda in scientia.

2. *Natura* eorum, quæ *finita*, et *determinata* est, cùm non sit alia, quam natura specierum, et quantum ad hanc tractari possunt: individua ergo *absolutè* sumpta, et secundùm *seipsa* minus sciri possunt; sed *comparatè* in ordine ad speciem, in quantum sunt *subiecta* ejus, benè sciantur.

SECT. 3.

De partibus prædicamentorum, sc. quæ in prædicamentis ponuntur: res, vel voces.

Non voces sed res per se ponuntur in prædicamentis: sicut enim *prædicabilia* sunt voces attributæ rebus, sic *prædicamenta* sunt res subjectæ vocibus: Quod si aliquando voces nimis vsurpasse videatur *Aristoteles*, id facit propter res ipsas, quarum voces sunt signa: sic, quòd *formaliter* voces, *finaliter* res, i. res *per* voces, voces *propter* res tractasse videatur.

Ob. Illa simplicia, quæ ponuntur in prædicamentis, aut substantiam significant, aut quantitatem, aut qualitatem, *&c*, vt inquit *Aristoteles*, de categoriis cap. 4. tex. 1. at vocum est, significare, non rerum; ergo.

Sol. Ea quæ ponuntur in prædicamentis, significant substantiam, etc. i. nomina eorum, quæ sunt in prædicamentis *significant*, ipsa autem *sunt*; Quum autem dicantur ipsa significare, ponitur actus *signatus*, pro actu *exercito*.

Ob. Dici

Ob. Dici ſeu prædicari eſt proprium vocum, at prædicari convenit ijs quæ ſunt in prædicamentis, ergo.

Sol. Et prædicantur voces in quantum *proferuntur*, & res in quantum vocibus *repræſentantur*.

Ob. Quæ ſubijciuntur & prædicantur, ponuntur in propoſitione, at res non ponuntur in propoſitione, quià tum res eſſent pars orationis, quæ non niſi ex vocibus conſtat, ergo.

Sol. Aliquid ponitur in propoſitione, aut

1 *Intrinſecè*, & ſic ſoli termini dicuntur *poni in propoſitione*.

2 *Extrinſecè*, & *obiectivè*, & ſic res bene dicuntur *poni in propoſitsione*, cò quòd concipiuntur, & enunciantur, (mediante propoſitione) ſic, quòd dicendum, quod res ex ſeipſis habent *aptitudinem* prædicandi, *actum* autem prædicandi à vocibus habent: ſic quod ſunt res quæ prædicantur, ipſæ autem voces ſunt ſolum inſtrumenta, *quibus* prædicantur.

SECT. 4.

De conditionibus requiſitis, vt aliquid ponatur in Prædicamentis.

Vt aliquid ponatur in Prædicamento ſex conditiones requiruntur,

1 Vt ſit ens *reale*: vnde *fictitia* excluduntur, vt Chimræa, & ſecundæ intentiones & voces artis.

2 *Vnivocum*, vnde quæ ſunt *ambiguæ* ſignificationis.

3 *Simplex*, vnde quæ ſunt *complexa*, vt homo albus.

4 *Completum*, vnde *partes* & *principia*.

5 *Limitatum*, & *finitum*, tum *eſſentiâ*, vnde *Deus*: tum *prædicatione*, vnde *tranſcendentia* excluduntur: nam *Deus* nullos fines eſſentiæ, *tranſcendentia* nullos limites ſuæ prædicationis admittunt.

6 *Poſitivum*, vnde negationes, & privationes excluduntur.

SECT. 5.

De modis, quibus aliquid ponitur in prædicamentis.

Aliquid ponitur in prædicamento dupliciter, vel
- 1 *Propriè* idq; dupliciter, vel
  - 1 *Directè*, vt genera, species, individua: ista enim in recta linea prædicamentali continentur.
  - 2 *A latere*, vt differentiæ, quæ non *directè* sub genere, sed *ad latus* generis ponuntur.
- 2 *Improprie & reductivè*, reducitur autem aliquid ad prædicamentum, quadrupliciter vel, vt
  - 1 Vt *partes* integrales ad prædicamentum *totius*; vt manus & caput hominis, ad prædicamentum hominis.
  - 2 *Privationes*, ad prædicamentum habitus, vt cæcitas ad seriem visus.
  - 3 *Principia* ad prædicamenta principiatorum: vt punctum ad prædicamentum lineæ.
  - 4 *Imperfecta* ad genus perfectum; vt motus ad genus sui termini, vt augmentatio & diminutio ad *quantitatem*, generatio & corruptio ad *substantiam*: Adde si velis quintum modum, quo *existentia* rei, ad prædicamentum rei, cujus est *existentia*, reducitur, vt existentia hominis ad Prædicamentum hominis,

SECT. 6.

De divisione prædicamenti, seu prædicamentorum numero.

Quod non
- 1 *Subiectum*, quod est ens per se & sua vi subsistens, & alia sustinens; & illud est *substantia*.

2 *In*

possunt esse plura, quam decem prædicamenta, ex eo patet quod omne ens aut est

- 2 *Insubiecto* & à substantia dependens; vt *accidens*, & illud necessario est, vel
  - *Absolutum* idque aut consequitur
    - *Materiam*, vt quantitas.
    - *Formam*, vt qualitas.
  - *Relatum* quod aut est
    - *Internum*, & sic est (ad aliquid.)
    - *Externũ*, quod aut provenit *

* ab
- *Interno* fundamento in subjecto, vt
  - *Actio*, quæ à potentia.
  - *Passio*, quæ ab impotentia.
- *Externo* fundamẽto in subjecto, vt
  - 1 *Tempore*, vt *Quando*.
  - 2 *Loco respectu totius*, vt *Vbi*.
  - 3 *Loco respectu partium*, *vt Situs*.
  - 4 *Vestimento*, vt *Habitus*.

SECT. 7.

De modis distinctionis Prædicamentorum.

Prædicamenta distinguuntur dupliciter, nimirum

- A *priori*, & *intrinsecè*, per modos *essendi*, sic modus substantiæ, est *esse per se*; modus quantitatis esse *divisibilis per se*: modus ad aliquid, esse *totum ad aliud*; & sic de cæteris, vt patet ex eorum definitionibus.
- A *posteriori*, & *extrinsecè*, per suos proprios modos prædicandi de prima substantia: vnde proprius modus substantiæ est prædicari *in quid*, Quantitatis in *quantum*, Qualitatis in *quale*: &c.

SECT. 8.

Prædicamenta esse Dialecticæ Considerationis.

In Prædi-
- 1 *Forma* prædicamenti, quæ est coordinatio rerum positarum in prædicamento secundum subjectionem

camentis duo sunt considerandа, & nem & prædicationem, & sic pertinent ad *dialecticam.*

2 *Materia*, prædicamenti, quæ sunt res coordinatæ in quibus duo considerantur:

scil. 1 *Constitutio essentiæ*, secundum quam res *absolutè* in seipsis considerantur; & sic ad *Metaphysicam* spectant: & ita *Aristoteles* de illis in quinto *Metaphysicorum* tractavit.

2 *Forma prædicationis & subiectionis*, secundum quam res *comparatè* spectantur in ordine ad aliud, sc. superius & inferius, & sic ad *Dialecticam* pertinent.

Ob. Substantia *Physica*, quantitas *Mathematica*, est considerationis, ergo non *Dialectica*.

Sol. Accuratè notandum duo observanda in omni scientia,

1 *Materiam* scientiæ, scil. circa quam versatur, & secundum hanc non distinguuntur scientiæ, sed in diversis scientijs eadem materia sine confusione tractari potest.

2 *Formam* scientiæ, quæ est modus considerandi ipsam materiam; & penes hanc scientiæ distinguuntur; sic consideratur substantia in *Dialectica*, secundum *prædicationem*; in *Metaphysica*, secundum *essentiam*, in *Mathematica*, secundum *quantitatem*; in *Physica* secundum *mobilitatem*: similitèr consideratur quantitas in *Dialectica* secundum prædicationem; in *Mathematica* secundum abstractionem à motu & materia; in *Physica* secundum inhærentiam in corpore mobili: sic quod, quando aliquid in diversis scientijs tractatur, id semper secundum diversum modum contingit.

Ens consideratur secundum

1 *Prædicationem & subiectionem*, sic *Dialecticæ.*
2 *Mobilitatem*, sic *Physicæ.*
3 *Essentiam*, sic *Metaphysicæ.*
4 *Quantitatem*, sed abstracte consideratam, i. sine subjecto in quo inhæret: sic *Mathematicæ* scientiæ subiectum est.

SECT.

SECT. 1.

Eorum, quæ Ariſtoteles *dixit de Subſtantia, analyſis.*

Diviſione Subſtantiæ in { 1 *Primam.* 2 *Secundam.*

1 *Naturam* quæ conſtat ex his partibus, nempè *Ariſtoteles* in hoc cap. tractat Subſtantiam dupliciter, & quoad

2 *Propri-etates* de quibus in ſuis locis dicetur

2 *Cõparatione* duplici ſubſtantiarum, vel ad

1 *Accidentia* reſpectu *primarũ* Subſtantiarum, quæ cõparantur vel quoad

1 *Prædicationem* in qua differunt quia, ſc.

1 *Secundæ Subſtantiæ* de primis dicuntur ſecundum nomen & rationem.

2 *Accidentia* quædam

1 Secundum *nomẽ* ſed non *rationem* vt *concreta.*

2 Nec ſecundum nomen, nec rationem, vt *abſtracta.*

2 *Depẽdentiam*, quâ tam ſecũdę ſubſtantię, quam accidentia depẽdent à primis ſubſtantijs, tum

1 *Illæ*, quia de ijs dicuntur, vt *ſubiectis.*

2 *Hæc*, quia ijs vt ſubjectis inſũt, ideo ſublatis primis Subſtantijs nihil loci relinquitur cæteris omnibus.

1 *Primarum ad ſecundas*, eſt enim illa maximè Subſtantia dupliciter

1 Quia *maximè ſubſtat* accidentibus, quibus *primò* ſubjacet.

2 Reſpectu *ſuperiorũ* ſubſtantiarũ quibus omnibus ſubijcitur.

2 *Se invicem*, quæ comparatio multiplex eſt nempe aut

2 Secundarum inter ſe: quarum ſpecies & inferior eſt magis ſubſtantia quam genus, & ſuperior; quia illa magis ſubjacet accidentibus, cum propiùs accedit ad primam ſubſtantiam.

3 *Primarum inter ſe*, Specierum inter ſe, Generum inter ſe, quorum vnum non ſubalternatur alteri; & hoc modo æqualitèr ſunt ſubſtantię: vt *Plato* cum *Socrate*, Homo cũ Leone, Animal cum Plantâ.

SECT. 2.
De diſtinctione nominis ſubſtantiæ.

Subſtantia capitur apud *Dialecticos*, vel pro
- 1 *Eſſentiâ* vniuſcuiuſque; ſicut color dicitur de *Subſtantia* albedinis; & ſic capitur Subſtantia in definitione *æquivocorum* & *vnivocorum*.
- 2 *Omni eo quod non eſt accidens*; & ſic differentia dicitur ſubſtantia.
- 3 *Eo quod ſua vi ſubſiſtit*, & ſuſtinet accidentia; quæ perfectæ ſubſtantiæ appellantur (ſicut priores imperfectæ) & hoc vltimo modo, hic ſumitur.

SECT. 3.
De ordine Prædicamenti Subſtantiæ.

Prędicamentum Subſtantiæ præcedit prædicamenta accidentium, quia Subſtantia eſt accidente prior, &
- 1 *Naturâ*, tum quia eſt
  - 1 *Ens per ſe*, accidens vero ens gratia alterius; at id quod per ſe eſt ens, prius eſt quam illud quod per accidens.
  - 2 *Cauſa accidentium*, & quia
    - 1 *Efficiens*, quia producit.
    - 2 *Finalis*, quia perficit.
    - 3 *Formalis*, quia definit.
    - 4 *Materialis*, quia ſuſtinet ipſa accidentia.
- 2 *Cognitione*, quia ſc. accidens per ſubſtantiam definitur, partes autem definitionis ſunt definito notiores: 6. Topic. cap. 4. text. 5.
- 3 *Dignitate*, & quidem
  - 1 *Eſſendi*, quia eſt ens *per ſe*, & ſua vi ſubſiſtens, accidens gratia ejus.
  - 2 *Prædicandi*, quia nobiliſſimum habet modum prædicandi de prima Subſtantia: quia prædicatur de eâ *eſſentialiter*, & in *quid*; cùm cætera prædicamenta prædicantur *accidentaliter* & in *quantum*; in *quale*, &c.

SECT. 4.

SECT. 4.

De diviſione ſubſtantiæ in primam & ſecundam.

Subſtantia dupliciter conſideratur altero modo,

1 *Abſolutè*, vt eſt ens per ſe ſubſiſtens, & ſic dividitur in ſubſtantiam *corpoream*, & *incorpoream*, & illa diviſio eſt generis in ſpecies.

2 *Comparatè*, reſpectu accidentium, & vt eſt eorum ſubjectum, & ita dividitur in primam, & ſecundam ſubſtantiam: i. primum & ſecundum ſubjectum, nam ſingularis ſubſtantia eſt *primum ſubiectum*, & gratia ejus vniverſalis ſubſtantia eſt ſubjectum; ideoq; *ſecundum* appellatur; cum itaq; dividit *Ariſt.* ſubſtantiã in primã, & ſecundam, eſt idem, ac ſi divideret in primum, & ſecundum ſubjectum, & hæc diviſio eſt *Analogi* in *Analogata*; quia, prima ſubſtantia eſt *magis* ſubſtantia, & *priùs* ſubſtantia, i. magis & *priùs* ſubiectum eſt accidentibus, quam ſecunda.

SECT. 5.

De derivatione ſubſtantiæ.

Vt meliùs intelligatur prior diſtinctio, notandum quòd ſubſtantia dicitur, aut à

1 *Subſtantiando*, quià *efficit* ſubſtantias, & ſic Deus propriè *ſubſtantia* dicitur.

2 *Subſiſtendo*, quia ſua vi *ſubſiſtit*, quo modo, omnia quæ ſunt in recta ſerie hujus prædicamenti dicuntur *ſubſtantiæ*, idque *æqualiter*.

3 *Subſtando*, quia *ſubſtat* aut ſubijcitur accidentibus, quod omnibus etiam convenit rectæ ſeriei ſubſtantijs, ſed jure inæquali, quia *maximè* ſubſtantiæ *primæ* ſunt, & *magis*, quæ magis accedunt ad *primas*.

SECT. 6.

De definitione primæ ſubſtantiæ.

Prima ſubſtantia in hunc modum definitur ab *Ariſtotele*: *Subſtantia, quæ principaliter, & primùm, & maximè appellatur, ea eſt, quæ nec de ſubiecto*

subiecto dicitur aliquo, nec *in subiecto aliquo inest*.

Vbi & *definiti*, & definitionis partium explicatio observanda est. De *definito* autem, tum quæ prima substantia intelligatur? tum quarè ista epitheta (principaliter, primùm, & maximè) illi attribuimus?

Substantia enim *prima* tripliciter dicitur, scil. in

1 *Efficiendo*, sic *Deus* est *prima* substantia, quia alias omnes *efficit*.

2 *Prædicando*, sic summum genus hujus prædicamenti est *prima* substantia.

3 *Subiiciendo*, sic individua hujus prædicamenti sunt *prima* substantiæ quia primò *subiiciuntur* accidentibus; & hoc modo sumitur (prima substantia) in hâc definitione.

Hæc etiam substantia prima dicitur substantia, &

1 *Principaliter*, respectu quantitatis; nam quantitas etiam subijcitur accidentibus quibusdam, sed *minùs principaliter*: est enim *prima* substantia eorum, & etiam quantitatis præcipuum fundamentum.

2 *Primùm*, respectu *secundarum* substantiarum quæ substant gratia *primarum*.

3 *Maximè*, respectu vtriusque nam maximè substant primæ substantiæ dupliciter, aut

1 *Superioribus*, cum ipsa substantia sit infimum in prædicamento.

2 *Accidentibus*, nam (vt dixi) priùs accidentibus subijcitur; sic, quod est maximè subjectū, tum *prædicationis*, ratione superiorū: tum *inhæsionis*, respectu accidentium.

(Quæ nec de subjecto vllo dicitur) vnde patet ejus *singularitas* (nec in subjecto aliquo inest) vnde patet suæ naturæ *proprietas*.

Notandum quod prima substantia est finita dupliciter, & quia est

1 *Prima in substando*, vnde illi convenit (non inesse in subjecto.)

Vltima in subsistendo; vnde illi convenit (non dici de subjecto,) i: de inferiori, quia sub infimo nihil est, de quo possit dici.

SECT. 7.

Quare prima substantia definiatur per negationem.

Ob. Definitio, quæ per negationem datur, est vitiosa, vt affirmat *Aristoteles*, 6. Topic. cap. 3. ergo malè definitur prima substantia per duas negationes.

Sol.

Sol. *Ariſtoteles* in iſto toto libro loquitur tantum de *eſſentialibus* definitionibus, quæ ex genere & differentia conflantur; at *deſcriptiones* quandoq; negativas eſſe, non negat, præſertim cum iſtis definitionibus, ſeu potius deſcriptionibus negativis poſitiva quædam inſinuantur; nam cum *de nullo ſubiecto dicitur*, inſinuatur eſſe *ſingularis*, & cùm dicitur *non eſſe in aliquo ſubiecto*, inſinuatur *vi ſuâ ſubſiſtens*.

Duplicem ob cauſam res aliquando negativè definiuntur, & propter

1. *Imperfectionem magnam*, quando ab omnibus in illo genere ſuperantur, ſic quod nullum reperiatur aptum, per quod explicari poſſunt: & ſic materia quæ eſt ens *imperfectiſſimum*, negativè definitur ab *Ariſtotele* 7. Metaphyſ. text. 8. *eſſe id quod nec eſt quale, nec quantum, &c.* ob hanc cauſam accidens definitur à *Porph.* & *Ariſtotele*, negativè.

2. *Perfectionem magnam*, quando nihil eſt in eodem genere, quod ei dignitate adæquatur; & ob hanc cauſam, primam ſubſtantiam definiunt negativè.

SECT. 8.

De definitione ſecundarum ſubſtantiarum.

Secundæ ſubſtantiæ definiuntur ab *Ariſtotele*, eſſe *genera, & ſpecies, in quibus primæ ſubſtantiæ continentur:* vt prima ſubſtantia eſt *Socrates*, itaq; ſecunda eſt Homo, quia eſt ejus ſpecies; & Animal, quod eſt ejus genus, & quodlibet ſuperius in quo continetur.

In ſecunda ſubſtantia dicitur contineri prima, non *actu eſſendi* (ſic enim ſecundæ continentur à primis,) ſed *potentia prædicandi*.

Ob. Si autem dubitetur, quare ſecundæ ſubſtantiæ definiuntur in plurali numero, cùm prima ſubſtantia definiebatur in ſingulari.

Sol. Reſpondendum illud fortaſſe *Ariſt.* feciſſe, ad oſtendendã diverſitatẽ ſecundarum ſubſtantiarũ, in quibus gradus ſint, quia aliæ ſpecies ſunt, alia genera, aliæ *magis* ſubſtantiæ, ſc. primis propinquiores, aliæ *minus* ſubſtantiæ, & ab eâ remotiores; at talis diverſitas primis non convenit, cùm omnes ſint tum ſingulares, tum æquales ſubſtantiæ.

Illud autem notandum, omnẽ ſubſtantiã, tum primam, tum ſecundã eſſe cõpletam & perfectã; non enim ſubſtantia *indefinitè* ſumpta hic dividitur, ſed ſubſtãtia *perfecta*, qualis eſt illa, quæ in *recta* ſerie prædicamẽti ordinatur: vnde patet, omnes partes, tum *eſſentiale* tum *integrales*

ab hac diviſione excludi; vnde pes, manus, aut os, aut caro, non eſt ſecunda ſubſtantia, quia eſt imperfecta: nec hoc caput, illa auris eſt prima ſubſtantia, cùm ſit pars: nec differentiæ ſubſtantiarum, ut rationale, ſenſibile, animatum, ſunt ſecundæ ſubſtantiæ, quia ſunt imperfectæ & partes: ſic quod in hac diviſione, illæ ſolæ ſubſtantiæ continentur, quæ ſunt in *recta* ſerie prædicamenti.

SECT. 9.

Cap. obiectionum contra hanc diviſionem, & ordinem.

Ob. Subſtantia debuit prius definiri, quam dividi, ergo malus ordo ſervatur ab *Ariſtotele*.

Sol. Negatur antecedens, tum
1. Quia non poteſt, cùm ſit ſummum genus.
2. Quia ex dictis in ſecunda diviſione, ejus deſcriptio intelligitur, aut intelligi poteſt.
3. Quia, ut hic ſumitur, ſc. ut ſubjectum eſt accidentium, eſt *æquivocum*, aut *analogum*, ideoq; magis indiget diſtinctione.

Ob. Vnum membrum diviſionis prædicatur de altero, (nam ſecunda ſubſtantia prædicatur de prima, ut homo de *Socrate*) ergo mala eſt diviſio; nam membra diviſionis eſſe oppoſita debent; unum autem oppoſitorum non prædicatur de altero.

Sol. Subſtantia hic dividitur, non *abſolutè*, ut eſt ens *per ſe ſubſiſtens*, ſed *reſpectivè* ut eſt *ſubiectum* accidentium; licet enim homo prædicatur de *Socrate*, ut homo, aut ſpecies eſt; non tamen ut ſecundum ſubjectum eſt, non enim verè dicimus, *Socrates* eſt ſecundum ſubjectum: prædicantur igitur ſecundæ de primis, ut ſunt primarum *eſſentiæ*, non ut *ſubiectum* accidentium.

Ob. Summum genus eſt prius, quam individuum, & ejus cauſa, ergo, ipſum eſt magis ſubſtantia, quàm individuum.

Sol. Prima ſubſtantia prædicamenti hujus { In *ſubſiſtendo* eſt ſummum genus. In *ſubſtando* eſt individuum.

Ob. Hic pes, hoc caput, hæc manus, ſuſcipiunt definitionem primæ ſub-

ſubſtantiæ: nec tamen ſunt primæ ſubſtantiæ, quia non ſunt in ſerie prædicamenti: ergo.

Sol. Subſtantia prima, eſt *perfecta* ſubſtantia, ſeu *prædicamentalis*, quæ nec ineſt in ſubjecto, nec dicitur de ſubjecto; at tales non ſunt *perfectæ* & *prædicamentales*, cùm partes ſunt.

Ob. Superficies prius multis accidentibus ſubjicitur, ut coloribus omnibus, quam prima ſubſtantia; ergo ſingularis ſubſtantia non primo ſubſtat accidentibus.

Sol. Dicitur *primum ſubiectum*, aut reſpectu
1. *Inhæſionis* accidentium, & ſic ſingularis ſubſtantia dicitur primum ſubjectum inter omnes ſubſtantias.
2. *Suſtentationis* accidentium, quod vi ſuâ ſuſtinet ipſa, primò, & ſic dicitur *primum ſubiectum* etiam reſpectu quantitatis; licet ipſi *prius* inhæreant quædam accidentia: magis tamen tanquam *medio*, quam *ſubiecto*, cum vi ſua non ſuſtinet accidentia ipſa, ſed omnia etiam (cum quantitate ipſa) à ſingulari ſubſtantia ſuſtinentur & conſeruantur.

Ob. Nihil prius eſſe poteſt principio, at novem poſteriora prædicamenta, ſunt principia rerum, ergo ſubſtantia non eſt ijs prior; nec eorum cauſa, & principium eſt; Deinde, nihil eſt prius eo, quod non habet principium; at prædicamenta non habent principium: ſunt enim æterna, æterna verò ſunt, *quæ principio carent, & fine.*

Sol. Principium duplex eſt, aut principium
1. *Durationis*, quod eſt primum tempus, in quo aliqua res *exiſtit*, & tale principium, nullum *æternum*, nullum *prædicamentum* habere poteſt, & hoc principium intelligitur in definitione *æterni*.
2. *Effectionis*, quod eſt cauſa aliquam rem *efficiens*, & talia principia etiam *æterna* habere poſſunt, ſic ſol *æternæ* lucis, ſic intelligentia *æterni* motus, ſic ſubſtantia *æternorum* accidentium eſt principium: Verum autem eſt, quod principio, ut principium eſt, nihil eſt prius, dicuntur itaque principia eorum, quæ in ſuis ſeriebus collocantur, idq; principia *conſtitutionis* cui non repugnat, quod habeant aliquid ſe prius in alia ſerie, idq; principium *effectionis*.

Ob. Anima est substantia perfecta, quia nec prima, nec secunda; quod ostenditur, quia est pars animati corporis; est tamen perfecta, quia est prima perfectio animi at corporis, vt docet *Aristoteles* 2. de anima text. 7. ergo

Sol. Anima consideratur dupliciter, aut
- 1. *Absolutè*, vt est spiritus, seu incorporea substantia, & ita perfecta est, & ponitur in recta serie tanquam secunda substantia.
- 2. *Respectivè*, idq; tripliciter, vel in relatione ad
  - 1. *Materiam* & sic est *forma* & reducitur ad prædicamentũ (ad aliquid) sunt enim materia & forma (ad aliquid) 2. lib. Phys. tex. 26
  - 2. *Compositum*, & sic est *pars*, & reducitur ad prædicamentum substantiæ.
  - 3. *Suppositа sua*, sic *species* est, & ita (vt dixi) est *directè* in hoc genere.

SECT. 10.

De Comparatione secundarum substantiarum & accidentium respectu prædicationis de primis substantiis.

Aristoteles comparat secundas substantias cum accidentibus, vt differentiam eorum nanciscatur; hâc autem ratione comparat, quod secũdæ substantiæ dicuntur de primis *vnivocè*, i. secundum nomen et naturam, seu definitionem, seu essentiam: Et ad memoriam est revocandũ quod (supra dixi in expositione vnivocorum) definitionem seu essentiam in hoc loco intelligi, non *prædicati* solùm, sed etiam *subiecti*; ita ergo intelligitur illa *Aristotelis* propositio: *Secundæ substantiæ affirmantur de primis tum secundum nomen*, in quantum nomen ipsarum de primis enunciatur, *tum secundùm definitionem, & essentiam*, ic. tam suum quam subjecti sui, aut substantiæ primæ: Exempli gratia, Homo dicitur de *Socrate*, & secundùm nomen suum, nam *Socrates* dicitur Homo, tum secundùm definitionem & essentiam, non modò suam, sed etiam *Socratis*, quæ est (animal rationale:) hæc enim non minus est essentia, & definitio *Socratis* quam hominis, licet non æquè propinqua.

Iam verò si ad accidentia nos convertamus, licet inveniamus quædam accidentia, quæ affirmantur de primis substantijs, secundùm *nomen*, nullum tamen accidens secundùm *definitionem* affirmatur: quod, (vt melius intelligatur) notandũ quod (prius dictum fuit) accidentia alia *abstracta*, alia *concreta* esse; *abstracta* hic intelligit *Aristoteles*; quando dicit, permulta esse accidentia quorum nec nomen, nec definitio de primis

primis ſubſtantijs dicitur; vt albedo, non enim *Socrates*, nec vlla alia prima ſubſtantia dicitur albedo.

Nec definitio albedinis magis de vlla ſubſtantia dicitur, quoniam de quo nomen non dicitur, de illo nunquam dicitur definitio: Concretum verò intelligit, cùm aliquorum *nomen* aſſerit de ſubjecto, dici, nec tamen *definitionem*; nam album dicitur de *Socrate*; (*Socrates* enim eſt albus) ſed definitio ejus non dicitur, i. non dicitur tanquam definitio *Socratis*, ſed tantum tanquam definitio albi; nam aliter certum eſt, Quod de quocunq; definitum dicitur, de eodem definitionem dici; vt *Ariſtoteles* dicit 6. lib. Top. text. 1.

Dicitur igitur ejus definitio de ſubjecto, ſed *accidentaliter*, vt ipſum definitum; & non vt definitio ſubjecti.

Prædicantur itaq; de primis ſubſtantijs, tum ſecundæ ſubſtantiæ, tum accidentia, ſed diverſis modis; illæ enim in (quid) & *eſſentialitèr*, hæc in (quale) et *accidentalitèr*; illæ vt *partes* eſſentiales, et *principia*; hęc vt *paſſiones* accidentales, et *affectiones*; illæ de ijs dicuntur tanquam de ſubjectis *eſſentiæ*, hæc vt de ſubjectis *inhæſionis*; ſic quod eſt tripliciter diverſa ratio, quantũ ad prædicationẽ, ſc. reſpectu { 1 *Modi prædicandi.* 2. *Prædicati.* 3. *Subiecti.*

SECT. II.

De comparatione ſecundarum ſubſtantiarum & accidentium reſpectu dependentiæ à primis.

Ex iis, quæ dixit *Ariſtoteles*, conſequentèr concludit *ſublatis primis ſubſtantis tolli ſecundas, & etiam accidentia.*

Tolluntur enim accidentia, quia primæ ſubſtantiæ ſunt ſubiecta *inhæſionis*, et *conſervationis*, et *productionis* eorum: nam fluunt â principiis individuorum, tolluntur autem ſæcundæ quia habent *exiſtentiam*, *actum*, et *operationem* in primis ſubſtantiis: Sed quia *Ariſtoteles* videtur contradicere *Porph.* in communitatibus generis et differentiæ, tex. 7. vbi dicit, *ſublatis inferioribus, non tolli ſuperiora*: ideo aliqua conciliatione opus eſt: Probabilitèr reſponderi poteſt, ſublatis primis ſubſtantiis, tolli ſecundas, quantũ ad *actum* eſſendi, ſed manere quantũ ad *potentiã* eſſendi (quia iterum primæ produci poſſunt.) Probabilius multò (licet ipſa reſpõſio, quibuſdâ otioſis, et otioſè quidẽ, improbetur) tolli quantũ ad *exiſtentiam*, non tolli quantum ad *eſſentiam*, nam habent à ſingularibus ſuis, et ſubiectis *exiſtentiam* vniverſalia,

eſſentiam autem & *naturam* à ſuperioribus, & principijs: Qui autem exiſtimant tolli eſſentiam, non poſſunt id defendere (ſecundùm *Ariſtotelem*) *ſublato enim poſteriori natura, non tollitur prius*, vt ipſe docet in cap. de Prior. text. 3. At omnia individua ſunt poſteriora naturâ ſuis ſpeciebus, cùm ſpecies ſint eorum cauſæ, & principia; ergo (omnibus ijs ſublatis) adhùc ſpecies manere poſſunt.

Quod ſi reſpondeant; omnia individua ſimul ſumpta, eſſe nihil aliud quam ipſam ſpeciem: In graviorem errorem incurrunt, nam falſum ſupponunt; tum enim omnes ſingulares homines ſimul ſumpti, nihil eſſent præter hominem in communi; quod ſi non concedant, nihil reſpondent; ſi concedant, vide quid abſurdi ſequitur; nam ſi idem ſunt, tum de quot vnum eorum affirmatur, de tot alterum; at de vno ſingulari homine, vt de *Socrate* affirmatur homo in communi; ergo, omnes ſingulares ſimul ſumpti, affirmentur de *Socrate*; et ſic *Virgilius*, *Plato*, *Cicero*, et quicunq; alij homines: quod ſi abſurdum non ducant, neſcio ego quid abſurdum dicant.

Adhuc tamen accommodatius ad mentem *Ariſtotelis* mihi videtur, poſſe reſponderi, idq; facilius; nam hic (vt dixi) conſiderat *Ariſtoteles*, primas & ſecundas ſubſtantias, vt ſunt *ſubiecta* accidentium, inter quas talis eſt ordo, & cohærentia, ut *primò* & *principaliter* primis; *ſecundo* & *minus principaliter* ſecundis inhæreant accidentia; ſic quod, (*mediantibus primis*) inhærent ſecundis, & niſi eorum gratia, non inhæreant.

Reſpondeo ergo ad textum *Ariſtotelis* accommodatiſsimè: *ſublatis primis ſubſtantijs, tolli ſecundas*; quantum ad *ſubiectionem* earum ſub accidentibus, ſic quod primis ſublatis, nullis jam accidentibus ſubjiciuntur, quia principalia illorum ſubjecta corrumpuntur: manent tamen quantum ad *naturam*: hæc reſponſio nulla patet difficultate: Ex prædictis ergo apparet, ſublatis primis ſubſtantijs, non tolli ſecundas.

Quantum ad *eſſentiam* tolli tamen tripliciter, tum quoad

1. *Exiſtentiam*, quia *exiſtentia* eſt à ſingularibus & ab inferioribus; ſicut *eſſentia* a ſuperioribus, ſublatis ergo inferioribus *exiſtentia* corruit.

2. *Actionem*, & *operationem* naturæ ſuæ, quia omnis earum actio completur in *primis* ſubſtantijs; juxta illud *Ariſtotelis* 1. Metaph. cap. 1. *omnis actio eſt ſingularium.*

3. *Subiectionem* accidentibus quia ſubjiciuntur ijs, (mediantibus primis ſubſtantijs;) his ergo ſublatis, neceſſe eſt iſtam ſubjectionem auferri.

Ob. Si

Ob. Si maneant, ergo alicubi ſunt, at non poteſt explicari vbi homo communis ſit (omnibus ſingularibus hominibus corruptis) ergo

Sol. Manere (alicubi) intelligi poteſt aut manere in

1. *Aliquo ſubiecto*, & ſic manere non poſſunt: quia ſupponitur ſubſtantiam tolli.

2. *Aliquo loco*, & ſic manere non poſſunt; nam locus non eſt vniverſalium, ſed ſingularium: ſublatis ergo ſingularibus, nullum locum occupant, manent ergo, ſed in nullo loco manent.

3. *Aliquo principio*, & ſic verum eſt; nam ſublatis inferioribus, manent in ſuperioribus; non vt in *ſubiectis*, ſed vt in *principiis*: ſic manet homo in animali, & rationali (ſublatis omnibus ſingularibus hominibus)

SECT. 12.

De Comparatione primarum ſubſtantiarum ad ſecundas quantum ad dignitatem.

Docet *Ariſtoteles* primas ſubſtantias eſſe magis ſubſtantias ſecundis; id eſt, magis ſubjecta quam ſecundas, idq; dupliciter, aut reſpectu

1. *Superiorum* & eſſentialium prædicatorum in ſerie prædicamentali, quibus maximè ſubjiciuntur, cùm vltimũ ſubjectũ ſint, & infimum omnium in prædicamento.

2. *Accidentium* & accidentalium prædicatorũ, quibus etiam maximè ſubjiciuntur, non quia *pluribus*, (nam ſecundæ tot ſubjiciuntur, quot primæ) ſed quia *primò* & *propriiſſimè* ſubjiciũtur primę; ſic quod ſunt *maximè* ſubiectũtum *prædicationis*, tum *inhæſionis*; vltimum tamen *prædicationis: inhæſionis* primũ; & hoc eſt quod reſponderi ſolet; prima ſubſtantia eſt magis ſubſtantia, vt ſubſtantia dicitur à *ſubſtando*, aut *ſubiiciendo*, non autem à *ſubſiſtendo*, & *eſſendo*.

Tria autem concurrunt ad complendam rationem ſubſtantiæ primæ, alterum nempe ex parte

1. *Exiſtentia*, vt vi ſuâ exiſtat, et non ratione alterius: et hoc illi convenit in quantum *ſingularis ſubſtantia* eſt.

2. *Subiectionis* ad accidentia, vt primò accidentibus ſubiiciatur, et hoc illi convenit in quantum eſt *prima*.

3. *Effectus*, quod ſit cauſa et fundamentum, quo accidentia ſecundis inhæreant: hoc illi convenit ratione *vtriuſq;*.

SECT. 13.

De differentia inter ſingulare, & individuum, primam ſubſtantiam, ſuppoſitum, & perſonam.

Iſta quinque inter ſe differunt præcipuè in amplitudine

1. Quod dicitur (ſingulare et individuum) latiſſimum eſt, et tam ad particulares ſubſtantias, quam accidentia extenditur. Differunt tamen inter ſe, ratione, nam *individua* dicuntur ob *privativam* rationem; quia non habent inferiora in quæ dividantur *ſingularia* ob *poſitivam* rationem, quia continentur ſub vniverſali.

2. *Prima ſubſtantia* et *ſuppoſitum*, ſunt contractiora, quæ inter ſe differunt, quod dicitur (prima ſubſtantia) reſpectu *ſubiectionis*, quia primo ſubjicitur accidentibus.

3. *Suppoſitum* autem aut reſpectu *ſuperiorum* quibus ſupponitur: aut *exiſtentia* quia primum exiſtit.

4. *Perſona*, quæ contractiſſima eſt, ſignificat enim *naturam ſingularem in rationali naturâ ſubſiſtentem*: non enim ſingularis Aſinus aut equus eſt *perſona*, ſed ſolus Deus, aut angelus, aut homo, quia hæc ſola rationalia ſunt.

SECT. 14.

SECT. 14.

De comparatione specierum huius prædicamenti ad genera quantum ad dignitatem.

Species magis est Substantia quã genus tripliciter, ratione

1 *Subjectionis*, quia magis subijcitur accidentibus: propinquiùs sc. quia propinquiùs accedit ad naturam primę substantiæ.

2 *Prædicationis*, quia distinctiùs, & propinquiùs prædicatur de primis, quia magis explicat primę substantię naturam, quam genus: magis enim explicat naturam *Socratis*, homo, quam animal, nam plures partes essentiæ *Socratis continet.*

3 *Perfectionis naturæ*, quia perfectior in natura & essentia, quàm genus; eo quod plures partes essentiales continet; Vt exempli gratia, homo perfectior est, quam animal, quia in sua natura habet *rationale*, quod in essentia animalis non includitur.

SECT. 15.

De comparatione secundarum, inter se, vt specierum ad species, generis ad genus.

Licet *primæ* substantiæ *maximè* sint substantiæ; & inter *secundas* substantias, species magis sunt substantiæ quam genera: tamen species inter se, & genera inter se, *æqualitèr* sunt substantiæ (quod de omnibus speciebus & generibus simpliciter non est intelligendum) nam genera *subalterna*, quam *summa*; & species *infimæ* quam *interiectæ*, sunt *magis* substātiæ; sed intelligi debet de istis speciebus, & generibus, quæ *æqualiter* à primis substantijs distāt: vt exempli gratia, homo & Leo *æqualiter* sunt Substantiæ; quia *æqualiter* à primis substantijs distant; nam æqualiter distat homo ab hoc, & illo homine; & Leo ab hoc, & illo leone: Attamen homo est magis substantia, quam brutum, quia homo *immediatè* appropinquat ad *primas* substantias, cum brutum non nisi (mediantibus speciebus) equo, leoni, asino &c. accedat.

Sic quod generaliter istæ sunt *magis* Substantiæ, quæ magis appropinquant primis; illæ *minus*, quæ *magis* ab illis remouentur: illæ *magis*, quæ inferiores, illæ *minus* quæ superiores, illæ quæ *æqualiter* distant à primis, *æqualiter* sunt substantiæ.

SECT: 16.

De ijs ſubſtantiis, quæ non ponuntur in hoc prædicamento.

Cum explicaverimus rationem ſubſtantiæ; reſpectu *accidentium*; jam aliquo modo explicanda erit, quantum ad ſeriem *prædicamenti*; vt cognoſcamus quæ ſubſtantiæ in hoc prędicamento reponuntur, & quæ non ponuntur; quod vt meliùs cognoſcamus, notandum

Subſtantias eſſe in triplici differentiâ alias ſc. eſſe

1 *Puros actus*, & in hoc genere ſolum *Deus eſt*.
2 *Puras potentias*, & in hoc ſolum materia prima conſtituitur.
3 *Medias ex actu & potentia* conſtitutas, & in hoc res omnes præter Deum & materiam primam, ponuntur.

Horum autem *Deus* excluditur à Prædicamento propter nimiam *perfectionem*, & *puritatem* actus: materia propter nimiam *imperfectionem*, & *puritatem potentiæ*; ita quod inter omnes ſubſtantias, *Deus* in *ſummo* gradu, materia in *infimo* gradu collocetur: Solæ ipſæ verò quæ actum & potentiam participant, ſunt in prædicamento.

Vnde illi errant qui infinitam *Dei* naturam inter finitos limites hujus prædicamenti volunt includere: nam nec ipſi certam ſuæ opinionis rationem afferre poſſunt, nec (ni fallor) huic noſtræ rationi reſpondere.

Si itaque ponatur in recta ſerie *Deus*, aut ergo vt genus, aut ſpecies, aut indiuiduum; ſi vt individuum, ergo *Deus* eſt infimus, in prædicamento, qui eſt ſummus in dignitate; ergo *Deus* habet eſſentiam à ſuperioribus, qui omnibus eſſentiam tribuit; ergo ſublata illa ſpecie, cujus eſt individuum, tollitur Deus: quæ quod ipſa exiſtat, à Deo habet: Si tamen ſpecies ſiue infima, ſiue ſubalterna: ergo habet aliquod genus pro ſuo principio: (genus enim eſt principium ſpeciei) vt docet *Porphyrius* in cap. de genere; & ſic Deus non eſt prima cauſa; ergo cõſtituitur ex genere & differentia; & ſic non eſt purus actus; ſic nõ eſt ens ſimpliciſſimũm; ſic eſt aliquod ens *Deo* naturâ prius: Si genus ſummum dicant, ergo affirmatur de omnibus ſubſtantijs in prædicamento: ſic lapis eſt Deus; homo eſt Deus; ſic aſinus eſt Deus.

Eſt tamen Deus *reductivè* in hoc prædicamento quomodo principium, & cauſa, ad prædicamentum effectus reducitur; & licet prædicamenta cætera habent effectus ejus, reducitur tamen magis ad prædi-

camentum

camentum *ſubſtantiæ*, quam ad aliquod aliorum; quia ſubſtantia eſt *nobiliſſimum prædicamentum:* ſimiliter materia ad hoc prædicamentum reducitur, ratione corporis cujus *pars* eſt, & *principium*.

Deus non eſt in prædicamento

1 Propter *infinitatem ſuæ naturæ*, quicquid enim eſt in prædicamento terminum ſuæ eſſentiæ habet.

2 Propter *ſimplicitatem ſuæ naturæ*, cum ſit purus actus, quod autem eſt in prædicamento, actus & potentiæ concretionem admittit.

SECT. 17.

Angelos eſſe in Prædicamento.

Angeli, cum finitam habent naturam, & ex genere, & differentia componantur, in hoc prædicamento ſine injuria ponuntur.

Ad quod notandū quod triplex in hoc prædicamento reperitur cōpoſitio.

1 *Phyſica, ex materia & forma*, quâ componuntur compoſita ſubſtantialia, vt omnia corpora hujus prædicamenti; & hæc compoſitio eſt propria hujus prædicamenti.

2 *Dialectica ex genere, & differentia*, vt & Corporeæ & incorporeæ ſubſtantiæ: & hoc modo Angeli, & animæ admittunt Compoſitionem.

3 *Metaphyſica, ex actu & potentia*, vt etiam generaliſſimum quia ens per actum & potentiam deſcendit in decem generaliſſima (vt inquit *Ariſtoteles* 5. Metaph.) & hæ duæ compoſitiones in omnibus prædicamentis inveniuntur; inter quas talis eſt ordo, quod vbicunque eſt compoſitio ex *materia & forma*, ibi eſt compoſitio ex *genere & differentia*: & in quocunque hæc, in eodem eſt *ex actu et potentia*, ſed non è contra: nam hâc componuntur generaliſſima, quæ tamen nullam habent ex genere & differentia conſtitutionem, & ex genere & differentia Componuntur omnes incorporeæ ſubſtantiæ (præter Deum) quæ nullā tamen habent ex materia & forma concretionē, vnde facile colligitur, Angelos eſſe in hoc prædicamento; quod etiam ex *Porph.* planius cōvincitur (in cap. de ſpecie) dividente generaliſſimā ſubſtantiam in *corpoream* & *incorpoream*; ideo ſicut *corporeum* adveniens ſubſtantiæ, ſpeciem facit, *corporis*; in qua reponuntur omnes ſubſtantiæ compoſitæ ex materia &

forma; ita *incorporeum* adveniens debet constituere aliã speciem in qua ponuntur incorporeæ substantiæ compositæ ex genere & differentia, nec enim vnquam *Aristoteles* affirmat intelligentias puros esse actus: (vt mẽtitur *Tolletus*) nec negauit posse substare accidentibus.

Ob. Corruptibile & incorruptibile differuut genere (vt inquit *Aristoteles*) 10. Metaph. cap. 9. tex. 20. & vltimo; at incorporeæ substantiæ, vt Angeli sunt incorruptibiles, corpora sunt corruptibilia; ergo non sunt sub eodem genere.

Sol. Differunt quidem genere *subalterno*, at conveniunt genere *summo*; vel differunt genere summo *Physico*, nempe corpore, (nam illud est genus summum quod a *Physicis* consideratur) nam spirituum & Angelorum consideratio ad *Metaphysicam* rejicitur.

SECT. 18.

Quomodo differentiæ sunt in prædicamento: & quomodo superior de inferiori differentia prædicatur.

Notandum quod substãtia triplex est apud *dialecticos* nimirum

1 *In essendo solum*, quam vocant substantiam, secundũ *rẽ*, non secundũ *modum*, vt differentiæ substantiarũ, quę reipsa substantiæ sunt, licet *imperfectæ*, cum modum prædicandi fere habent ad modum accidentis.

2 *In prædicando solum*, quam vocant substantiam secundum *modum*, non secundum *rem*, vt accidentia, quæ sunt superiora respectu inferiorum; vt albedo, licet accidens reverà sit, tamen respectu hujus, & illius albedinis modum prędicandi in (quid) ad modũ substantiæ habet.

3 *In essendo & prædicando simul*, sc. secundum *rem* & *modum*; in *essendo* in quantum sua vi subsistit; in *prædicando & subsistendo* in quantum in recta serie prædicamenti reponitur.

Differentiæ autem duo sunt præcipui actus, alter

1 Respectu *generis* qui est, ipsum dividere; & hoc modo non est in recta serie, sed solum in latere prædicamenti, quia nec ipsa genus, nec genus ipsam essentialiter includit.

2 Respectu *Speciei*, qui est ipsam *Constituere*; & hoc modo si dicatur esse in serie recta in quantum cũ genere conjungitur, & speciem constituit, non aliquid absurdi sequitur; modo dicamus, quod non per se sed *gratia speciei* ibi collocatur.

Differentia

Differentia superior prædicatur de inferiori, vt animatum de sensibili, sensibile de rationali, non *essentialitèr*, non *interne*, non *per se*: sed *accidentaliter*, *externe*, & *per aliud*; nam rationale tanquam partem suæ essentiæ non habet sensibile, dicitur tamen rationale sensibile (vt dixi) *extrinsicè* propter subjectum, quia quod est rationale est sensibile.

SECT. 19.

De proprietatibus substantiæ, & primo de generali ratione, & vsu proprietatum summorum generum.

Quia summa genera definiri non possunt, aliqua essentiali definitione (eo quod nullam essentiam habent,) ideo, vt aliquo modo, eorum natura circūscribatur, *Aristoteles* quasdā eorū cōmunitates & proprietates tradit; quibus id fiat facilius & convenientius; sūma autē genera nullā habent essentiā, nec essentialē definitionē, cū nihil habēt superius quod attribuat istā essentiā illis, nā licet ens superius sit, nullā tamen *essentiam* summis generibus attribuit, sed tantum *nomen*, vt (ante dixi.)

Vnde quædam ponuntur in prędicamēto, quæ
- 1 *Sunt essentiæ*, sed non *habent essentiam*, vt summa genera, quæ non *habent essentiam*; quia non *habent* aliquod superius vnivocum, sed *sunt essentiæ* inferiorū.
- 2 *Habent essentiam*, sed *non sunt essentiæ*, vt (individua,) *habent* enim essentiam à superioribus, sed nullorum *sunt* essentiæ, quia sunt infima.
- 3 Et *sunt essentiæ*, & *habent essentiam*, vt omnia interjecta inter summum genus, & individua; nam *habent* essentiam à superioribus, & *sunt* essentiæ inferiorum.

Vt autē tollatur ambiguitas, cum dicit *Porph.* omne proprium converti cum sua specie: notandum quod duplex est propriū
- 1 *Ordinatum*, quod est proprium speciei, aut *infimæ*, vt risibile, respectu hominis; aut *subalternæ*, vt mobile respectu corporis.
- 2 *Extraordinatum* quod est duplex, alterum
  - 1 *Prædicamentale*, i. prędicamenti alicujus aut summi generis, qualia sunt ea, quæ hic *Aristoteles* tradit, & omnia talia sunt complexa.
  - 2 *Transcendentale*, sicut vnum est proprium entis, hoc autem proprium à *Porph.* non traditur, nec debet reciprocari cum specie.)

In his autem substantię proprietatibus, illud summa dilligentia observandum est, *Aristotelem* semper de *prædicamentalibus*, & *perfectis* substantijs loquuturum.

SECT. 20.

De prima proprietate Substantiæ & eius explicatione.

Prima proprietas substantiæ est (non esse in subjecto) quæ est secundi modi proprietas; convenit enim omni, non soli substantiæ; id est perfectæ, & completæ, hoc est primæ & secundæ (non, inesse in subjecto) i. *per inhæsionem*, & *accidentaliter*: nam (vt ante dictum est) secundæ substantiæ sunt in primis *essentialiter*, & per *constitutionem*, hoc autem non convenit solum substantijs *perfectis*, sed etiam *imperfectis* sc. differentijs, quæ sunt partes *constituentes*, & membris, quæ sunt partes *integrales* substantiarum; nam inesse in subiecto est *inesse, non tanquam pars*; (vt supra dictum fuit) quod si capiatur substantia pro perfecta substantiâ, (quomodo hic sumitur ab *Aristotele:*) tũ hoc convenit omnibus, & non solis; quod si capiatur pro substantia communi vt ad perfectam & imperfectam i. ad eam quæ ponitur in *recta* serie, vt prima & secunda; & ad eam quæ pònitur à *latere* vt differentiæ; & ad eam, quæ ponitur reductiue, vt partes integrales; tum convenit quarto modo, sc. omnibus, solis, & semper, quia ita substantia distinguitur immediate, contra accidentia, quæ solum insunt in subiectis *inhæsionis*.

Aristoteles autẽ probat hãc proprietatẽ convenire substantiæ dupliciter

1 *Indefinitè vnicuique*, quod probat inductione, hoc modo, primæ & secundæ convenit; ergo omnibus.

2 *Particulariter secundis*, quia de illis est magis dubium, idque tali Syllogismo: ea quæ insunt in subiecto, non dicuntur vnivocè de subiecto, at secundæ substantiæ dicuntur vnivocè de subiecto: ergo secundæ substantiæ non insunt in subiecto.

Ob. At *Aristoteles* videtur contradicere sibi ipsi: ipse enim in secunda antepræd icamentali divisione entis, quædam dixit, & *inesse in subiecto et dici de subiecto*, vt vniuersalia accidentia, ergo ista quæ insunt in subiecto, possunt dici de subiecto idq; vnivocè.

Sol. Respondendum *Aristotelem* hic voluisse, ea, quæ insunt in subiecto *inhæsionis*, non dici *vnivocè* de subiecto, i. de eodem subiecto *inhæsionis*; nã de subiecto *prædicationis* sc. inferioribus possunt dici *vnivocè*, nam album dicitur *vnivocè*, de hoc & illo albo; non autem dicitur *vnivocè* de *Socrate*, in quo inhæret.

Ob. Non inesse in subiecto est negatio; at negatio est non ens: non ens autem entis proprium esse non potest, ergo mala est hæc proprietas.

Sol.

Sol. Negatio *pura* non eſt ens, hæc verò negatio *mixta*, eſt & poſitiuã propreitatem includit; cum enim ante dicatur (ſubſtantiam non ineſſe in ſubiecto) illud inde colligitur, ſubſtantiam eſſe aptam per ſe eſſe.

Ob. Subſtantiam non ineſſe in ſubjecto declarat *Ariſtoteles*, tum ſecunda diviſione anteprædicamentali tex. 2. tum prius in hoc cap. de ſubſtantia, ergo hoc idem, hic iterum, fruſtra recenſetur.

Sol. Illud vſurpat *Ariſtoteles* in anteprædicamentali diviſione, propter *diſtinctionem* entis, in principio autem huius capitis pro *deſcriptione* ſubſtantiæ, & deniq; hoc loco pro *explicatione* proprietatis.

Ob. Anima ineſt in ſubiecto lib. 2. de anima text. 4. forma item ineſt materiæ 1. Phiſ. text. 62. & plus quam centies dicit, etiam naturã eſſe in ſubiecto: 2: Phiſ. omnem autem naturam eſſe ſubſtantiam ibi affirmat; ergo Subſtantia ineſt in ſubjecto.

Sol. Aliquid dicitur ineſſe tripliciter aut per
1 *Informationem*, ſic forma ineſt in materia ſicut in ſubiecto.
2 *Eſſentiã*, ſic ſuperius eſt in inferiori, vt in ſubiecto,
3 *Inhæſionem*, ſic accidens eſt in Subſtantia, vt in ſubiecto: & ſic hic capitur.

Ob. Inhærentia eſt in prima ſubſtantia (omne enim accidens eſt in prima ſubſtantia) vt docet *Ariſtoteles* in hoc cap. text. 5. ergo prima ſubſtantia eſt inhærens: Argumentum ſequitur per locum à conjugatis, ſicut hæc albedo eſt in niue, ergo nix eſt alba: vita eſt in homine, ergo homo eſt viuens.

Sol. Argumentum eſt ſummæ difficultatis; probabilitèr tamen reſponderi poteſt, negando argumentum; nec enim omne accidens quod ineſt, denominat, niſi inſit *per ſe*, ac *primò*; at inhærẽtia eſt in prima ſubſtantia *gratia accidentis*, cuius eſt inhærentia: ſic etiam licet linea, quæ eſt longitudo ſine latitudine inſit in homine, nõ tamẽ homo eſt longus ſine latitudine, eo quod linea ineſt non *per ſe*, ſed *gratia corporis*.

Ob. Accidens ineſt in ſubſtantia primâ; gratia inhærentiæ, cũ non poteſt inhærere niſi per inhærentiam, ergo inhærentia non ineſt gratia accidentis.

Sol. Reſpondeo, & inhærentiam ineſſe gratia accidentis, & accidens gratia inhærentiæ: ineſt enim inhærentia gratia accidentis, vt *relatio*, gratia *fundamenti*, fundatur enim in accidente & terminatur ad ſubiectum; Accidens ineſt gratia inhærentiæ, vt gratia *formalis cauſæ*: eſt enim inhærentia forma qua denominatur inhærere.

Ob. Ignis eſt exceſſus caloris, vt dicit *Ariſt.* 2. 1. de generatione t. 21. ergo eſt in ſubiecto, ſc. in cãdente ferro, nã in eo eſt exceſſus caloris, at ignis eſt ſubſtantia, ergo ſubſtantia eſt in ſubiecto. *Sol.*

Sol. Ignis quidem dicitur exceſſus caloris, non *formaliter* ſecundum naturam, aut rationem *eſſentiæ*, (cum ignis ſit ſubſtantia; & exceſſus caloris eſt accidens.) ſed *virtualiter* ſecundum vim *qualitatum*, & *effectum*; vel ſc. *inhæſiue*, quia ſummum caloris gradum retinet; vel *effectiue*, quia ſummum caloris gradum producere aptus eſt; debet itaq; intelligi iſta propoſitio, non (vt jacet) *in recto, ignis eſt exceſſus* caloris, ſed in *obliquo, in igne eſt exceſſus caloris* vt in *ſubiecto*; aut *ab igne eſt exceſſus caloris*, vt a *principio*; & ita multæ propoſitiones ſunt explicandæ, quæ aliter [illegible] ummam difficultatem continent.

SECT. 21.

De ſecunda proprietate ſubſtantiæ.

Secunda proprietas ſeu potius communitas, de ſecunda ſubſtantia inſtituitur, & ita ab *Ariſtotele* proponitur: *hoc autem ſubſtantiis ipſis, & differentiis attributum eſt, vt de omnibus, de quibus ipſæ dicuntur, vnicè dicantur*; quæ ita intelligenda eſt: hoc autem (Subſtantijs ipſis,) ſc. ſecundis (& differentijs,) ſc. ſecundarum ſubſtantiarum (tributum eſt:) vnde patet hoc convenire vt proprium ſecundo modo, omni, non ſoli; cum convenit etiam differentijs, vt hic *Ariſtoteles* dicit; vt de quibus ipſæ dicuntur, de ijs omnibus ſc. inferioribus ſuis *vniuoce* dicanturi. ſecundum nomen & ſubſtantiæ definitionem: hoc autem accidentibus non convenit, (vt ſæpius dictum eſt) eo quod talia non poſſunt prædicari eſſentialiter, ſed ſolum ſecundum ſuam rationem, non rationem, aut eſſentiam ſubjecti: nec debet nos movere, quod de differentijs objiciunt, quod ipſæ non habent eſſentialem differentiam, cum non componantur ex genere & differentia; nam idem etiam eſt de ſummo genere iudicium, & differentiâ, talia autem licet non prædicentur ſecundum eſſentialem *definitionem*, prædicantur tamen, quoad eſſentialem *conceptum*, ad quem etiam extenditur nomen definitionis in definitione vnivocorum.

SECT. 22.

De tertia proprietate Subſtantiæ & eius explicatione.

Tertia proprietas eſt quod *primæ ſubſtantiæ ſignificant (hoc aliquid) ſecundæ ſubſtantiæ (quale quid.)*

vt

Vt aliquid significet (hoc aliquid) tria requiruntur

1 *Individuatio naturæ*, vt singulare sit, vnde vniversalia excluduntur.

2 *Subsistentia naturæ*, vt alteri non inhæreat, vnde accidentia excluduntur.

3 *Perfectio & Completio naturæ*, vt per se subsistat, vnde singulares partes integrales excluduntur, vt hic pes, hæc manus, &c.

(*Hoc aliquid*) in diversis locis (apud *Aristotelem*) tribus modis sumitur

1 Pro *ente per se*, quomodo omne in prędicamento substantiæ, *hoc aliquid* appellat, *Aristot.* sic ens in actu, dividit, vt aliud sit, *hoc aliquid*, aliud *quantum*, aliud *quale*, lib. 3. Phys. text. 3.

2 Pro eo quod *determinatum* est in aliqua specie substantiæ, ejusmodi est vel

1 *Compositum*, vt ignis homo, Leo.

2 *Forma*, secundum quam compositum *hoc aliquid* dicitur: vt forma specifica ignis, hominis, leonis, & ejusmodi, & sic etiam capitur ab *Aristotele* in lib. 2. de anima text 20.

3 Pro *singulari substantia* perfecta, quæ propter perfectionem dicitur ens *per se* subsistens: vel *suppositum*, & sic hoc in loco.

Hæc proprietas, sc. significare *hoc aliquid*, respectu *primæ* substantię, est proprium quarto modo, conveniens omni, soli, & semper; respectu substantiæ *in genere*, est proprium primo modo, soli non omni conveniens; Regula autem ita explicanda est.

(Prima Substantia) i. nomen primæ substantiæ, nam prima substantia hoc aliquid est (significat hoc aliquid) sc. per se subsistens, ad excludendum accidentia singularia, quæ licet *hoc aliquid* videntur significare, (nam hoc album est hoc aliquid) non tamen est *hoc aliquid* per se subsistens.

Quod autem prima substantia sit *hoc & aliquid* à diversis habet, quod enim *aliquid* sit, habet à *forma* suæ speciei; quod autem *hoc* sit, habet à *conditionibus individuantibus*; vnde per hoc, quod dicit primam substantiam significare *aliquid*, intelligit significare *naturam*; per hoc, quod dicit significare *hoc aliquid*, intelligit significare *singularem* naturam, eamq; necesse est, esse *per se* subsistentem; quia talis natura est primę substantię, (secundæ autem substantię,) i. nomina secundarum substantiarum; significant, *quale quid*, sc. primarum substantiarū: quòd adjicio ad excludendū accidentia vniversalia: nā album significat quidē *quale quid*, sed non *quale quid primarum substantiarū*, secundę itaq;

ſubſtantiæ ſignificant *quid*, i. naturam, vi ſua ſubſiſtentem prædicantur enim *in quid*: ſignificant *quale* ratione differentiarum ſuarum, quæ prædicantur in *quale*; aliter ab interpretibus explicatur iſta propoſitio; ſignificat *quid*, i. *naturam*, & *quale*, i. *communem*: intellige per ſe ſubſiſtentem, ad excludendum accidentia vniverſalia.

Ob. Si ſecundæ ſubſtantiæ ſignificent *quale* ratione ſuarum differentiarum, tum ſummum genus quod nullam habet differentiam, i. differentiam conſtituentem non ſignificaret *quale quid*, at vero ſummũ genus ſignificat *quale quid*, ergo.

Sol. Ipſum etiam ſignificat *quale quid*, licet non per differentiam *conſtituentem* (quam nullam habet) tamen per differentiam *dividentem*, quam ſua poteſtate habet.

Ob. Significare *quale quid* quomodocunq; explicetur convenit etiam definitionibus eſſentialibus ſecundarum ſubſtantiarum; ergo non ſolum ſecundis ſubſtantijs.

Sol. Definitio non tam *quale quid* ſignificat, quam partes ſecundarum ſubſtantiarum, quæ ſunt *quale quid*: vel dicendum, quod definitio ſignificat quale quid *reſolutivè*, vel *diſtinctè*, ſecundæ ſubſtantiæ ſolæ *confuſe*.

Ob. Si ſecundæ ſubſtantiæ ſignificent *quale quid*, tum prædicantur in *quale quid*, & tunc genus, & ſpecies prædicentur in *quale quid*, ergo.

Sol. Negatur argumentum: nam ſignificare *quale quid* eſt ſignificare quandam naturam, quæ in ſe aliud comprehendit, vt *quid*, aliud, vt *quale*, at prædicari in *quale quid*, eſt apte reſpondere quæſtioni factæ per *quale quid*.

SECT. 23.

De quarta proprietate Subſtantiæ, & eius explicatione.

Quarta proprietas ſubſtantiæ eſt; quod *nihil ſubſtantiæ ſit contrarium*: ad cujus explicationem notandum eſt,

quod ſubſtantia dupliciter poteſt conſiderari: vel

1 *Abſolutè*, & in ſua ſimplici naturâ; vt homo (ſecundum quod eſt homo) & ſic illi nihil eſt contrarium.

2 *Comparatè*, & veſtitur accidentibus, vt homo (ſecundum quod eſt albus, aut calidus) & ſic poteſt habere contrarium.

Secundò

Secundò notandum quod contraria ſunt duplicia, vel

1 *Per Se*, & ſua naturâ, quæ ad ſe invicem contrariæ ſunt, vt albedo & nigredo.

2 *Per Accidens*, quæ non ſunt ſua natura, ſed tantum per rationem accidentium ſunt contraria: vt homo albus, & homo niger; nam tales homines non ſunt *per ſe* contrarij, in quantum homines ſunt, ſed ratione *ſuorum accidentium*, in quantum, vnus eſt albus, alter eſt niger.

Hoc proprium eſt ſubſtantiæ ſecundo modo proprij: convenit enim omni non ſoli.

Contrarietatis autem nomen tripliciter capitur, aut pro

1 *Formali diſtantiâ* differentiarum dividentium idem genus, vt pro differentia rationalis, irrationalis, quæ dividunt animal; & ſic capitur à *Porphyr.* in communitatibus differentiæ & accidentis, vbi dicit contraria accidentia poſſe miſceri; contrarias differentias non poſſe.

2 *Oppoſitione privationis, & habitus*, & ſic capitur lib 1. Phyſ. text. 5. vbi docet in vnoquoq; genere eſſe vnam primam *contrarietatem*, i. privativam oppoſitionem.

3 *Perfecta diſtantiâ* duarum rerum ſub eodem genere: & ſic hic ſumitur.

Contraria ſunt formæ accidentales, quæ poſitæ ſub eodem genere maximè à ſe invicem diſtant, & eidem ſubiecto ſuſceptibili inhærent viciſſim, à quo mutuò ſe expellunt (niſi alterum inſit à natura.) Cujus explicatio ad cap. de oppoſitis reijcienda eſt (ne idem ſæpius dicamus) patet tamen ex ipſâ definitione, ſeu explicatione, quod ſubſtantia contraria eſſe non poteſt alicui; cum ſubſtantiæ non ſunt accidentia, nec vllo ſubjecto viciſſim, imò penitus non inhærent; cum ſe ex eodem ſubjecto viciſſim non expellant.

Ob. Ignis eſt contrarius aquæ, & aër terræ: *Ariſtoteles* in 2° lib. de generatione text. 22. ergo ſubſtantia eſt ſubſtantiæ contraria.

Sol. Ignis non eſt contrarius aquæ *per ſe*, in quantum ignis eſt ſubſtantia; ſed in quantum *calidus* & *qualis* eſt; nec aqua igni in quantum *aqua*; ſed in quantum *frigida*, & ratione caloris, & frigiditatis, (quæ ſunt per ſe contraria,) & illud *Ariſtoteles* in eodem text. dicit; *hæc eſſe contraria quia eorum paſſiones ſunt contrariæ.*

Ob. Subſtantiæ corrumpuntur, vt aqua corrumpitur ab igne; ergo ſubſtantiæ habent contraria, nam quod corrumpitur à contrario corrumpitur, *Cœlum enim eſt incorruptibile, quia non habet contrarium,*

1° de cœl. text. 20.

Sol. Subſtantia non corrumpitur à ſe, ſed per accidens, vt aqua ab igne; non enim ignis (in quantum ignis eſt) corrumpit aquam, ſed in quantum calidus eſt, i. gratiâ ſui caloris qui per ſe frigiditatem aquæ corrumpens, corrumpit etiam per accidens aquam; quæ non poteſt eſſe ſine frigiditate; quicquid itaq; corrũpitur, corrumpitur aut à contrario per ſe, vt qualitas, aut à contrario per accidens, ſicut ſubſtantia.

Ob. Contrarietas effectuum arguit contrarietatem cauſarum: at effectus ſubſtantiarum (vt color & frigus, humor, & ſiccitas, &c.) ſunt contrarij: ergo.

Sol. Contrarietas effectuum arguit etiam contrarietatem cauſarum, & contrarietas caloris & frigoris contrarietatem elementorum, non tamen *formalem* (ſicut effectus contrariantur per mutuam actionem, & paſſionem) ſed *effectivam* & *virtualem*, in quantum producunt ea, quæ *formaliter* contrariantur.

Quædam ſunt invicem contraria triplicitèr, ſc.

1 *Obiectivè*, quæ ſua natura ſunt contraria & ab eodem ſubjecto ſe mutuò expellunt; vt calor, & frigus.

2 *Subiectivè*, quæ ſunt ſubiecta eorum quæ per ſe contrariantur, vt ſubiecta caloris & frigoris, vt ignis, & aqua.

3 *Effectivè*, quæ ſunt cauſæ eorum, quæ per ſe contrariantur, vt vis vini in efficiendo calorem; & veneni vis in efficiendo frigiditatem, in humano corpore. ſubſtantia habet *in ſe* contrarium, ſed non habet *ſibi* contrarium.

SECT. 24.

De quinta proprietate ſubſtantiæ & eius explicatione.

Quinta proprietas ſubſtantiæ eſt: *quod ſubſtantia non recipit* (*magis, & minus:*) ſuſcipere autem *magis & minus* eſt prædicare cum adverbijs iſtis *magis* & *minus*; quomodo ſubſtantia de nullis ſuorum ſubjectorum, affirmatur.

Subſtantia

1 *Subſiſtentiam* ſuæ naturæ, & eſſentiam ſuam (vt eſt ens per ſe ſubſiſtens,) & ita *magis & minus* non ſuſcipit.

2 *Sub-*

autem dupliciter conſideratur, vel ſecundum

2 *Subiectionem* ejus reſpectu accidentium; ita verò ſuſcipit; quomodo primam ſubſtantiam maximè ſubſtantiam, genus minus ſubſtantiam quam ſpeciem; ſupra dixit *Ariſtoteles*; vnde ſecundum ſuam ordinationem in *prædicamento* expers eſt; at ſecundum comparationem ad *accidentia*, capax eſt: quod eſt ac ſi dicemus, vnam ſubſtantiam, non eſſe magis *ſubſtantiam* quam aliam, ſed magis accidentibus *ſubiectam* eſſe quàm aliam.

Vna ſubſtantia dicitur magis ſubſtantia quam alia, vel ſecundum

1 *Perfectionem*, quando vna alterâ eſt *perfectior*: quomodo ignis dicitur *magis* ſubſtantia quam terra ab *Ariſtotele* 1. lib. de generatione text. 18.

2 *Cognitionem noſtram*, quæ nobis eſt *notior*, vt corpora dicit *Ariſtoteles* *maximè* eſſe ſubſtantias, i. nobis notiſſimas: 2 de anima, text. 3.

3 *Subiectionem*, quando vna *ſubiicitur* magis accidentibus, quam altera, & ſic primæ ſubſtantię dicuntur *magis* ſubſtantiæ quam ſecundæ ſubſtantiæ. Omitto ſecundum *extentionem*, quia ſecundum eam, ſubſtantia dicitur *maior* & *minor*, non *magis* & *minus*.

4 *Intentionem*, & hoc modo nulla ſubſtantia dicitur *magis* & *minus* ſubſtantia, quam altera; & hic ita capitur *magis* & *minus*, & hæc eſt propria eorum acceptio terminorum; quid autem ſit intenſio & remiſſio, ad tractionem qualitatis deferatur.

Dicitur autem ſubſtantia recipere *magis* & *minus* dupliciter ratione accidentium, vel

Ex parte *ſubiecti*, cum eſt inter primam, & ſecundam comparatio; prima enim *magis* eſt ſubſtantia quam ſecunda (vt dictum eſt.)

Ex parte *accidentis*, cum accidens inhæreat in ſubiecto, quod ſuſcipiat *magis*, & *minus*, ratione cujus ſubſtantia dicitur ſuſcipere *magis* & *minus* non ſui, ſed accidentis.

Ob. Intenſio & remiſſio ſunt in ſubſtantia; ergo ſubſtantia intenſa eſt, & remiſſa.

Sol. Eo modo, quo ſubſtantia recipit intentionem, & remiſſionem, eo modo eſt intenſa & remiſſa, i. non *per ſe*, ſed (vt modo dixi) ratione *accidentis*: ſuſcipit ergo intenſionem, & remiſſionem, non *ſui* ſed *accidentis*; ſuſcipit ergo intenſionem tanquam *ſubiectum* intentionis, ſed non tanquam *forma*, quæ intenditur; ſi autem alicubi apud *Philoſophos* legatur, vnam ſubſtantiam eſſe magis ſubſtantiam, quam alteram (quod tamen rariſſimè legitur) id de *perfectione* ſubſtantiæ intelligendum eſt.

Ob. Forma eſt magis natura, quam materia, vt ait *Ariſtoteles* 2 lib. Phyſ. text. 2. ſed omnis natura eſt ſubſtantia, vt ipſe docet eodem loco, text. 4. ergo forma eſt magis ſubſtantia quam materia.

Sol. Eſt *magis* ſubſtantia, i. *perfectior* ſubſtantia, cum ſit perfectio, & primus actus ipſius materiæ.

SECT. 25.

De ſexta proprietate ſubſtantiæ & eius explicatione.

Sexta proprietas ſubſtantiæ ità ponitur ab *Ariſtotele*; *hoc ſubſtantiæ proprium eſt maximè, cum ſit vna eademq; numero poſſe ſuſcipere contraria.*

Cujus regulæ ſummè obſervanda eſt explicatio; eò quòd major pars *Philoſophorum* aſſerit hoc eſſe proprium (quarto modo) ſubſtantiæ; ijs verbis *Ariſtotelis* commoti (eſſe ſubſtantię proprium maximè.)

Illud ergo adverbium (maximè) probabiliter referri poteſt, vel ad

1 *Subſtantiam*, ad hunc modum; hoc eſt proprium (maximè ſubſtantiæ) i. primæ ſubſtantiæ, ſuſcipere contraria.

2 *Proprietates præcedentes*, ad hunc modum, hoc inter omnes proprietates ſubſtantiæ (eſt maximè proprium.

3 *Cætera prædicamenta*, ad hunc modum; inter omnia prædicamenta, maxime convenit ſubſtantiæ (ſuſcipere contraria.)

Suſcipere, contraria aliquid poteſt dupliciter, aut

Actu, & ita primæ ſubſtantiæ præcipuè attribuitur eo quod omnes actus ſunt circa ſingulare, 1 lib. Metaphyſ. cap. 1.

Aptitudine, & ita convenit ſecundæ ſubſtantiæ: nam *potentiæ* vniverſalibus, *actus* ſingularibus primò inhærent.

Duæ

Duę conditiones requiruntur, vt hæc proprietas conveniat soli substantię, scil.

1 *Vnitas naturæ*, i. firmitas essentię, scil. quod vna eademque maneat, sine mutatione aliqua *essentiali*.

2 *Mutatio accidentis* non enim contraria recipit *successivè*, sine aliqua *accidentali* sui mutatione.

Ita igitur hæc proprietas intelligenda est, (hoc autem substantię, i. maximè) nam maxime ad substantiam refertur, i. substantiæ primę, & singularis (est proprium) scil. primo modo conveniens, soli, non omni; quia non vlli cœlesti corpori convenit, nec angelis : *suscipere*, per se, & actu, nam aptitudine, & per accidens suscipere convenit secundis substantijs; suscipere (inquam) non *simul*, nam illud impossibile est; sed *successivè*, *contraria*, sc. accidentia, i. suscipere contraria non *sibi* tanquam *obiectum* contrarietatis, (nam illud supra negabatur in quarta proprietate) sed suscipere contraria, *in se*, tanquam *subiectum* contrariorum; idque non tanquam subiectum, *medium*, (nam illud convenit superficiei,) sed *vltimum*, in quo accidentia tanquam in fundamento reperiantur, & reponantur.

Ob. Eadem superficies est modò alba, modò nigra, quia substantia non suscipit istos colores nisi per superficiem; ergo illud soli primæ substantiæ non convenit.

Sol. Subjectum duplex, est, vel

1. *Medium*, quod aliqui appellant subiectum *quo*, i. (quo interveniente, aut medio) nonnulla accidentia in substantiam recipiuntur, tale autem subjectum est quantitas.

2 *Vltimum*, quod etiam nominatur subiectum *quod*, in quod, sc. omnia accidentia, (cum ipsa etiam quantitate recipiantur: tale autem subjectum est substantia, quod est duplex, vel

Actu, *primum*, & *principale* cui primo accidentia nituntur tale verò est prima substantia.

Aptitudine, *secundarium*, & *ex consequenti* cui, aut accidentia non inhærent actu, aut si illud concedatur, hæc tamen secundæ, gratiâ primæ, convenit.

Ob. Omne accidens quod cadit in inferius, cadit in superius; ergo si primæ substantiæ contraria suscipiunt, etiam & secundæ: & sic non convenit soli primæ: ergo.

Sol. Convenit soli primæ substantiæ suscipere contraria, *primò*, & *per se*: secundæ autem suscipiunt *gratia primarum*.

Ob.

Ob. Aristoteles contra hanc suam positionē, dubium movet de oratione & opinione, eo quod eadem oratio vel opinio, potest esse *successive*, & vera, & falsa; veritas autem & falsitas contrariæ sunt, ergo non convenit soli primæ susceipere contraria; hoc autem dubium soluit hâc ratione, quod (vt supra dictum est) substantia susceipit contraria cum accidentali sua *mutatione*, at *oratio* successivè vera & falsa, non mutatur, sed *res*; deinde ipsa contrarietas non est propriè in *voce* & *conceptu*, sed magis in *rebus* ipsis.

Sol. Veritas, & falsitas sunt
1 *Effectivè*, in re, vt in *fundamento*.
2 *Significativè*, in voce, vt in *signo*.
3 *Subiectivè*, in intellectu, vt in *subiecto*.
4 *Delativè*, in conceptu, vt in *medio*: nam efficitur à *rebus*, inhæret in ipso *intellectu*, deducitur per *conceptum*, significatur per *vocem* & *propositionem*.

SECT. 26.

De tribus præcipuis proprietatibus huius prædicamenti.

Vt autem proprietates substantiæ, traditæ ab *Aristotele* nostro; concludantur; tres sunt potissimum proprietates substantiæ ex quibus ejus natura maximè colligitur, nempè

1 *Non inhærere in subiecto*, & hæc omnibus substantijs, sc. *perfectis*, & *imperfectis*, sc. primis & secundis, quæ in *recta* serie sunt, & differentijs quæ à *latere* sunt; & partibus omnibus tùm *essentialibus*, tùm *integralibus*, quæ hùc reducuntur, convenit.

2 *Subsistere per se*, & hæc nullis imperfectis, sed solis, ijsque omnibus perfectis, i. primis, & secundis, quæ in rectâ serie collocantur, convenit.

3 *existere per se*, & hæc nullis *imperfectis* inest, nec omnibus *perfectis* competit, sed solum primis: & sicut omnes substantiæ *subsistunt* gratia secundarum; sic omnes *existunt* gratia primarum: solum illud omnibus per se competit, *non inhærere in subiecto*.

SECT.

De Quantitate.

SECT. 1.

De prædicamento Quantitatis; *& primò de eorum quæ ab* Aristotele *tradita sunt, resolutione.*

In hoc capite tractat *Aristoteles* quantitatem dupliciter, vel quoad

- 1. *Divisionem* (omissa definitione) quam tradit triplicem, quarum altera est
  - 1. *Formalis* per essentiales differentias; quæ hæc est: Quantitas alia est
    - 1. *Seiuncta*, cujus sunt duæ species, sc. et
      - 1. *Numerus*, quem ideo probat *Arist.* esse *discretam* quantitatem, quia ejus partes nullo communi termino connectuntur.
      - 2. *Oratio*, quã *Arist.* probat esse
        - 1. *Quantitatem*, quia ponderatur syllaba longâ vel brevi.
        - 2. *Discretam*; quia nullo termino ejus partes copulãtur.
    - 2. *Coniuncta*, cujus sunt quinque species, sc.
      - 1. *Linea*, cujus partes cõnectuntur *puncto*.
      - 2. *Superficies*; cujus partes connectuntur *lineâ*.
      - 3. *Corpus*; cujus partes colligantur *superficie*.
      - 4. *Locus*; cujus partes copulantur etiam *superficie*.
      - 5. *Tempus*; cujus partes cohærent instanti.
  - 2. *Materialis* per respectum ad partes integrales, quomodo dividitur in quantitatem
    - 1. *Habentem situm*; cujus sunt quatuor species; *linea, superficies, corpus, & locus*.
    - 2. *Carentem situ*, cujus sunt tres species; *tempus, numerus, & oratio*.
  - 3. *Analogica*; per respectum ad denominationem; quomodo quantum dividitur in
    - 1. *Quantum per se*; quod est essentialitèr quantitas; vt dictæ species.
    - 2. *Quantum per accidens*, quod est illud omne quod quantitatè mensuratur.
- 2. *Proprietates*, de quibus infra

SECT. 2.

De ordine Tractationis huius prædicamenti.

Quantitas præponitur
- 1. *Qualitati*: duas ob causas; & propter
  - 1. *Principium*, quia quantitas sequitur materiam; qualitas formam; at materia formâ prior est.
  - 2. *Ordinem*; quia multæ qualitates inhærent substantiæ per quantitatem; vt omnes primæ & secundæ, omnesq; quæ quartæ speciei qualitates sunt.
- 2. *Relativis*, quia hæc est multorum relatorum fundamentum.
- *Omnibus* deniq; *accidentibus*, tum
  - 1. Quia inhæret in substantiâ *immediatiùs* quam alia accidentia.
  - 2. Quia, ad naturam substantiæ *propius* accedit, cum sit subjectum, veluti substantia.
  - 3 Quia, magis convenit cum substantiâ in proprietatibus ejus, cùm caret *contrario*, pariter atq; *intentione* & *remissione*; sicut substantia.

SECT. 3.

De Descriptionibus Quantitatis.

Aristoteles autem omisit quantitatis definitionem, tres ob causas
- 1. Quia summum genus est, ideoq; definiri non potest.
- 2. Quia placuit *Aristoteli* incipere à divisione, quod *authori* licet.
- 3. Quia natura quantitatis facile colligi potest ex ejus divisione & proprietatibus.

Apud

Apud *Interpretes* tamen aliquæ ejus descriptiones reperiuntur, nempe aut per respectum ad

1. *Divisibilitatem*; quæ est propria ejus ratio, quomodo definitur *res per se divisibilis in partes.*

2. *Mensurationem*; quomodo definitur esse: *mensura secundum extensionem* aut *durationem*, aut *discretionem.*

3. *Denominationem*, quomodo res definitur, secundùm quam, *aliquid dicitur quantum, aut quotum.*

4. *Proprietatem*, seu passionem suam, quomodo definitur esse res, *ex quâ res sunt æquales aut inæquales.*

SECT. 4.

De explicatione dictarum omnium descriptionum, & primò de primâ.

Vt prima definitio intelligatur; notandæ erunt acceptiones totius & partium; est enim totum in

1. *Significando*, quod plura habet significata, vt æquivocum æquivocans, cujus partes in significando, sunt æquivocata.

2. *Prædicando*, quod plura habet subjecta, vt vniversale respectu singularium, & omne superius respectu inferiorum; quæ ejus partes sunt, quæq; aut *vniversales*, aut *subiectivæ* dicuntur.

3. *Essendo*; quod plures habet partes essentiales; ut species, cujus essentiales partes sunt *genus* & *differentia.*

4. *Integritate*; quod plures habet partes integrales; vt *Socrates*; cujus partes sunt caput; cor, pulmo, thorax, manus; &c. quæ partes ejus *integrantes* appellantur.

Non autem inconveniens est quod idem, respectu diuersorum horum modorum *totum* sit; vt homo respectu hominis picti, & hominis vivi, (quorum est æquivocum,) est totum in *significando*, respectu *Socratis* & *Platonis*, qui sunt ejus *subiecta*, est totum in *prædicando*, respectu animalis & rationalis ex quibus *constituitur*, est totum in *essendo*; respectu capitis, cordis, hepatis; & cæterarum partium, ex quibus *in-*

tegratur, est totum in *integrando* sive in quantitate : Quotuplex autem est *totum* (ut dixi) totuplex & *pars*; & totuplex *divisio*, quæ nihil aliud est, quam *totius in partes deductio*.

Quando itaq; definiatur quantitas, *esse res per se divisibilis in partes*; hoc modo ista descriptio intelligi potest; (quantitas est res,) sc. prædicamentalis (divisibilis in partes) *integrales*, sive *quantitas*; (per se) nam per accidens gratiâ Quantitatis, cætera nonnulla etiam dividuntur; sic homo in partes suas *integrales* discerpi; & lapis in suas partes *quantitativas* distrahi potest; sed illud est *per accidens*, gratiâ *Quantitatis*, si enim nullam haberet Quantitatem, dividi non posset: quod autem *per se*, & non ratione *alterius* dividitur in partes *integrales*, quantitas est.

Istæ autem partes integrales possunt consistere, aut in

1. *Extensione dimensionis*, vt partes *lineæ* quæ secundum *longitudinem*; partes *loci*, & *superficiei*, quæ secundum *latitudinem*, partes *corporis*, quæ secundum *profunditatem* extenduntur.

2. *Successione durationis*, vt partes *temporis*, quæ simul non manent, (vt dictarum specierum partes) sed sibi invicem succedunt.

3. *Discretione multitudinis*, vt partes *numeri*, & *orationis*: quæ licet simul maneant, tamen à se invicem *discretæ* sunt, & non connexæ aliquo communi termino.

SECT. 5.

De explicatione secundæ descriptionis.

Secunda quam assignavi definitio est. (Quantitas est mensura) i. quantitas est forma accidentalis, cui *per se* competit mensurare, non solùm *substantiam*, (vt interpretes dicunt, nam non possunt explicare, quam substantiam *oratio* mensuret) sed alia *accidentia* etiam; sive mensuret secundùm *extensionem* partium, sive *durationem*, sive *multitudinem*. Nam secundùm extensionem *longitudinis*, mensuratur à *linea*; secundùm extensionem *latitudinis* à *superficie*; secundùm extensionem *profunditati*

funditatis à *corpore*; ſecundùm *multitudinem* & *diſcretionem* partium, à *numero*; ſecundùm partium *ſucceſſionem*, dum aliæ recedunt, aliæ accedunt, & *durationem* totius, à tempore

Vnde duo ſunt præcipui actus *Quantitatis*,
1. *Diviſio* in partes *integrales*, quæ cæteris quibuſcunque rebus convenit, non niſi quantitatis ratione.
2. *Menſuratio* partium *integralium*; quia omnes partes integrales aliarum rerum, menſurantur à partibus *Quantitatis*.

Quantitas dupliciter numerat ſubſtantiam, vel ſc.
1. *Internè* per *inhærentiam* ejus in *menſurato*; quomodo Quantitas quæ eſt in aliquâ re, ipſam menſurat, ſicut quantitas mei corporis, me menſurat.
2. *Externe* per *applicationem* ejus ad *menſuratum*; quomodo locus & tempus, quæ *extrarem* ſunt, ipſam menſurant.

Quod ſi ſubſtantia menſuret aliquam rem, ſicut vlna *lignea* menſurat pannum; illud ſubſtantia non facit in quantum eſt ſubſtantia, ſed ratione quantitatis quæ illi inhæret.

SECT. 6.

De definitione tertiâ & quartâ.

Definitio tertia eſt. *Quantitas eſt res prædicamentalis, ſecundum quam aliquid dicitur quantum*, nempe ſecundùm quantitatem continuam: *(aut quotum)* nempe ſecundùm diſcretam Quantitatem. Vnde & hæc tertia Quantitatis definitio datur etiam per actum Quantitatis, ſed *intentionalem*: nam aliquam rem denominare, aut de ipſa prædicari, non ſine operatione intellectus perficitur.

Quarta eſt, *Quantitas eſt res prædicamentalis, ſecundum quam, res ſunt æquales aut inæquales*: hæc autem definitio patebit ex explicatione tertiæ proprietatis hujus prædicamenti.

SECT. 7.

De prima divisione Quantitatis in continuam, & discretam, earumq; definitionibus.

Quantitas dividitur ab *Aristotele*, in quantitatem

- 1. *Continuam: continua autem quantitas est ea cuius partes copulantur, per aliquem communem terminum*, estq; vel
  - 1. *Successiva*, vt *tempus*, cujus partes, licet sibi invicem connectantur, fluunt tamen perpetuò, nec vnquam simul consistunt.
  - 2. *Permanens*, quæ vocatur ab *Arist.* 5. l. metap. t. 8. *Magnitudo*, quæ mensurat substantiam, aut secundum
    - 1. *Vnam* dimensionem, sc. *longitudinem*, & est *linea*.
    - 2. *Alteram* dimensionem, sc. *latitudinem*, idq; vel
      - 1. *Internè* per *inhærentiam*, estq; *superficies*.
      - 2. *Externè*, & per *applicationem*, & sic est *locus*.
    - 3. *Tertiam* dimensionem, sc. *profunditatem*, & sic est *corpus*.
- 2. *Discretam, cuius partes ad se invicem, nullo communi termino copulantur.*

SECT. 8.

De terminis quantitatum continuarum.

De termino continuæ quantitatis duo sunt considerandi, sc.

- 1. *Natura* ejus, ad quam requiruntur duo.
  - 1. *Indivisibilitas*, quod indivisibilis sit, eo modo quo est terminus, vt terminus lineæ *indivisibilis* secundùm

secundum *longitudinem*; terminus superficiei secundum *latitudinem*.

2. *Terminatio* quod sc. terminet illud cujus est terminus cōmunis, vel ut principium, vel ut medium, vel ut finis.

2. *Divisio*, est enim triplex cōmunis terminus,

1. *Inchoans* tantùm, quod est id vnde quasi incipit, fluitq; magnitudo seu continuitas quantitatis.

2. *Finiens* tantùm, quod est id, in quod desinit ipsa quantitas.

3. *Medians*, quod est & *inchoans* & *finiens* non *totam* quantitatem (vt dicti termini) sed *partes* quantitatis; vt punctum in medio lineæ respectu *præcedentis* partis, finis est, respectu *succedentis*, principium: dicitur itaque hic terminus (medians) propter *situm*, in continuo, quia est inter principium & finem, dicitur (communis) propter *participationem*, quia ab vtrisque partibus quas continuat, *participatur*: ab altera vt *principium*, ab altera vt *finis*: dicitur denique (continuans) propter *actionem* & *officium*, quia conjungit & *continuat* invicem partes inter quas ponitur.

Est itaque terminus quantitatis indivisibilis, aut *inchoans* aut *finiens*, aut *continuans* partes quantitatis continuæ: sicut terminus lineæ, *punctum* est; terminus superficiei & loci *linea est*; terminus corporis est *superficies*: terminus temporis, instans est.

Est discrimen inter *terminum*, & *partem* continuæ quantitatis, tum quoad.

1. *Essentiam*, quia (vt exempli gratia) *pars* lineæ est linea, at vero *terminus* lineæ, non est linea.

2. *Extensionem*, quia *pars* lineæ extensa & divisibilis est: at communis *terminus* est indivisibilis.

3. *Copulationem*, quia *partes* lineæ se invicem non copulant, licet vna copuletur *passivè* alteri; at contrarium accidit in *terminis*, nam non copulantur *passivè*, sed partes ad se invicem copulant *activè*.

Diligen-

Diligentissimè autem notandum est, cùm terminos *indivisibiles* dixerimus,

Dupliciter esse illos *indivisibiles*; alii enim sunt *indivisibiles*

1. *Simpliciter* & *absolutè*, quòd nullo modo in vllas partes integrales dividi possint vt punctum: definitur enim ab *Euclide* 1. libro *elementorum Geometricorum*, esse id, *cuius nulla pars est*, & instans, nam hæc nullas habent partes integrales, in quas dividantur.

2. *Secundum quid* et *comparatè*, qui quidem secundùm *aliquam* dimensionem sunt divisibiles, secundùm *aliam* indivisibiles, vt linea quæ est terminus communis superficiei, secundùm longitudinem, est *divisibilis*, at secundùm latitudinem, est *indivisibilis*: & superficiès, quæ est terminus corporis, secundùm longitudinem et latitudinem, *divisibilis* est, secundùm profunditatem, etiam *indivisibilis*: nam et linea latitudine, et superficies profunditate caret.

Quando itaque dicitur quod *terminus est indivisibilis*, non illud est accipiendum, ac si nullo modo dividi potest: sed quod sit *indivisibilis* secundùm *propriam* dimensionem terminati: vt (exempli gratia) Linea est terminus *latitudinis*, ergo secundum *latitudinem* est *indivisibilis*; nihil tamen hoc impedit, quin sit divisibilis secundum longitudinem: sic superficies est terminus *corporis* vel *profunditatis*, ergo secundùm *profunditatem* est *indivisibilis*: nihilominus secundùm longitudinem et latitudinem, est divisibilis: cùm ideo dicatur (apud *Dialecticos*) terminum communem esse *indivisibilem*. Respondeo illo modo quo est terminus, illud verum esse, vel secundum eam *dimensionem* cujus est terminus.

SECT. 9.

De longitudine, latitudine, profunditate, quid sint? & de earum acceptionibus, & quibus modis definiantur apud Interpretes *continuæ quantitatis?*

Summè observandum est, de *dimensionibus* (contra communem hominum sententiam) illas non esse *re*, & *essentia* idem, cum illis quo-

rum

rum sunt *dimensiones* : non enim existimandum (vt pars maxima *Dialecticorum* existimat) lineam, esse *longitudinem* : superficiem, *latitudinem*; & corpus, *profunditatem*; sunt enim hæc omnia *passiones* & *accidentia* illarum quantitatum: adeo vt quantitas à sua *dimensione* differat. Accurrate itaque obseruandum est, quòd

Duplex est *dimensio*, siue *extensio* quantitatis est duplex, alia

1 *Absoluta*, & illa *dimensio* siue *extensio* est duplex, alia

1 *Terminata*, quæ est passio *accidentalis* sequens *immediatè* terminationem quantitatis; vt pedalitas, bipedalitas & huiusmodi; & rectè *accidentalis* passio dicitur quia *accidit* lineæ & superficiei, vt pedalis vel bipedalis sint; absque his enim esse possunt.

2 *Interminata*, quæ est passio *essentialis*, *immediatè* sequens *essentiam* quantitatis; quomodo *longitudo* est propria *passio* lineæ; *latitudo* superficiei; *profunditas*, corporis; nam sicut risibilitas est propria *passio* immediatè sequens naturam hominis, ita *longitudo* est propria *passio* immediate sequens essentiam lineæ, & sic de cæteris. Et rectè dicitur passio *essentialis* tum quia immediatè ab essentia rei fluit, tum quia essentia rei, sine ipsa, manere non potest; nam vllam lineam sine *longitudine*, aut superficiem sine *latitudine*, aut corpus sine *profunditate* esse, est impossibile.

Relatiua, quæ est relatio immediatè sequens *accidentalem* passionem quãtitatis quomodo *longitudo* relata breuitati; latitudo relata strictitudini; profunditas cõparata tenuitati; Sic, quod hæc *relatiua dimensio*, ad prædicamentum *relationis* referenda est: istæ verò *absolutæ* dimensiones, *reductiuè* sunt in prædicamento *quantitatis* collocandæ; nego ergo confidenter, lineam esse *longitudinem*, aut superficiem *latitudinem*, & dico non esse *quantitates*, sed *proprias passiones* istarum quantitatum.

Ob. Quod si *Euclidem* vrserint aut *Aristotelem*, definientem lineam, *esse longitudinem sine latitudine*; superficiem, *latitudinem sine profunditate*.

Sol. Respondeo, istas propositiones intelligi in *obliquo*, sed non in *recto*, hoc modo; Linea est quantitas in qua est *longitudo sine latitudine*; Superficies est quantitas, in qua est *latitudo sine profunditate*, .& hæc defensio, (licet sit contra turbam *Philosophorum*,) est tamen & verior & facilior.

Vnde commodissimè definiri potest
1 *Longitudo*, extensio *lineæ*.
2 *Latitudo*, extensio *superficiei*.
3 *Profunditas*; extensio *corporis*.

SECT. 10.

Quibus modis continuæ quantitates definiuntur apud Philosophos?

Species continuæ quantitatis, definiuntur à Philosophis per
Extensionem suam, vt magnitudines; aut *successionem*, vt tempus.
2 *Divisionem* in partes succedentes aut extensas.
3 *Terminos*, aut *terminationem* suam.
4 *Actum* & *mensurationem* suam, quarum omnium inuenias exempla, in singularum specierum explicatione.

SECT. 11.

De descriptionibus lineæ.

1 Linea est *longitudo sine latitudine* (definiente *Euclide*, libro primo, *elementorum geometricorum*: definitione secundâ, 1. Linea est continua quantitas, in qua est longitudo sine latitudine; & hæc definitio datur per *extensionem*.

2 Definitio secunda lineæ est; Linea est *quantitas continua*, *cuius partes* (sc. integrales) *connectuntur per punctum*, vt per communem terminum; vel *cuius termini extremi sunt duo puncta*: hoc intelligendum est, (& idem in omnibus specierum definitionibus) de *Proximis* terminis, punctum enim est etiam terminus superficiei, sed *remotus*, *proximus* autem linea est; (vt postea dicetur) cum ideò videas lineam habentem partes suas sibi invicem nexas, intellige inter quaslibet partes ita nexas, mediare *puncta*, quibus invicem copulantur; hæc definitio datur per *terminos*.

3 Definitio,

3 Definitio 3. Linea est *continua quantitas, quæ secundum vnam dimensionem solam.* sc. (secundum solam longitudinem) *diuidi potest*: Ad intellectionem cujus definitionis, diligenter nota, quod omnis continua quantitas diuiditur, in partes ejusdem nominis & rationis cum toto; vt (exempli gratiâ) si diuidas *lineam*, non potest ipsam dividere in *non lineas*: (sicut etiam non nisi ex lineis componitur) in *puncta* autem dividere *lineam* non potes; quia puncta non sunt *partes* integrales lineæ, sed *termini & principia*: sic si resoluas *superficiem*, ipsã necessariò divides in minores *superficies*, non potes diuidere in *lineas*, ipsæ enim non sunt *partes*, sed *termini* superficiei; sic si *corpus* distribuas, ipsum in alia *corpora* distrahes, in *lineas* & *superficies* non potes diuidere, ob eandem causam & rationem: sic si *tempus* velis dividere, diuides ipsam in *tempora* minora, non potes in *instantia* (quæ sunt ejus *termini*) resoluere: sic quod omnis pars *lineæ* integrans, *linea* est; omnis pars integrans *superficiei*, *superficies*; omnis pars *temporis*, *tempus* est; omnis pars *corporis*, *corpus*; sic quòd licet hæc *in infinitum* diuidas, semper tamen illæ partes quæ ex divisione resultant *tales* erunt in *nomine* & *re*, cum illis ex quibus diuiduntur; & hæc definitio est per *divisionem*.

Quarta definitio; *Linea est continua quantitas, quæ subiectum suum secundum vnam dimensionem solam*, sc. *longitudinem mensurat*. & hæc definitio per *actum & mensurationem* traditur.

SECT. 12.

De objectionibus contra definitiones lineæ.

Ob. Si linea sit longitudo sine latitudine omni, tum id quod participat lineam, habet longitudinem sine latitudine; omnis autem corporea substantia habet in se lineam, quia corporea substantia est subjectum lineæ: ergo omnes corporeæ substantiæ habent longitudinem sine latitudine.

Sol. Omnis corporea substantia, in se lineam habet ideoque longitudinem sine latitudine, non *simpliciter*, sed sine latitudine *lineæ*; habet itaque solam longitudinem à lineâ, quòd habeat latitudinem, id non est à lineâ, sed à superficie; & quòd habeat profunditatem, nec id a linea, nec a superficie, sed à corpore habet.

Linea itaque ex suâ *natura* & *essentia*, solam habet *longitudinem*; licet etiam in *existentia* & in *subiecto* semper conjungatur cum *latitudine*, illa tamen latitudo, est *superficiei*; & lineæ penitus *extrinseca*.

Ob. Illa secunda definitio omni lineæ non convenit, nam linea *circularis* non habet extrema: ergo eius extrema non sunt duo puncta.

Sol. Linea *circularis*, dupliciter consideratur, vel vt est

1 *Linea*, & sic est *apta* habere *extrema*.

2 *Circularis*, & sic *inepta* est ad habenda *extrema*; potest ergo habere, & habet in *aptitudine* extrema, (& sic intellige istam definitionem;) quia *linea* est: non habet *actu*, quia *circularis* est: *aptitudinem* terminationis habet à *natura sua*; at quòd ita extremis non terminetur *actu*, habet à natura *figuræ circularis* in qua nec est principium nec finis.

Ob. Si punctum sit terminus lineæ, tum est in aliquo subjecto corpore, & consequenter indiuisibilitas esset in eodem subjecto; quia punctum est indivisibile, & consequentèr ipsum corpus, in quo esset, erit indivisibile: argumentum sequitur à *conjugatorum* regula, *quando abstractum est in subiecto, tum concretum prædicatur de eodem subiecto*.

Sol. Huic argumento supra responsum: nego argumentum; si indivisibilitas sit in corpore ergo corpus est indiuisibile; dictum enim est illam *coniugatorum* regulam, tenere in illis accidentibus, quæ non ratione *aliorum* insunt in subjecto; at indiuisibilitas est in corpore substantiali gratiâ *puncti*; punctum autem gratiâ *corporis*.

Ob. Si lineæ sint partes lineæ, & non puncta, tum aut illæ partes essent *finitæ*, & sic continuum non esset divisibile *in infinitum*, (vt dicunt *Geometrici*) & in semper divisibilia (vt dicit *Aristoteles* libro 6. *Physicorum* tex. 4.) aut sunt *infinitæ*, & sic esset *infinitus* rerum numerus, contra *Aristotelem* tertio *Physicorum* text. 4.

Sol. In qualibet lineâ sunt *infinitæ* partes, quæ omnes lineæ sunt; & sic conceditur esse infinitus numerus: sc: *inexistentium alteri*, non autem *existentium per se*: & hunc numerum *Aristoteles* intelligit: est itaque quodlibet continuum diuisibile *in infinitum*.

Ob. Quod si dicas impossibile est diuidere paruam lineam, aut paruum corpus in *infinitas partes*.

Sol. Resp-

Sol. Respondeo diuisibile esse aptitudine, quantum ex *parte sua*; at non posse ita vnquam diuidi *actu*, propter defectum *agentis*, quod ipsum ita diuideret.

Ob. Punctum ponitur in essentiâ & definitione lineæ: teste *Aristotele* 1. lib. demonstrationum capite 4. text. 4. ergo est pars lineæ.

Sol. Est pars *definitiua*, non *integralis* tamen, sed *integritatis* principium; quòd si dicas ergo est genus vel differentia: Respondeo esse *partem* definitionis, tamen *principium* solum definiti, non *partem*.

SECT. 13.
De diuisione lineæ.

Linea est infima species, ideoque in inferiores aliquas species per differentias *essentiales*, diuidi non potest, sed omnes lineæ *essentialiter* conveniunt; tamen per proprias suas *passiones*, *qualitates*, quæ sunt *rectitudo*, & *curuitas*, ita potest distribui.

Sicut dividitur apud *Geometras* sc. in

1 *Rectam lineam*, recta autem illa linea est; quæ *inter sua extrema* puncta *æqualiter jacet sine eleuatione aut depressione partium: Euclides* libro 1. Element: definitione 4.

2 *Curuam*, curua autem linea est ille quæ *inæqualiter protracta inter extrema, omnes suas partes non habet æquales, sed alia aliis depressiores sunt, aliæ altiores.*

Ob. Si (esse curuam & rectam) esset propria passio lineæ, tum sola linea esset curua & recta, sic nulla curua superficies, nullũ curuũ corpus esset.

Sol. Conueniunt curuum & rectum soli lineæ *per se*, conueniunt etiã superficiei, & corpori, sed non *per se* sed *gratiâ lineæ*; si enim aliquod corpus curuum sit, id illi accidit propter curuitatem *linearum*, quas in se habet.

SECT. 14.
De descriptionibus superficiei & earum explicatione.

1 Definitio prima per *extensionem* (*superficies est longitudo sine profunditate:*) id est; superficies est continua quantitas, in qua est longitudo & latitudo sine profunditate; latitudo *per*

se, & ex *naturâ* ſuperficiei, longitudo per *terminum* ſuum, & ex naturâ *lineæ*, nam *linea* ſola dat *longitudinem* ſuo ſubjecto, eamque ſolam; *ſuperficies* ſola dat *latitudinem* ſubjecto, eamque ſolam; *corpus* ſolum dat *profunditatem* ſuo ſubjecto, eamque ſolam; *ſuperficies* autem non dat ſubjecto *longitudinem*, vel ſi det, dat gratia *lineæ*, quam in ſe habet, vt *terminum* ſuum; *corpus* autem non dat *longitudinem* aut *latitudinem* ſubjecto ſuo: ſed longitudinem *lineæ*, & latitudinem *ſuperficiei* (quas in ſe habet vt *terminos*,) nam ſi *ſuperficies* daret ſubjecto ſuo aliam *longitudinem*, quam *longitudinem lineæ*, & *corpus* aliam *longitudinem* & *latitudinem* præter *longitudinem lineæ*, & *latitudinem ſuperficiei*; tum ſequitur, quod in omni ſubſtantiali corpore eſſent tres *longitudines*; & ſic quodlibet corpus eſſet tripliciter adeo longum atque eſt; atque hoc diligentèr nota, quod eſt contra communem turbam *Dialecticorum*, at eſt verior ſententia & majorem diſtinctionem inter ſpecies oſtendit, dicitur autem (vt ante dictum eſt de linea) *ſuperficies* habere ſolam *latitudinem* ſine *profunditate*, quantum ad ſuam *eſſentiam* (nam nulla latitudo *exiſtens* reperitur, & *inhærens* in corpore ſine profunditate) at iſta profunditas non eſt profunditas *ſuperficiei* ſed *corporis*.

2 Secunda definitio per *terminationem*; *ſuperficies eſt quantitas continua cuius partes per lineam coniunguntur, vt per terminum communem, vel cuius extremi termini, duæ lineæ ſunt:* nam eadem ratio, quæ eſt *puncti* ad lineam, eadem eſt *lineæ* ad ſuperficiem; & eadem eſt *ſuperficiei* ad corpus.

Duplicē autem terminum, habet ſuperficies
1 Alterum *proximum*, qui partes ejus invicem *proximè* connectit, & hic linea eſt.
2 Alterum *remotum*, qui non niſi *remotè* ſc. (mediante lineâ) ejus partes conjungit, ſic eſt *punctum*; nam *quodcunque eſt terminus termini, eſt terminus terminati.*

3 Definitio tertia per diuiſionem; *Superficies eſt continuâ quantitas, quæ ſecundum duas ſolum dimenſiones diuidi poteſt*, ſc. ſecundum *longitudinem & latitudinem* ſolas: ſuperficies enim dividi non poteſt niſi in ſuperficies, quia omnis pars *integralis* ſuperficiei, eſt ſuperficies, linea autem non eſt *pars*, ſed *principium* & *terminus* ſuperficiei, & idem dicitur de ſuperficie, & eius partibus, quod dictum erat de lineâ, ejuſque partibus in tertia definitione lineæ.

4 Definitio

4 Definitio quarta, per *mensurationem*. *Superficies est continua quantitas, quæ suum subiectum mensurat secundum duas dimensiones solum, sc. longitudinem & latitudinem* secundum latitudinem, ex sua *natura* secundum longitudinem, ex naturâ *termini* nimirum *linea*.

SECT. 15.

De obiectionibus contra tractationem de superficie.

Ob. Terminus communis est indivisibilis, at linea est divisibilis; cum dividatur secundum longitudinem ergo non est communis terminus superficiei.

Sol. Linea dupliciter sumitur vel quoad
1 *Latitudinem*, vtque est medius *terminus* superficiei & ita est *indiuisibilis*, nam linea latitudine caret.
2 *Longitudinem*, & est *diuisibilis*, ita autem non est communis *terminus*.

Ob. Ex istis definitionibus concludi potest, non esse *essentialem* discrepantiam inter lineam & superficiem, quia *essentia* vnius dependet ab aliâ sc. *essentia* superficiei, à lineâ; namque sublatâ lineâ tollitur superficies, i. essentia superficiei quod inde probatur; quia sublatâ lineâ superficies non est continua quantitas, quoniam non potest esse continua sine termino communi) linea autem est communis terminus superficiei; quod si tollatur quantum ad genus, tum etiam quantum ad differentiam: quoniam sublato genere tollitur differentia, vt docet *Porph.* in communitate differentiæ & generis text. 7. ergo.

Sol. Linea consideratur vel ratione,
1 *Essendi*, sic illæ species à seinvicem non *dependent*.
2 *Mensurandi*, & sic vna ab altera non *dependet*.
3 *Principiandi*, & sic quidem superficies *dependet* à linea quantum ad essentiam, non vt à *formali parte*, sed vt à *materiali principio*.

SECT. 16.

De Diuisione superficiei.

Superficies autem infima species est ideoque per *essentiales* differentias dividi non potest in inferiores species diuiditur tamen per suas *qualitates*.

sc.

sc. in

1 *Æquam* siue *planam*, quæ ab *Euclide* definitur esse illam, quæ *æqualiter inter suas extremas lineas interiacet*, sic quòd vna pars non sit eminentior, nec depressior altera.

2 *Flexuosam* seu *curuam*, quæ *inæqualiter protrahitur inter suos terminos.*

Hæc autem *flexuosa* seu *curua* est duplex,

1 *Conuexa*, quæ est *externa* superficies alicujus corporis curui.

2 *Concaua*, quæ est *interna* ejusdem superficies, (exẽpli gratia) in aliquo vase, *interior* superficies in quâ liquor continetur, *concaua* est; *exterior* autem quæ est extra vas, *convexa* appellatur; Istæ autem diuisiones, non sunt per *essentiales* differentias, sed per *accidentia* & *qualitates*, nam *planities* & *curuitas*, *concauitas*, & *conuexitas* sunt qualitates ex quartâ qualitatis specie.

SECT. 17.

De tractatione corporis & primò de eius distinctione.

Corpus accipitur tripliciter, nẽpe aut pro

1 *Genere prædicamenti substantiæ*, quomodo substantia diuiditur in *corpus* & *spiritum*, & ita est substantia, eaque *perfecta.*

2 *Altera parte essentiali viuentis corporis*, ea sc. in qua est anima, quomodo dicimus animal componi ex *anima* & *corpore*, & sic substantia est, sed *imperfecta.*

3 *Trina dimensione illa*, quæ *profunditas* dicitur, & isto modo est species hujus prædicamenti, quæ ita substantiali corpori comparatur, quod illud hujus *principium* est, & *subiectum*: hoc eius *effectus* & *accidens.*

SECT. 18.

De descriptionibus corporis.

1 Definitio prima per *extensionem*, corpus est *longitudo, latitudo & profunditas*: i. (corpus) est continua quantitas, in quâ est longitudo, latitudo, & profunditas. profũditas ex *natura sua*, est enim profunditas ejus

ejus *propria passio*, latitudo ratione *superficiei*, quæ est ejus *terminus proximus*: longitudo ratione *lineæ* quæ est ejus *terminus remotus*: si enim esset alia longitudo *lineæ*, alia *superficiei*, alia *corporis*, tum in omni substantiali corpore, essent tres longitudines; et duæ latitudines; quod est ridiculum.

2 Definitio secunda per *terminationem*; corpus est *continua quantitas, cuius partes connectuntur, per superficiem vt per communem terminum*, vel *cuius extremi termini sunt superficies*; hoc intellige de termino *proximo*, nam alius terminus est *proximus* corporis, qui est *superficies*, alius *remotus*, qui est *linea*, alius *remotissimus*, qui est *punctum*.

3 Definitio tertia per *divisionem*: corpus est *continua quantitas, quæ dividi potest secundum tres dimensiones*, sc. longitudinem, & hoc ratione *lineæ*, latitudinem, & hoc ratione *superficiei*, & *profunditatem*, hocque ex suâ *naturâ*; & (sicut dictum est de lineâ & superficie) sic etiam dicendum est de corpore: ipsum dividi non posse nisi in corpora; sicut ex corporibus solis, vt ex partibus *integralibus*, constituitur: nam omnes partes *corporis* sunt *corpora*.

4 Definitio quarta per *mensurationem*; corpus est *continua quantitas, quæ secundum tres dimensiones suum subiectum mensurat*, i. secundum longitudinem & latitudinem, gratia *suorum terminorum*; secundum profunditatem ex *naturâ suâ*.

SECT. 19.

De obiectionibus contra hanc tractationem de corpore.

Ob. Corpus æquivocum est, ergo non est in prædicamento.

Sol. Æquivocum, duplex est

1 *Æquivocans*, & hoc nullo modo in prædicamento est quia est semper *ambiguum*.

2 *Æquivocatum*, idq; capitur vel

1 *Indistinctè*, & sine distinctione ejus ab alijs *æquivocatis*, & ita non est in *prædicamento*.

2 *Distinctè*, vt ab alijs ejusdem nominis significatis separatur, certumq; redditur, & hoc modo, est in *Prædicamento*; quia (vt aiunt *Dialectici*) *æquivocum* distinctum fit *vnivocum*.

Ob. Sublato corpore, sc. longitudine, latitudine, & profunditate, aut subjectum ejus (verbi gratiâ) *Socrates*, divisibilis est, aut indivisibilis; si divisibilis, tum in partes integrales; ergo divisibilitas

ſubſtantiæ in partes integrales, non eſt à quantitate, (vt dicunt *Dialectici* atq; ſuprà dictum eſt;) ſi indiviſibilis, tum corrumpitur caput, cor, manus, & quæcunque partes ſubſtantiæ ſunt; & ita ſublato accidente, ſubjectum interit; vel (ad minimum) ſi dicatur, iſtas partes non corrumpi, ſequeretur omnes partes in eodem *puncto*, ſiue *indiviſibili* eſſe, & nec caput à pedibus, nec cor à naſo diſtare.

Sol. Partes integrales ſunt duplices, aut

1 *Entitativæ*, ſeu ſubſtantiales, vt ſunt caput, cor, & manus, & quæcunq; tales, ſine quantitate conſideratæ; & hæ manerent, etiamſi omnis quantitas tolleretur.

2 *Quantæ*, quæ ſunt illæ partes *indutæ quantitatem*, & ita non manerent; manerent ergo *ſubſtantiales*, ſed non manerent *quantæ*, vnde dico quòd *Socrates* eſſet diviſibilis in partes *entitativas*, ſed non in partes *quantas*; nec eſt quantitas ratio *cuiuſlibet* diviſibilitatis in partes; ſed in partes *quantas*.

SECT. 20.

Quomodo dictæ ſpecies ſunt ſubalternæ aut infimæ?

Dictæ tres ſpecies conſiderantur duplicitèr, aut

1 In ratione *eſſendi*, & ita ſunt *infimæ* ſpecies, vt omnes lineæ *eſſentialitèr*, ejuſdem infimæ ſunt ſpeciei, ſic etiam ſuperficies, & corpora.

2 In ratione *menſurandi*, & ſic quidem forſan *inferiores* habere poſſint ſpecies: vt linea bicubitam, & tricubitam lineam, &c. & ſimilitèr de ſuperficie, & corpore.

SECT. 21.

De tractatione Loci, *& primò locum eſſe ſuperficiem.*

Ariſtoteles 4. Phyſ. text. 41. locum definit eſſe, *Terminum vltimum corporis continentis.*

Omnes autem conſentiunt *terminum* corporis ſuperficiem eſſe. adde ſecundò quòd locus extenſus eſt (quùm ſit locato æqualis) teſte *Ariſtotele*) 4. Phyſ. t. 13. & t. 30. at non ſecundum *vnam dimenſionem ſolam*, quia tum eſſet *lineæ*: nec ſecundum *tres*, quia tum eſſet *corpus*; ergo ſecundum *duas* ſolùm, & ita eſt *ſuperficies*. Iſta dixi propter *Caſum* noſtrum, qui ad contrariam opinionem defecit, cujus

cujus quinque argumenta in eum finem dicta, *irrisione* quàm *responsione* digniora sunt.

SECT. 22.

De refutatione argumentorum Casi, *contendentium contrarium.*

Ob. Argumentum primum: Vbi est superficies ibi semper non est locus, vt extra cœlum; ergo locus non est superficies.

Sol. Simili ratione possim probare, hominem non esse animal, quia vbi est animal, ibi semper non est homo, vt in stabulo; ergo homo non est animal.

Respõdeo superficiem aliam esse { 1 *Convexam*, & hanc nemo vnquam dixit esse locum, & talis est *extra cœlum*. 2 *Concavam*, quam dico esse locum & hujusmodi nulla *extra cœlum* est.

Ob. Argumentum secundum; loci terminus est superficies, (vt patet in textu) ergo locus non est superficies.

Sol. Falsum illud est: vbi enim illud dixit *Aristoteles?* dixit quidem loci partes eodem termino connecti, quo partes corporis.

Ob. At (inquies) partes corporis copulantur superficie, ergo loci.

Resp. Respondeo (vt aliorum responsiones reijciam) copulari eodem termino *remoto*, quo partes corporis, non eodem termino *proximo*; *remotum* autem terminum corporis, dixi esse *lineam*, *sect.* 15. & illa etiam est terminus superficiei.

Ob. Argumentum tertium; 4° Phys. text. 41. dicitur locum esse *immobilem*, at superficies est mobilis: ergo.

Resp. Illud etiam falsum est, nam non *simpliciter* dicitur locum esse *immobilem*, sed *immobilem primo & per se*; quia non movetur nisi gratiâ sui *subiecti*, & illud etiam verum est de superficie: at ex eodem tex. convincitur esse superficiem.

Ob. Argumentum quartum; locus definitur esse trina dimensio, superficies autem bina 4° lib. Phys. text. 8. ergo.

Resp. Falsissimum illud est, nisi marginales annotationes pro textu *Aristotelis* objiciar, locus tamen qui facit *Casum* errare, talis est libro 4° Phys. text. 8. *At vero dubitationem habet, si est, quid est, vtrum moles aliqua corporis, aut quædam altera natura, quærendum enim est genus ipsius primum, distantias igitur habet tres, longitudinem*

gitudinem & latitudinem, atq; profunditatem, quibus determinatur corpus omne: Hæc posteriora verba, multos errare fecerunt, quæ ita construas ; *omne corpus habet tres distantias, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, quibus determinatur* ; sic quòd illa verba, non ad terminum *locus* qui *præcedit*, sed ad terminum *corpus*, quod *sequitur*, referenda sint; & quòd textus ita construi debet, demonstrari potest ex illis verbis, quæ immediatè sequuntur. *Impossibile est autem locum corpus esse*; at si locus haberet istas tres dimensiones, necessarium esset locum corpus esse.

Hæc dixi latius, quia omnes ferè Interpretes in expositione istius loci errant.

Ob. Argumentum quintum: loci subjectum est corpus *continens*, superficiei subjectum, est corpus *contentum*, ergo.

Sol. Hoc eodem modo refellitur quo primum argumentum,

Corpus *continens* est subiectum *concauæ* superficiei, & illa est *locus*.
Corpus *contentum*, *conuexæ*; & illa *non est locus*.

SECT. 23.
De distinctione loci.

Locus capitur duobus modis apud *Aristotelem*

1 Pro *corpore locante*, sc. pro eo corpore quod corpus locatum circumambit, sicut *aqua* quæ circumambit pisces, dicitur *locus* piscium: & *aër* qui me circumambit, dicitur *locus* meus: & hic, (apud quosdam) dicitur locus *materialis*.

2 Pro *illa superficie corporis locantis*, quæ immediatè locum circumambit, nam scitum est, quòd *locans* corpus versus *locatum*, aliquem finem & terminum habet; terminus autem corporis superficies est; nam aër me ambiens, circa corpus meum vndecunque terminatur: terminus igitur qui ita terminat aërem, & me circumambit, meus *locus* est; nam idem *re* est ille *terminus* & *superficies*, & *locus*; sed dicitur superficies, à *passione suâ interna*, quæ est latitudinis *extensio*; dicitur terminus, ab *interno actu*, quòd subjecti corporis terminet *magnitudinem*; dicitur locus ab *externo actu*, quòd externè corporis magnitudinem ambiat; sic quòd dicitur terminus respectu *locantis*, dicitur locus respectu *locati corporis*, & hic dicitur locus *formalis*.

Sect.

SECT. 24.

De definitione loci & eius explicatione.

Locus est *superficies concava corporis continentis, aliquod corpus immediatè continens. Locus* sc. formalis, est *superficies* non plana, non convexa, sed *concava*, i. interior: *corporis continentis*, i. corporis diffusi circa locatum, sicut aër respectu mei, est corpus continens; (immediatè continens aut ambiens,) nam non *quacunque* concava superficies aëris, est meus proprius locus, sed *proxima*; sic quod illa concava superficies aëris, quæ meam convexam, vndecunque *immediatè* tangit, est meus locus.

In loco duo considerantur:

1 *Essentia* ejus, in quâ tria requiruntur:
- 1 *Extensio* ratione *superficiei*;
- 2 *Continentia*, ratione *concavitatis* superficiei.
- 3 *Contactus*, ratione *immediationis* superficiei.

2 *Actus & officium*, quod triplex est, sc.:
- 1 *Terminare localem motum*: est enim ejus externus terminus, nam motus localis est ad locum.
- 2 *Terminare locantis magnitudinem*; est enim locantis corporis *internus* terminus, inhæret enim in corpore locante.
- 3 *Conservare corpus locatum*, nam *ideo* (inquit *Aristoteles*) *aliquid ad naturalem locum fertur, vt ibi conservetur*: 4° lib. Phys. t. 4. & 48.

SECT. 25.

Quomodo locus sumitur hic ab Aristotele?

Facillimus modus respondendi est *Averroïs* 5° Metaphys. in expositione 18. text. *Aristotelem* sumpsisse hic locum *vulgariter*, (vt ante eum antiqui *Philosophi*,) non pro *concavâ* superficie, sed pro spacio isto

medio, inter latera *concavæ* ſuperficiei; verbi gratiâ; in vaſe putarunt illi, locum eſſe non ſuperficiem *concavam*, ſed illud totum *ſpacium* inter vaſis latera, in quod aliquod corpus accipitur; quam ſententiam licet *Ariſtoteles* refutet, in 4 lib. Phyſ. text. 36. & 37. hic tamen ſecundum communem *philoſophorum* & vulgi opinionem loquutus eſt; aut quia ad librum *prædicamentorum*, tam accurata tractatio loci non requiritur; aut quia difficilior eſſet ejus apprehenſio, quàm quæ à diſcentibus librum *prædicamentorum* acquiratur: quòd autem hæc mea reſponſio bona ſit, ex eo fit manifeſtius, quòd in 5° libro Metaphyſ. Vbi *prædicamenta* retractat *locum* non diſtinguit à ſuperficie.

SECT. 26.

Refelluntur aliæ opiniones.

Qui autem contrarium exiſtimant, (vt maxima pars *Philoſophorum*) defendere non poſſunt ſuam ſententiam: nam alij (vt *Aquinas* 5° libro Metaphyſ.) dicit quòd locus & ſuperficies ſunt diſtinctæ ſpecies, quia ſuperficies *interne*, ſcil. corpus in quo inhæret, Locus *externè*, ſc. corpus in quo non *inhæret*, ſed quod ambit, *menſurat*; certè illud verum eſt quod dicit *Aquinas*; ſed quod diverſus modus menſurandi poteſt diverſas ſpecies conſtituere, falſum eſſe videtur; nam illud rogo, aut eſt (menſurare *externè*) de eſſentiâ loci, aut non eſt de eſſentiâ: ſi non ſit de eſſentia, ergo non tacit locum *eſſentialiter* diſtinctum à ſuperficie: ſi ſit de eſſentiâ loci, ergo *abſurdè* omittitur ab *Ariſtotele* in definitione loci, 4° lib. Phyſ. text. 41. ergo menſura non èſt *ad aliquid*, vt *Ariſtoteles* dixit 5° Metaphyſ. t. 2.

Adde quòd ſi *externè* & *internè* menſurare, ſufficit ad ſpecificam diſtinctionem, tum eadem linea & quantitas differret à ſeipſa ſpecie: nam eadem quantitas quæ inhæret in vlnâ, & ipſam *interne* menſurat applicatur panno, & ipſum *externè* menſurat.

Alij autem non hoc modo diſtinguunt locum à ſuperficie, ſed alio potius, nam (vt diximus) eſt triplex ſuperficies { 1 *Plana*. 2 *Concava*. 3 *Conuexa*.

Planam itaque & *Conuexam* volunt *Ariſtotelem* nomine *ſuperficiei*: *Concavam* autem nomine *loci*, deſignaſſe: ſed iſta ſententia melius non defenditur contra noſtrum argumentũ, nam *Concavitas* & *Conuexitas* qualitates

qualitates ſunt de quartâ ſpecie, ideo non poſſint facere qualitates *ſpecie* & *eſſentiâ* diſtinctas.

Adde quòd ſi *concavitas*, & *convexitas* ſpecie quantitates diſtinguerent, ſequeretur, eandem ſuperficiem numero, à ſeipſâ differre *ſpecie*: nam *inferior* & *concava* ſuperficies, crumenæ (ſi vertas) fit *exterior* & *convexa*.

SECT. 8.

De obiectionibus contra tractationem de Loco. Loco

Ob. Locus denominat locatum ergo ineſt in locato, & non in locante: vt in ejus definitione dictum eſt: ergo. *inhæret & externè*

Sol. Locus denominat & *internè* locans, cui *inhæret*, & *externè* locatum, quod *circumambit*; refertur ad *locans*, vt ad *ſubiectum*, refertur ad *locatum*, vt ad *obiectum* ſuum.

Ob. Locus eſt locati locus, ergo refertur ad locatum, atque ita eſt *relativum*, non autem quantitas.

Sol. Locus quantũ
1 Ad *eſſentiam* abſolutum eſt, & quantitas: ideoq; ponitur in hoc *prædicamento*.
2 Ad *modum eſſendi*, reſpectivum eſt, ad locatum: fieri enim non poteſt, quin applicatâ ſuperficie, ad corpus locatum, aliquę reſurgat inter ea, *relatio*, ſed quia illa *relatio* eſt extra *eſſentiam* loci, ideo non ponitur locus in prædicamento *relationis*; licet illud multi docti viri exiſtiment.

Ob. Illud cujus differentiæ ſunt in prædicamento *Vbi* eſt in prædicamento *Vbi*: nam differentiæ ſunt in eodem prædicamento, & in eodem genere cum eo, cujus ſunt differentiæ: ſed *ſurſum* & *deorſum* ſunt in prædicamento *Vbi* quæ ſunt differentiæ loci: diuiditur enim locus per *ſurſum* & *deorſum* vt patet in 1ᵐ Phyſ. t. 41. & 4. Phyſ. t. 4. & libro 4. de cœlo, text. 4. ergo locus eſt in prædicamento *Vbi*.

Sol. Hoc argumentum *Iandunum* in illam opinionem, traxit: vt patet apud eum 4 Phyſ. quæſt. 5. ſed facilis eſt reſponſio.

ſc. *ſurſum* & *deorſum* capi dupliciter, aut
1 *Activè*, vt cum ſecundum ipſa aliquid dicitur *locare*, & ita ſunt differentiæ *loci*, vt in iſtis locis ſumuntur.
2 *Paſſivè*, aut *Relativè*: vt cum aliquid dicitur ſecundum ipſa, *locari*, aut *eſſe in loco*; & ita ſunt differentiæ *Vbi* & in prædicamento *Vbi*; ſic quòd conveniunt *Vbi* per locum, quia nempe locus eſt *ſurſum* & *deorſum*, ideo

locatio

locatio corporis in tali loco; quæ locatio *Vbi* est, dicitur esse *sursum* vel *deorsum*.

SECT. 28.

De tractatione temporis, & primò de distinctione durationis.

Quia omnis *duratio* tempus non est, ideo notandum erit discrimen durationis, nam est triplex, alia vocatur

1 *Æternitas*, quæ est *duratio immutabilis, tota simul*; & hac duratione solus *Deus* mensuratur; saltem *per se*, nihil enim præter *Deum*, æternum est secundum veritatem (vt dicunt *Theologi*) si quid verò præter *Deum* sit æternum, (vt dicunt Physici) à *Deo* suam æternitatem habet; ipse enim solus *per se* æternus est.

2 *Ævum*, quod est *duratio mutabilis tota simul*: hac duratione mensurantur *spirituales substantiæ*, vt *Angeli* & animæ humanæ, quæ licet prius & posterius non admittunt, sed semper eadem *essentialiter* manent, tamen mutabiles sunt, (sicut quælibet creatura) propter dependentiam quam habent ad Deum.

3 *Tempus*, quod est duratio *mutabilis*, quâ differt ab æternitate: *successiva*, quâ differt ab ævo; (quo mensurantur omnes res gẽnerabiles & corruptibiles) i. omnia sublunaria quæcunque corpora, & eorum accidentia.

SECT. 29.

De definitione temporis & eius explicatione & primò de primâ particulâ.

Tempus ita definitur ab *Arist.* 4 libro Phys. text. 101. *Tempus est numerus motus secundum prius & posterius*: cujus partes *membratim* explicandæ sunt, vt infinitæ difficultates effugiantur. *Numerus* hic videtur esse discreta quantitas, sed non est,

Nam numerus duplex

1 *Absolutus à rebus numeratis*, vt duo tria, &c: vbi res numeratæ non ponuntur, sed solum numeri; & talis numerus necessariò *discretus* est, talis autem numerus non est tempus.

2 *Appli-*

est, alius enim est { 2. *Applicatus ad res numeratas*, & talis potest esse indifferenter, aut *continuus*, aut *discretus* pro conditione rei, quæ numeratur; sic pes, dicitur *numerus* trium palmarum; sic palma, quatuor digitorum *numerus*; sic tandem tempus *numerus*, non *discretarum* rerum (nam tum esset discreta quantitas) sed *continui*, sc. (motus) & proinde sicut motus *continuus* est, ita tempus, cum sit applicatum ad numerandas partes motus. continuum est: *facilius* responderi potest, licet non tam *accommodatè* ad verba *Aristotelis*; tempus esse numerum, i. mensuram motus.

SECT. 30.

De expositione secundæ particulæ positæ, in definitione temporis.

Tempus est numerus (vt dixi) non *absolutus*, sed *applicatus*, non ad *quamlibet* rem continuam mensurandam, sed est numerus *solius motus*.

Ob. Sed aliqua difficultas oritur, quia omnes res generabiles & corruptibiles mensurantur tempore; nam tempore oriuntur, & tempore occidũt; vt homines, & equi, & lapides; Ista autẽ omnia non sunt *motus*.

Sol. Observate itaq; quòd tempus est mensura solius motus, *per se*, cæterarum autem rerum, *gratiâ motus*; nam solùm illæ res quæ mobiles sunt, aliquâ specie motus, mensurantur tempore; & id solùm illis accidit ratione motus, qui in illis est; motus itaq; solus *per se*, res autem omnes *mobiles*, sive cœlestes, sive sublunares, *ratione motus* tempore mensurantur.

SECT. 31.

De explicatione tertiæ particulæ, in definitione temporis.

Tempus est numerus motus, non quocunq; modo, sed (secundum

prius & posterius,) i. secundùm successionem ejus, vel secundùm partes priores & posteriores illius motus, quod vt melius intelligatur,

Notandum, quòd in partibus motus, (quantum ad quantitatem) duo sunt accidentia, sc.

1. *Extensio*, quæ est dilatatio ipsius motus in partibus subjecti, nam dum ego moueor, omnes etiam partes meæ mecum moventur; sic quòd motus *extenditur* secundùm omnes meas partes; & hanc *extensionem* sui, motus habet à magnitudine *corporis*.

2. *Successio*, quæ est continua partium motus corruptio, & generatio aliarum; namlicet motus per omnes meas partes extendatur, non tamen eadem parte motus nunc moveor quâ (abhinc hora) movebar, sed fluebat ille motus, & alius generatur; & hanc *successionem* partium habet mensuratus à *tempore* motus, & secundùm has partes quarum aliæ sunt priores, aliæ posteriores, motus à tempore mensuratur.

SECT. 32.

De subiecto temporis.

Subjectum temporis duplex est, nempe

1. *Medium*, & illud est *motus*, non solum primi mobilis, sed omnium rerum mobilium in quacunq; motus specie; si enim non foret aliquis motus, non esset aliquod tempus; ideoq; tempus dicitur *passio motus*; & quia tempus principalius est in mundo per motum primi mobilis; ideo (apud *Philosophos*) & ejus motus, *peculiariter passio* (tempus) interdum dicitur.

2. *Vltimum* cui inhæret tempus, vt in vero subjecto; & illud *mundus* est, sc. aggregatum ex cœlis & elementis, et omnibus in illis comprehensis; quod si velis defendere primum cœlum, esse subjectum temporis, tum responde quòd tempus est in solo primo mobili per *inhærentiam*, in alijs verò rebus, per *mensurationem*.

Ob. Omnis motus est in tempore 5. Phys. t. 3. (& omnes Physici concedunt) ergo tempus non est in motu.

Sol. Ne-

Sol. Negatur argumentum: nam motus est in tempore, vt *mensuratum in mensurâ*, at tempus est in motu, ut *accidens in subiecto*.

SECT. 33.

De speciebus temporis.

Tempus (vti cæteræ dictæ species) est infima species, nam tempus præteritum & futurum non sunt *species* temporis, sed *partes integrales*; contrahitur tamen *accidentaliter* tempus, idq; triplicitèr ad significandum diversitatem temporum, quandoque enim

Tempus significat, vel

1. *Existentiam Solis, vel Lunæ in aliquo signo Zodiaci*; vt annus, mensis, dies naturalis.

2. *Actus*, vel *dispositiones sublunares*, vt tempus serenum, pestilens, & tempus seminandi, &c.

3. *Existentiam, seu positionem Solis in aliquâ parte Zodiaci, cum dispositione sublunari*, vt *ver* quod connotat situm solis, in tribus primis signis, cum humore & calore in *inferioribus*: *æstas*, quæ significat situm solis in tribus sequentibus signis cum calore, & siccitate in *inferioribus*, & sic de cæteris; nam hæc consideratio magis pertinet ad *Astronomiam*.

SECT. 34.

De definitione temporum, vt anni, mensis, diei, &c.

Licet hoc, *Dialecticum* negotium sit *transcurrere*; tamen & *iucundum* est, & huic loco *necessarium*; si autem velis facilitatem sequi, mihi videtur, posse commodissimè omnia hæc tempora, ex solis motu definiri: vnde meritò ab *Astronomis* (*distinctor temporum*) appellatur. Annus itaq; est *tempus quo sol peragrat totum Zodiacum*, i. tempus quo ingreditur principium *Arietis*, quod in hac nostra ætate decimo Martij

contingit, donec ad idem punctum iterum revertatur, quod est tempus 385 dierum.

Mensis autem est duplex, alius sc.

1. *Solaris*, quo in suis computationibus vtuntur *Astronomi*: qui est *tempus quo sol peragrat vnum signum Zodiaci*; vt tempus quo à primo gradu *Arietis*, venit in primum gradum *Tauri*; & continet paulo plus quàm 30 dies, nimirum plus 25 minutis.

2. *Lunaris*, quo vtuntur *Medici*; qui est *tempus quo Luna totum Zodiacum peragrat*, vt tempus quo procedens à primo gradu *Arietis*, omnia signa *Zodiaci* discurrens, ad eundem gradum iterum revertitur, quòd 27 diebus & 8 horis perficitur.

Dies autem duplex est,

1. *Naturalis*, qui constat ex 24 horis, & est *tempus quo sol ab oriente in occidens delatus, ad orientem iterum perveniat*: & continet & diem *artificialem* & *noctem*.

2. *Artificialis*, qui est interdum longior, interdum brevior, & definitur à *Phys. latio solis super terram*.

Ob. Latio solis est motus, at dies non est motus, sed tempus: ergo dies non est latio solis.

Sol. Dies est latio solis, i. tempus lationis solus: Nox, est *tempus quo sol sub terram demergitur, nec nos illustrat*: vel commodissimè definiri potest, *vmbra terræ*: quia sicut *sol* suâ luce facit *diem*; ita *terra*, suâ opacitate, & vmbrâ facit *noctem*; sed hæc rejicimus ad eam (ad quam spectant) scientiam, *Astronomiam*.

SECT. 35.

Obiectiones contra ea quæ dicta sunt de tempore.

Ob. Non sunt aliquæ partes temporis, ergo tempus non est quantitas, antecedens probatur, quia præteritum non est; nec futurum est, nec est aliquid temporis præter instans, instans autem non est *pars*, sed *terminus* temporis, ergo nulla est pars temporis.

Sol. Partes

Sol. Partes duplices sunt, aliæ sc.

1. *Permanentes*, sic nullæ sunt *partes* temporis, quia tempus non est quantitas *permanens*

2. *Profluentes*, & sibi invicem succedentes, & sic sunt ejus partes, *præteritum* & *futurum*, nam non est eadem ratio in *permanente* ac in *fluente* quantitate. Vt enim *permanens* quantitas dicatur esse; requiritur vt *habeat suas partes actu simul existentes*, at vt *fluens* quantitas esse dicatur; sufficit vt *terminus actu sit*, qui ejus partes conjungit; tempus ergo est, licet nulla *pars* temporis *actu* sit, quia est instans *actu*, quod illas partes sibi invicem copulat.

Ob. Præteritum non est, ergo non est quantitas; & consequenter nec tempus.

Sol. Argumentum tenet in *permanentibus*, non in *successivis*.

Ob. *Tempus* est quantitas gratia motus, docente *Aristotele* 5. Metaph. tex. 18. ergo non est per se quantitas; & consequenter, quantitas non est genus temporis; genus nempe *per se* prædicatur de specie.

Sol. Tempus est quantitas *gratiâ motus*, vt gratiâ *causæ efficientis*, est tamen *formaliter*, *per se* quantitas; sic *filius* est animal, & homo, gratiâ *patris* qui ipsum generavit, vt gratiâ *efficientis causæ*: non tamen sequitur quòd non sit *per se* homo et animal: et hoc notandum est. Nam de hac re mirabiliter sese torquent *interpretes*, nec possint *Aristotelem* tamen liberare à calumnia.

Ob. Tempus dependet ab anima, 4. Phys. tex. 131; & sequentibus: et illud ratione ostenditur, quia tempus numerus est, at non est numerus nisi numeret, nam numeratio est actus animæ; ergo tempus dependet ab animâ, et consequenter non est realis species quantitatis.

Sol. Tempus consideratur duplicitèr, aut

1. *Absolutè in se*, et sic est quædam continua successio, et quantum ad hanc, non dependet ab operatione animæ.

2. *Comparatè ad alias res*, quas mensurat; et sic habet sibi adjunctam numerationem, motuum; nota tamen quòd ista numeratio est duplex, nam est alia

1. *Aptitudinalis*.

2. *Actualis*, jam tempus ex suâ *naturâ*

habet *aptitudinalem* numerationem, est enim *per se aptum* ad numerandum partes motus; at *actualem* numerationem habet ab animâ; nam non dicitur *actu* motum *numerare*, nisi in quantum ab animâ applicatur ad motum.

SECT. 36.

De Discretæ *quantitatis tractatione & primò de numero, & de eius distinctione.*

Numerus est duplex, vel

1 *Transcendentalis*, qui est *rerum spiritualium multitudo*, quomodo dicimus esse tres personas in *divinis*; vnum *Deum*, multos angelos; tres animas, quatuor albedines.

2. *Prædicamentalis*, qui est rerum corporearum, i. continuarum, vt tres homines; 4. lapides, &c. & talis *numerus* in hoc prædicamento ponitur.

Item notandum est, quod duplex est numerus, alius

1. *Materialis*, qui à *Dialecticis* appellatus est (*numeratus*) qui est nihil aliud, quam ipsæ res quæ numerantur, vt tres homines (materialis numerus) dicantur qui ternario numero numerantur.

2. *Formalis*, qui dicitur (*numerans*) quia ille est numerus quo numeramus, vt tres, quatuor, &c. sine contractione ad vllas res numeratas, sc. homines aut equos, &c. *

* Estq; hic vel

1. *Ordinativus*, vt secundus, tertius.

2. *Distributivus*, vt singuli, bini.

3. *Collectivus*, vt duo, tria, & hic numerus potissimùm ad hoc prædicamentum spectat.

SECT. 37.

Numerum esse discretam quantitatem.

Numerus est *quantitas*, quia est per se divisibilis in partes integrales; nimirum in vnitates, ex quibus conflatur: est autem *discreta* quantitas, cò quòd ejus partes non copulantur per aliquem terminum communem; nam in *binario* numero, ejus partes sunt duæ vnitates: in *ternario*, tres vnitates, ex quibus conficitur; at vero istæ vnitates sibi invicem per nullum terminum continuantur; sed coacervantur solùm sine vllo termino.

SECT. 38.

De definitione numeri.

Sicut punctum est principium *magnitudinis*, & instans *temporis*; ita est vnitas principium *numeri*: at in hoc est differentia, quòd ipsa sunt *solum principia*, aut *termini*: at *vnitas* respectu numeri, non est solum *principium*, sed etiam *pars* ideoque numerus per vnitates definitur.

Numerus est itaq; multitudo ex vnitatibus collecta: sic definitur ab *Euclide*, libro 7. elementorum, definitione secundâ: quæ definito constat ex *genere*, *materia* & *forma*: nam *genus* numeri, est *multitudo* quæ idem est quòd discreta quantitas, *Materia* numeri, sunt *vnitates* ex quibus conflatur, vt tres *vnitates* sunt materia ternarij *numeri*: *Forma* numeri, est vnitatum *compositio*, nam idem est *collectio* in discretis, quod est *continuatio* in continuis.

SECT. 39.

De divisione numeri.

Omnes dictæ species erant *infimæ*, at numerus *subalterna* est species, &

es,et genus; vt numeri ſpecies ſunt *binarius*, *ternarius* numerus, etc. quorum individua ſunt *hic & ille binarius*, *hic & ille ternarius numerus*, etc. at iſta numeri diviſio non poteſt in *infinitum* excreſcere : nam *numerus*, res *numeratas*, i. corpora quæ numerantur, non poteſt excedere: corpora autem infinita eſſe non poſſunt.

SECT. 40.

Obiectiones contra ea quæ dicta ſunt de numero.

Ob. Multitudo relativum eſt, non eſt ergo genus numeri.

Sol. Multitudo capitur dupliciter, vel vt
1. Opponitur *paucitati*, et ita eſt relativum.
2. Diſcretionem partium ſignificat, et iſto modo eſt quantitas et genus numeri.

Ob. Ex non quantis et indiviſibilibus non poteſt fieri quantum, et diviſibile: at vnitates ſunt, non quantæ, et indiviſibiles: ergo numerus ex illis conflari non poteſt.

Sol. Vera eſt major propoſitio de quanto *continuo*, non *diſcreto*.

Non quantum duplex eſt aliud
1. *Actu* et *perfectè*, et ita vnitas eſt *non quantum*.
2. *Potentiâ* et *reductivè*, et vnitas ita *quanta* eſt. (eſt enim vnitas in *potentia* omnis numerus, inquit *Boetius*.)

Ob. Collectio et compoſitio eſt nihil aliud quàm relatio compoſitorum; at Relatio non poteſt eſſe forma quantitatis, aut de eſſentia ejus. ergo.

Sol. Illa ratio illos omnes convincit, qui compoſitionem *eſſentialem* formam numeri eſſe dicunt: dic potius eſſe *accidentalem* formam, et *relativam*, et poni pro *eſſentiali*, quòd illa nos lateat.

Ob. Omne ſingulare accidens eſt in vno ſolo ſubjecto: nam ſi in pluribus inſit, tum eſt vniverſale: at hic binarius numerus, aut hic quaternarius, non eſt in aliquo ſubjecto, quia tum vnum ſubjectum eſſet duo aut quatuor. ergo.

Sol. Omnis numerus eſt in ſubjecto vno *aggregato*; non *ſimplici*: nam licet quatuor homines, qui ſunt ſubjectum, quaternarij numeri *inter ſe* ſuis differentijs diſtincti ſunt, et ſunt diuerſi homines, collati tamen ad ipſum *numerum* quaternarium, efficiunt vnum ſubjectum ſolum.

SECT. 41.

De tractatione orationis, & primò de eius distinctione.

Ob. Oratio est vox complexa, ergo nulli inest prædicamento. oratio est etiam qualitas, est enim sonus qui est in tertia specie qualitatis, ergo non est quantitas.

Sol. Oratio capitur quatuor modis, sc.

1 pro *voce cõplexa* ex nominibus aut verbis, & sic est in *nullo prædicamento*, & sic tractatur ab *Aristotele* lib. primo de interpretatione cap. 3.

2 Pro *locutione* & *prolatione vocis*; & sic est quædam actio linguæ, & in *Actionis* prædicamento.

3 Pro *sono corporeis instrumentis effecto*, in quantum est obiectum auditus; & ita est in prædicamento *qualitatis*.

4 Pro *mensura vocum & syllabarum:* & ita est *quantitas*, & ita hic sumitur.

SECT. 42.

De orationis definitione.

Oratio vt hic sumitur nihil aliud est, quàm multitudo sonorum, longitudine & breuitate temporis mensuratorum.

In oratione tria potissimum considerantur, tũ ejus

1 *Essentia*, quæ est sonus cum significatione.

2 *Qualitas*, vt acuties, grauitas, & raucicas, &c.

3 *Quantitas*, quæ est quasi extensio aut corpulentia vocis, secundum quam aliqua syllaba longa aut breuis dicitur: (apud *Grammaticos*) appellatur *tempus vocis*; quarum syllabarum *successiuè* & *discretè* productarum mensura dicitur *oratio*; nam syllabæ in quantum *successiuè* producuntur, mensurantur *tempore*, & in quantum *discretè* proferuntur, mensurantur *oratione*.

SECT. 43.

De differentia inter numerum & orationem.

1 *Amplitudine*, quia numerus se extendit *latius* quàm oratio, cum oratio solum *discretos sonos*, numerus quaslibet res alias *discretas* numerat.

Numerus & oratio differunt, & in

2 *Modo mensurandi*, quia numerus mensurat ex *repetitione vnius & ejusdem indiuisibilis* sc. vnitatis, oratio autem ex *prolatione* diversarum partium discretarum.

3 *Obiecto mensurationis*, quia numerus mensurat potissimùm res *permanentes*, oratio autem res *succedentes*: vnde hic etiam notandum, quòd quælibet vox siue sit *simplex*, siue *complexa*, siue *oratio*, siue *nomen*, siue *verbum*, quę pluribus syllabis, siue longis, siue breuibus ponderatur, hic *oratio* dici potest.

SECT. 44.

Obiectiones contra id quod dictum est, quantitatem esse dictarum specierum genus, & de specierum earum distinctione.

Ob. Nullum genus debet prædicari denominatiuè de suis speciebus: at quantitas de istis prædicatur denominatiuè; nam linea non solum dicitur *quantitas* sed *quanta*; & sic de cæteris speciebus, ergo: major est *Aristotelis* 4. Top. cap. 1. t. 3.

Sol. Illa prædicatio concreti, licet propter *modum* videtur *denominatiua*, est tamen *re ipsa vnivoca* & *essentialis*: summè tamen Notandum est, quòd ille *modus* prædicationis concreti de abstracto, est proprius huius prædicamenti, non enim propria prædicatio est (albedo est qualis.) quod innuit *Aristoteles*, quantitatem hic tractans in *concreto* i. Quantum; tractauit autem potius in *concreto*, quàm in *abstracto*, quia *concretum* est notius, cum sit magis compositum.

Ob. Vna species vnius generis non fit ex aliâ; quia debent esse oppositæ: at discreta quantitas ex continua fit, quia ex diuisione continui resultat numerus: vt *Aristoteles*, & experientia docet, ergo.

Sol. Numerus non fit ex continuo in *specie*, sed in *individuo* i. ex *hoc* & *illo* continuo fit numerus: non ex continuo *indefinitè* sumpto, aut omni continuo.

Ob. Aristoteles 5. libro Metaph. text. 19. tractans hoc prædicamentum, nec numerat inter ejus species, locum, nec orationem; tempus verò non quantum per se, sed per motum dicit, ergo a seipso dissentit.

Sol. Quia omnium istorum reconciliatio magnam requireret tractationem, in quâ *interpretes* summè desudarunt breviter respondeo, ibi locutum esse *Aristotelem*, de quantitate *permanente* ideoque prætermisisse, *tempus*, & *orationem*, quæ in successione quadam versantur, omisisse verò *Locum*, quia (vt dixi) continetur sub *superficie*.

SECT.

SECT. 45.

De secunda divisione quantitatis, in quantitatem habentem, & non habentem situm:

Ad cognitionem hujus diuisionis, notandum, quòd *situs* seu *positio* in hoc libro

Dupliciter capitur ab *Aristotele:* vel pro

1 *Coordinatione partium alicuius corporis in loco,* sicut dicimus caput esse *sursum,* pedes *deorsum,* cor tanquam *in medio* loco: atque ita constituit distinctum prædicamentum Situs,

2 *Coordinatione partiũ alicuius continui in toto,* nõ in loco, & ita est passio quantitatis, & hoc loco sumitur: secundum quod dicimus caput esse *sursũ,* pedes *deorsũ,* & ad illud quod habeat hũc sitũ, tria requiruntur, sc.

1 *Continuatio partiũ,* quod sc. partes inuicẽ continuentur aliquo termino cõmuni, & per hanc excluduntur species discretæ quantitatis *numerus* & *oratio.*

2 *Permanentia partium* sc. quod simul maneant, & non fluant: & per hanc tempus excluditur quòd *situm* non habet.

3 *Distantia* quædã inter partes ipsas, sc, quòd vna sit extra vel juxta vel supra, vel infra aliã; i. talis sit ordo illarum partium, vt vbi sunt, demonstrari potest.

Ex quibus patet quatuor species solùm quantitatis habere *situm:* sc. *lineam, superficiem, corpus,* & *locum;* quia in illis solum hæ conditiones inveniuntur; alias vero tres sc. *tempus, numerum, orationem* non habere.

SECT. 46.

De tertia diuisione Quantitatis vel potius Quanti, in quantum per se, & quantum per accidens.

Quantum diuiditur in illud quod est quantum

1 *Propriè* & *per se,* & *essentialiter,* quomodo illa solùm quæ sunt *quantitates* (sc. species quas tractauimus, & earum genera, & indiuidua) *quanta* dicuntur.

2 *Impropriè, per accidens,* & *accidentaliter,* quæ non sunt *quantitates,* sed illas quantitates *participant,* & hæc sunt in triplici genere,*

1 *Inhærentem sibi quantitatem,* & sic sola *substantia* dicitur quanta; nam ipsa quantitas inhæret substantiæ, & ita illam quantam denominat.

* Nã quædã vocantur *quanta*, vel propter

2 *Subiacentem sibi quantitatem*, sic *albedo* dicitur quanta sc. longa aut lata, ratione superficiei quæ sibi subjacet; nam si bipedalis superficies erit cui ineſt albedo, & bipedalis albedo erit: & hoc modo generaliter *omnia accidentia* dicuntur *quanta*, quæ recipiuntur in substantiam per quantitatem.

3 (*Mensurãtem se externè quantitatem*, sic *actio*, & *motus* dicitur *quantus* sc. longus & diuturnus secundum longitudinẽ & duturnitatem tẽporis in quo perficitur.

Ex his tribus diuisionibus quantitatis; prima divisio sc. in *continuam* & *discretam* quantitatem, est divisio *generis* in species per *essentiales* differentias: nam *continuum* & *discretum* sunt veræ & *essentiales* differentiæ quantitatis.

Secunda diuisio quantitatis in *habentẽ* & *non habentẽ situ*, est divisio *subiecti* in *accidentia*, nam *situs* (vt dixi) est accidens & propria passio quantitatis.

Tertia diuisio quantitatis in quantum *per se* & *per accidens*, est diuisio *analogi* in *analogata*, nam prius & magis proprie dicitur quantum *per se*, quam quantum *per accidens*; & id quod est *essentialitèr*, quam quod *accidentaliter*, (quantum:) hoc enim non nisi illius ratione, & interuentu dicitur *quantum*: & non est inconveniens idem diversis rationibus multipliciter diuidi.

Ob. Substantia etiam continua est, nam partes *Socratis* inuicem continuantur, ergo esse continuum non solum conuenit quantitati, nec est (continuum) essentialis quantitatis differentia.

Sol. Continuitas conuenit soli quantitati *per se*; substantiæ, non nisi *per accidens*, & gratia quantitatis, nam est lapis *continuus* quia in se habet *continuam* quantitatem, cujus termino connectuntur partes, & quantitatis *per se*, & lapidis, *per accidens*, mediante sc. quantitate.

SECT. 47.

De mensuris, an ad hoc prædicamentum pertinent?

1 *Extensionis* siue secundum *longitudinem solam*, vt palma pes, miliare; siue secundum *profunditatem* etiam, vt dolium & omnes mensuræ liquorũ; quòd omnes tales mensuræ ad hoc prædicamentum referantur; quæ mensurant secundum *longitudinem* solam, ad sedem lineæ: quæ secundum *profunditatem* ad sedem corporis;

nec

Notandū de mensuris, (quibus tū *mercatores*, tum etiam *Geometræ*, & *Geographi* vtūtur,) quòd aliæ sunt mensuræ

nec aliter ab illis quantitatibus differunt quàm quòd præter essentiam quantitatis, certam quidem & determinatam quantitatis extensionem designant: & his mensuris omnes dicti artifices vtuntur.

2 *Ponderis & grauitatis*, quæ apud *mercatores* maximè in vsu sunt, vt vncia, libra, & omnes tales mensuræ, non ad prædicamentum *quantitatis* (vt turba *interpretum* existimat) sed ad prædicamentum *qualitatis* referuntur; sicut etiam grauitas & pondus qualitates sunt cujus tales mensuræ sunt, & hæ certam quandam, & constitutam determinationem ponderis significant.

SECT. 48.

De proprietatibus quantitatis, & primo de explicatione prima.

Prima proprietas quantitatis est: *Nihil est quantitati contrarium*; intellige (per se) nam sicut substantia substantiæ *per accidens* est contraria, vt ignis calidus est contrarius aquæ frigidæ; ita etiam *per accidens*, quantitates possint esse contrariæ, sic enim superficies alba, est contraria superficiei nigræ, non in quantum *quantitas* est, & *superficies*; sed gratia *albedinis* & *nigredinis*: sic linea curva, est contraria lineæ rectæ non *per se*, in quantum est *linea*, sed *per accidens*, ratione *curuitatis*, & *rectitudinis*: & hoc est proprium secundo modo, conueniens omni, non soli: nam convenit etiam substantiæ, vt dictum est.

SECT. 49.

Quid Aristoteles *dixerit de hac proprietate?*

Ob. Aristoteles sibiipsi objicit, multa esse contraria paucis, & magna paruis, ista autem sunt quantitates, ergo quantitas habet contraria.

Sol. Hanc rationē tollit *Aristoteles* duplici ter,

1 Negat esse quantitates, quia sunt in prædicamento (ad aliquid,) relatiua autem esse probat, quia *absolutè* & per se intelligi non possunt.

2 Si concedatur ea esse quantitates non tamen sunt contraria, id probat dupliciter

1 *Ostensiuè*.

2 *Ex absurdo*.

1 *Ostensiuè* dupliciter
- 1 Quòd nulla relatiua sunt contraria, at ista relatiua sunt, ergo non sunt contraria.
- 2 Contraria non possunt inesse eidem simul: at idem est magnum & paruum respectu diuersorum: vt homo paruus respectu montis, magnus respectu grani.

2 *Ex absurdo*, sic, vna & eadem res non est sibiipsi contraria, sed vna eademq; res est magna & parua (vt diximus) ergo non sunt contraria.

Ob. Secunda *Aristotelis* instantia & objectio de loco est, quia locus summus, est contrarius loco infimo; cum maximè à se invicem distant, at summus locus & infimus sunt quantitates, ergo.

Sol. Distantia maxima est duplex sc.
- 1 *Spacii*, & ita maximè distant summus locus & infimus; & hanc *distantiam Aristoteles* vocat libro primo Metaph. t. 6. *contrarietatem secundum situm.*
- 2 *Naturæ*, & talis veram contrarietatem constituit, quam *Aristoteles* vocat *contrarietatem secundum speciem*, & hæc contrarietas i. *naturæ*, non *spacij*, hic intelligitur.

SECT. 50.

Dubitationes aduersus ea quæ dicta sunt.

Ob. Sed est dubium contra ea quæ dicta sunt, & contra ea quæ *Aristoteles* respondet, nam concretum & abstractum, sunt in eodem prædicamento, at abstractum sc. magnitudo, & multitudo est in genere quantitatis, ergo multum et magnum.

Sol. Magnitudo & multitudo capiuntur dupliciter sc.
- 1 *Absolutè*, quomodo magnitudo est continua extensa quantitas, & multitudo discreta quantitas: & ita *magnum* & *multum* est, sc. quod est tali, vel tali quantitate imbutum, & ita spectant ad prædicamentum quantitatis sicut abstracta.
- 2 *Relatiuè*, vt magnitudo significat *excessum* paruitatis, & multitudo *excessum* paucitatis: & hoc modo tum concretum, tum abstractum sunt in prædicamento *Relationis.*

Ob. Locus est alius salubris, alius pestilens; alius naturalis, vt piscibus in aqua, hominibus in aere, alius contra naturā, vt piscibus in aere, hominibus in aqua; alius calidus, alius frigidus, ergo habet cōtrarium.

- 1 *Simpliciter in suâ naturâ & essentia*: vt superficies est & quantitas, & sic nihil est loco contrarium.

Sol.

Sol. Locus consideratur dupliciter { 2 *Compositè*, vt *informatur accidentibus*, aut dispositionibus convenientibus aut nocentibus locato, & ita potest habere contrarium, ratione illorum accidentium: nam locus *salubris* contrariatur *pestilento*, non in quantum *loci* sunt, sed quantum *contrarijs accidentibus* imbuuntur, & ratione *salubritatis* & *pestilentiæ* quas includunt.

Ob. Nox & dies sunt contraria, cum nox tenebrosa, dies lucida sit; ergo tempus.

Sol. Nox & dies sunt tempora in *essentia*, at in hoc solum differunt, quod dies, tempus cum præsentia solis; nox, tempus absentia solis significat; dies lucem, nox tenebras: opponuntur ergo non in quantum *tempora*, sed in quantum altera *lucida*, altera *tenebrosa* est: nec tamen lux *contrariè* opponitur tenebris, sed *priuatiuè*, nam tenebræ sunt privatio lucis,

SECT: 51.

De secunda quantitatis proprietate atque eius explicatione.

Secunda proprietas est: quòd *Quantitas non admittit magis & minus*: suscipere autem (magis & minus) est prædicare cum istis adverbijs (magis & minus) de suis subjectis: vna autem quantitas non *magis* est, quàm alia, licet sit *perfectior* & *melior*; vt corpus quàm superficies, superficies quàm linea, aut *extensior*, & *maior*, sicut linea *longa*, linea *breui*; corpus *magnum* corpore *parno*; tamen *intensior* & *magis* est nulla quantitas quàm alia; & hæc est etiam proprium secundo modo, conveniens omni, non soli: nam conuenit etiam substantiæ,

Ob. Vna linea est magis & minus curua quam alia; ergo linea suscipit magis & minus.

Sol. Hoc est *curuitatem* suscipere, non *lineam*, nam (dixi) suscipere (magis & minus) esse prædicari (non subijci) cum istis aduerbijs (magis & minus) at ita linea *subijcitur* non *prædicatur*.

Ob. Si intensio & remissio in *curuitate* sit, tum in linea est; nam linea est subjectum curvitatis; ergo etiam *intensionis*, & consequenter capit intensionem.

Sol. Capit quidem intentionem, & remissionem, non *sui*, sed *suæ qualitatis*: est itaque *subiectum* intensionis, sed non est *obiectum* intensionis: i. est illud quod suscipit *in se*, alterius intensionem, at non est illud quod *ipsum* intenditur.

Ob.

Ob. Vna linea est longior quam alia linea: ergo (magis) longa quam alia; nam illud necessarum est secundum *Grammaticorum* regulas.

Sol. Grammatica illum loquendi modum admittit, *Dialectica* non admittit; & concesso, quòd vna linea sit (magis) longa quàm alia, hoc non est *lineam* (magis & minus) suscipere; sed *longitudinem*; *longitudinẽ* autem supra dixi, non esse *quantitatem*, sed quantitatis *passionem*. Deinde vna linea dicitur longior aut propter *extensionem* partium, quam admittit; aut *intensionem*, quam non admittit.

Ob. Æqualitas suscipit (magis & minus) secundum *Philosophum* in cap. (ad aliquid) t. 7. at æqualitas aut est quantitas, sic enim definitur æqualitas, *est eadem specie quantitas*; aut si non sit, tamen est *Relatio* fundata in quantitate; vt patet ex tertia proprietate hujus prædicamenti: constans autem regula est, (apud *Dialecticos*) illa solum relatiua capere (magis et minus) quorum fundamenta capiunt; at fundamentum æqualitatis est quantitas: ergo si æqualitas capiat magis et minus; quantitas etiam capiat.

Sol. Fluctuant hic *Interpretes*: Resp: igitur æqualitatem esse duplicẽ, alia enim sumitur à magnitudine

1 *Quantitatis*, secundum quam dicimus duos pedes vel duas palmas, esse *æquales*, quæ æqualem habent extensionẽ, et talis *æqualitas* (magis et minus) non recipit, cũ in indiuisibili cõsistat, et hæc fundatur in quantitate.

2 *Virtutis* seu *qualitatis*, secundum quam, dicit *Aristoteles* 2. libro de generatione et corruptione, text. 37. quædam esse æqualia *in quanto quod possint*: i. in quantitate virtutis, et potentiæ, secundum quam dicimus *Socratem* et *Aristidem* æqualiter esse justos: et hæc *æqualitas*, non fundatur in quãtitate sed in qualitate: qualitatẽ autem capere (magis et minus) nemo dubitat, hoc animaduerte, quia vnum eorum argumentorum dissoluit, quæ contra intensionem *Relatiuorum* attulit *Toletus*, cujus etiam cæteris argumentis respondebitur infra.

SECT. 52.

De tertia proprietate quantitatis, & primò de definitione æqualitatis, & inæqualitatis.

Definitio æqual. et inæqual. apud *Philos.* duplex est, alia

1 *Fundamentalis*, et *absoluta* quæ talis est, *æqualitas est rerum diuersarum, eadem specie quantitas: inæqualitas est diuersarum rerum diuersa specie, quantitas.*

2 *Formalis & comparata* quæ tradi potest aut respectu ad *res* denominatas; et sic definiuntur esse *relationes*, *secundum*

ſecundum quas res æquales aut inæquales denominantur: vel ad *fundamentum* ejus immediatum: & ſic æqualitas definitur, eſſe *relatio duarum quantitatum eiuſdem ſpeciei; quarum vna non excedit aliam;* hoc intellige de *continuis*, nam in numeris eadem ſpecies non poteſt excedere aliam: Notandum quòd (propriè loquendo) par & impar in numeris ſolùm reperiuntur; at fuſius aliquando ſumi poſſint, pro *æqualitate* & *inæqualitate*, & ſic extendi poſſunt ad continuas quantitates.

Ob. Si æqualitas ſit rerum diverſarum eadem *ſpecie* quantitas, tum quæ eandem *ſpecie* quantitatem habent, habent etiam *æqualitatem*; & ſunt æqualia; at mus & cœlum, minimum & maximum *corpus*, eandem in ſe habent ſpecie quantitatem; ſc. lineam aut ſuperficiem, aut corpus: ergo ſi iſta definitio bona ſit, ſunt æqualia, quod dicere eſt ridiculum.

Sol. Æqualitas eſt rerum diverſarum eadem *ſpecie* quantitas, (eadem *ſpecie* dico) non tantum quoad *eſſentiam*, ita vt eandem ſpecificam *eſſentiam* alicujus quantitatis habeant (nam illud non ſufficit) ſed eadem *ſpecie*, quoad *extenſionem*, ita vt vtraque quantitas habeat eandem *ſpecificam extenſionem*: licet ergo mus & cœlum eandem habent *ſpecie* quantitatem quoad *eſſentiam*, non tamen quoad *extenſionem*; quia illa quantitas non adeo extenditur in mure, atq; in cœlo.

Ob. Vnum eſt fundamentum æqualitatis, ſecundum *Ariſtotelem* 5° Metaph. text. 2° vnum autem non reperitur in diverſis rebus, ergo nec æqualitas: Argumentum ſequitur, quia relatio non poteſt eſſe ſine fundamento, ergò malè definitur, *diverſarum rerum eadem ſpecie quantitas.*

Sol. Vnitas quidem quantitatis eſt æqualitatis fundamentum, non tamen vnitas *individualis*, ſed *ſpecifica*, & eam intelligit *Ariſtoteles*, eam autem reperiri in diverſis ſubjectis non eſt inconveniens.

Ob. Æqualitas eſt relatio, ergò malè definitur, diverſarum rerum eadem ſpecie quantitas.

Sol. Iſta prædicatio, æqualitas eſt quantitas, eſt *cauſalis*, & *materialis*, & *fundamentalis*, quia quantitas eſt *fundamentum* & *cauſa* æqualitatis: non *eſſentialis* & *formalis*, ideoque exprimi debet in *obliquo*; (æqualitas eſt quantitas,) i. in quantitate, aut ex quantitate.

SECT. 53.
De expositione huius proprietatis.

Quantorum (inquit Aristoteles) maximè proprium est æqualia aut inæqualia nominari: convenit hæc proprietas quantitati, (sumendo res æquales & inæquales proprié) 4° modo: sc. omni, soli, & semper; & potest dupliciter exprimi.

Prima expositio hæc est. (à quantitate res æquales & inæquales dicuntur,) quæ ita debet intelligi; res, siue *substantiæ*, siue *accidentia*, (dicuntur æquales, vel inæquales) aut per *inhæsionem* quantitatis & sic *substantiæ*, aut per *subiectionem* quantitatis, & sic plurima *accidentia*; aut per *applicationem* & *mensurationem* quantitatis, & sic tum *substantiæ* tum *accidentia* dicuntur æqualia vel inæqualia à quantitate, vt à *fundamento*; nam res dicuntur æquales aut inæquales ab æqualitate aut inæqualitate, vt à *formâ*: & hoc (vt dixi) omni, & soli quantitati convenit; nam (propriè loquendo) res à *substantiâ* dicuntur, *eædem* & *diversæ*: à *qualitate*, *similes* aut *dissimiles*; à *quantitate* sola *æquales*, aut *inæquales*.

Secunda expositio hujus regulæ talis est, (est maximè proprium quantitatum esse æquales aut inæquales,) quæ ita debet intelligi; (est maximè proprium) sc. 4° modo, quantitatum, vt ipsæ inter se collatæ, sint æquales vel inæquales; intellige *per se*, nam si aut substantiæ, aut alia accidentia æqualia sint aut inæqualia, hoc non est *per se*; sed *per accidens*; ratione quantitatis quam aliquo modo participant.

Ob. Æquales res dicuntur & inæquales ab æqualitate & inæqualitate, at æqualitas & inæqualitas sunt relationes, ergo hæc proprietas non convenit soli quantitati.

Sol. Res dicuntur æquales aut inæquales, vel { A *quantitate*, *primò*, & vt à *fundamento*. / Ab *æqualitate*, & *inæqualitate* proximè & vt à *formâ*.

Ob. Nulla est æqualitas & inæqualitas inter orationem & lineam; aut superficiem & numerum; ergo non convenit omni.

Sol. Omni convenit quantitati (si debita fiat & legitima comparatio,) vt autem debita, & legitima comparatio fiat, hæc sunt à nobis observanda,

Quòd

quòd in quantitate

1 *Continuâ*

1 *Æqualitas*, eſt *relatio* duarum quantitatum *eiuſdem* ſpeciei, quarum altera, non *excedit* aliam.

2 *Inæqualitas*, eſt *relatio* duarum quantitatum *eiuſdem* ſpeciei, quarum vna, *excedit* aliam.

2 *Diſcretâ*

1 *Æqualitas*, idem quod in continuâ quantitate.

2 *Inæqualitas*, eſt *collatio* duarum quantitatum *diverſarum* ſpecierum inter ſe; nam ternarius numerus non habet aliquem ternarium numerum ſibi *inæqualem*, ſed numerũ alterius ſpeciei, ſc. binarium aut quaternarium: Adde etiam huic regulę, quòd in quantitate *continuâ* comparatio de æqualitate & inæqualitate, ſemper debet fieri inter quantitates *eiuſdem* ſpeciei: vt inter duas lineas; ſed in *diſcretâ* quantitate, fieri poteſt inter *diverſas* ſpecies.

SECT. 54.

De triplici ratione huius proprietatis.

Ratio hujus proprietatis triplex eſt

1 Ab authoritate *Ariſtot.* dicentis (1° & 5° lib. Metaphyſ.) res eaſdem vel diverſas à *ſubſtantia*, ſimiles vèl diſſimiles à *qualitate*, æquales aut inæquales à quantitate dici.

2 A *definitione priùs habitâ*, eſt enim *æqualitas diverſarum rerum eadem ſpecie quantitas*: inæqualitas, diverſa.

3 A *Conſequentibus*, quia æqualia ſunt illa in quibus non eſt exceſſus; inæqualia in quibus eſt exceſſus; exceſſus vero conſequitur menſuram, omnis autem menſura à quantitate dependet.

Hæc dicta ſunto de Quantitate.

De Relatis.

SECT. 1.

De prædicamento ad aliquid, *& primò de eorum, quæ* Aristoteles *tradidit, resolutione.*

In hoc capite tractat *Aristoteles ad aliquid* dupliciter, nempè aut quoad

- 1 *Naturã*, quę tractatio consistit in
  - 1 *Definitione* duplici, quarum altera est
    - 1 *Generalis*, conveniens omnibus relativis. *Ad aliquid sunt, quæ id quod sunt, aliorum esse dicuntur, aut quoquo alio modo ad aliud referuntur.*
    - 2 *Specialis*, conveniens solùm relativis secundum *esse*. *Ad aliquid sunt, quæ totum id, quod sunt, ad aliud habent.*
  - 2 *Divisione*, quæ est relatorum in secundum *esse*, & *dici* distributio; quæ in priori definitione insinuatur.
  - 3 *Exemplificatione* ipsorum relatorum.
- 2 *Proprietates*, de quibus, suis locis.

SECT. 2.

De differentia, inter relationem *&* relativum, *& vtrum eorum, magis ponatur in prædicamento?*

Ad evitandam confusionem, notanda est distinctio inter *relationem*, & *relativum*, nam nomen *ad aliquid* vtroque modo sumi potest.

Etenim

Etenim
- 1 *Relativa* sunt ipsa *concreta*, quæ ad se invicem referuntur, v t pater, & filius; dominus & servus.
- 2 *Relationes* sunt ipsæ *ab stracta* formæ, per quas *relativa* ad se invicem referuntur, vt paternitas, & filiatio; dominatio, & servitus: *paternitas* enim non est *relativum*, (nam ipsa non refertur ad aliud) sed est *relatio* per quam *pater* refertur ad *filium*: nec *filiatio* est *relativum*, sed *relatio* per quam *filius* refertur ad *patrem*, & sic de cæteris.

Ad aliquid capitur aut
- 1 *Concretè*, pro eo *quod* refertur ad aliud.
- 2 *Abstractè* pro formâ per *quam*, aliquid refertur ad aliud.

Ex his ergo notandum, quod relationes *per se*, & *primò*, vt paternitas, &c. concreta autem; vt pater, &c. *non primò*, sed gratiâ abstractorum in hoc prædicamento ponuntur: nam in omnibus prædicamentis *accidentalibus abstracta* primò, & gratiâ abstractorum *concreta*, ponuntur in prædicamento; *accidentalibus* dixi: nam in prædicamento *substantiæ* contrarium accidit, in quo concreta ponuntur *per se*, & *primò*, vt homo, animal; abstracta, concretorum gratiâ; vt humanitas, animalitas. Quod si quis vrgeat *Aristot.* non *relationem*, sed *relativa* definiuisse: respondendum, id ipsum feciſſe eò quòd *concreta* (qualia sunt ipsa relata) sunt nobis notiora, quàm *relationes*, quæ *abstracta*, & consequentèr minùs composita sunt: quod etiam in prædicamento *quantitatis* factitavit.

SECT. 3.

De distinctione ambigui nominis relationis.

Vt distinctiùs cognoscatur quæ relationes collocantur in hoc prædicamento,

Notandum est
- 1 *Rationis*, seu *secundarum intentionum*, quarum existentia, & conservatio, necessario ab intellectu dependet, qualis est *relatio* generis, & speciei, quæ *relata* dicuntur à *Porphyrio* cap. de *Specie*, text. 20. & talia *relativa* necessario excluduntur à prædicamento, quoniam non sunt res.

alias esse *relationes*
- 2 *Reales* quæ etiam sunt duplices, nam aliæ sunt
  - 1 *Transcendentes*, aut propter
    - 1 *Perfectionem naturæ*, vt sunt relationes divinarum personarum, paternitas, filiatio, processio.
    - 2 *Amplitudinem prædicationis*, vt sunt respectus accidentium, ad sua subjecta, vt inhærentia, & hæ etiam excluduntur.
  - 2 *Finitæ & determinatæ*, quæ aut sunt secundum,
    - 1 *Dictionem, & modum*, quæ sunt earum rerum, quæ quoad principalem significationem, aut naturam *absolutæ* sunt, propter tamen adjunctum quendam *accidentaliter* respectum, dicuntur *relativæ*, & hæ excluduntur.
    - 2 *Essentiam*, quæ totam suam naturam habent respectivam, & nullatenus absolutam, vt paternitas, quæ ad nullum aliud prædicamentum potest referri, & hæ ponuntur in hoc prædicamento solæ.

SECT. 4.

De ordine huius prædicamenti quare collocetur post quantitatem.

Relatio
- 1 *Sequitur* immediatè *quantitatem* vel quia
  - 1 De magno, & parvo, paucis, & multis in cap. de Quantitate fecit mentionem, quæ sunt *ad aliquid*.
  - 2 Ad positionem Quantitatis immediatè sequitur, æqualitas, inæqualitas, longitudo, &c. quæ sunt relationes.
  - 3 Ex mensurâ, i. quantitate, & re mensurata, i. substantiâ, nascitur quædam relatio.

2 *Præcedit*

2 *Precedit*
- 1 *Sex posteriora, Præd.* quia licet illa relationes sint, tamen hæc magis *intrinsecùs* advenit.
- 2 *Qualitatem*, vel quia
  - 1 Est ordine *doctrinæ* prior, cum ipsa inter duo absoluta prædicamenta constituta magis eluceſceret.
  - 2 Est prior ordine *naturæ*, nam licet qualitas prior sit istis relationibus, quæ fundantur in qualitate, relationes tamen quæ sequuntur immediatè quantitatem, sunt qualitate priores, nec omne *absolutum* omni *respectivo* prius est.
  - 3 Quia magis participat naturam accidentis quàm qualitas: est enim relatio accidens & quoad *esse in*, & quoad *esse ad*, (vt loquuntur) i. quoad *inhærentiam*, in quantum *accidens* est, & quoad *dependentiam*, in quantum *relativum* est.

SECT. 5.

De primâ definitione relativorum, atque eius explicatione.

Relativa sunt, quæ id quod sunt, aliorum esse dicuntur, aut quoquo alio modo ad aliud referuntur.

Pro cujus definitionis explicatione, tum *definitum* tum *definitionis* partes erunt exponendæ. De *definito* autem notanda sunt

duo,
- 1 *Discrimen* ejus a re *absolutâ*.
- 2 *Ratio*, quare *relativa*, in plurali numero definiantur potius quam in singulari.

Res itaque duplices sunt, vel
- 1 *Absolutæ* quæ *ex se*, & *in se* naturam habentes, non ordinantur ad aliquod aliud extra seipsas, vt homo, linea, albedo.
- 2 *Relativæ* quæ *ab alio* dependentes, *per se* ordinantur ad aliquid aliud extra seipsas: vt paternitas, aut pater, quia (quantùm ad hoc, quòd pater est) ad filium ordinatur.

Relativa autem definiuntur, non in singulari sed in plurali numero, eò quòd, mutuò talem habent ad se invicem dependentiam, vt non possunt seperatim aut existere, aut definiri, ideoque definiuntur

in

in plurali numero.

Definitio autem duas habet partes, in quarum primâ, relativa ſecundum *eſſe*, in ſecunda verò relativa ſecundum *dici* inſinuantur: prima pars ita ſe habet, (relativa ſunt) ſc. res, aut entia prædicamentalia, vnde excluduntur relativa *intentionalia*, vt genus, ſpecies, &c. (quæ id quod ſunt) i. ſecundum eſſentiam ſuam, (aliorum eſſe dicuntur) i. referuntur ad aliud.

Secunda pars definitionis ita exponitur, (aut quoquo modo alitèr) i. ſecundum *dictionem*, & *modum*, & *accidentalitèr*, cum aliquo conferuntur.

Referri autem aliquæ res poteſt ad aliud triplicitèr, vel vt ad

1 *Finem*, ſicut oculus ad viſum, panis ad ſanguinem, ferrum ad cultrum, potentia ad actum, nam hæc ſunt illorum *fines*.

2 *Subiectum*, ſicut forma ad materiam, & accidens ad ſubjectum in *quo* inhæret, & tales *relationes* non ſpectant ad hoc prædicamentum, quia ſunt *tranſcendentes*.

3 *Terminum*, & *correlatum*, vt pater ad filium, dominus ad ſervum, duplum ad dimidium, &c. & ita *referri* intelligitur in definitione relativorum, (vt ad terminũ,) nam accidentia omnia aliquo modo *ad aliud referuntur*, ſed hoc eſt, vt ad *ſubiectum*, non ad *formam relativam*, non ad *terminum*, non ad *correlatum*.

Relatio itaque triplex eſt, aut per

1 *Determinationem* rei, ad *finem*.
2 *Inhærentiam* accidentis, ad *ſubiectum*.
3 *Mutuam dependentiam* relativi, ad *correlatum*.

Eſt quædam differentia, inter *relativa*, & *correlativa*, quia *relativa* ea omnia dicuntur, quæ *ad aliud* referuntur, vt pater & dominus; *correlativa* autem ea, quæ *ad ſe invicem* referuntur, vt pater & filius.

SECT. 6.

De illis conditionibus, quæ concurrunt ad relativorum exiſtentiam.

Hæc autem eſt natura eorum quæ ſunt *ad aliquid*, vt nunquam ſubjecto inhæreant, niſi medio aliquo accidente abſoluto, & ſimul coexiſtente in aliquo ſubjecto alio accidenti inſit relatio alterius ſubjecti: vnde ad relativi exiſtentiam concurrunt

Tria,

Tria,
1. *Subiectum cui* inhæret, quod est quasi fundamentũ *remotum*, & appellari potest, relationis *materia*, sc. inhæsionis.
2. *Absolutum accidens* ratione *cuius* inhæret quod est fundamentũ *proximum*, & appellari potest *efficiens causa* relationis.
3. *Relatio* alterius subjecti, in *quod* hujus relatio terminatur, quod est *terminus* hujus relationis, ut autem (quod dictum est) exemplo manifestemus: Sunt duo alba corpora, vnum alteri simile est, sic quòd similitudo relatio est, per quam sibi invicem referuntur; similitudo itaq; vnius corporis, vni ineſt corpori vt *subiecto*, mediâ tamen suâ albedine, vt *fundamento*, & dependet ab altera similitudine alterius corporis albi, ut à *termino*: hæc pariter similitudo inhæret alteri albo corpori vt *subiecto*; mediâ ejus albedine vt *fundamento*, & ab altera similitudine dependet vt à *termino*; vnde fit, vt cum relativum, & à *subiecto* tanquam à *materia* inhæsionis, & ab *absoluto* accidẽte, vt à *fundamento conseruationis*, & *productionis*, & à *correlato*, vt à *termino comparationis* dependet, fieri non potest, quin aliquo horum sublato, ipsa relatio corruet.

Ab istis ergo tribus, sc. *subiecto*, *fundamento*, & *termino* quælibet relatio, & relativum dependet, non tamen eadem, nec æquali ratione, nam relatio considerari potest,

1. *Accidens est*, & sic potissimum dependet à *subiecto*, *nam esse accidentis est inesse subiecto*.

Vel, ut
2. *Relativum est*, & sic considerari potest dupliciter, vel quantum ad
1. *Productionem*, & sic maximè dependet à *fundamento*, *nam esse producti*, *est esse ab alio*.
2. *Comparationem* ejus, quæ est propria ejus, & peculiaris acceptio, sic autem maximè & solùm dependet à *correlato* & *termino*: nam *esse relativi*, *est esse ad aliud*. Vnde relatio vt *accidens*, habet esse *infixum*, at relatio, vt *relatio* habet esse *affixum*, i. ad aliud fixum.

SECT. 7.

De modis quibus accidentia intereunt, & corrumpuntur, & specialiter Relativa.

Dignissimum observatu est, accidentia *absoluta* tribus modis interire, sc. aut per

1. *Destructionem subiecti*, quia destructo subjecto, necessarium est accidens interire, quemadmodum corrupto *Socrate*, etiam Philosophia *Socratis* secum interit.

2. *Absentiam conservantis, & efficientis*, quia sublatâ efficiente, & conservante causâ, necessarium est effectum accidens corruere, sicut discedente *sole*, à nostro hæmisphærio, necessarium est et *lucem* (cujus sol fons est) etiam interire; & extincto naturali *calore*, etiam *vitam* auferri.

3. *Præsentiam contrarii*, quia vnum contrarium naturaliter expellit aliud; sicut inducto *calore* in aquam, necessarium est corrumpi *frigiditatem*, & inducto *humore* in terram interiri *siccitatem*.

Relativa etiam tribus modis intereunt, aut per destructionem,

1. *Subiecti*, vt me sublato, tollitur mea similitudo.

2. *Fundamenti*, vt sublatâ qualitate per quam eram similis, interit etiam similitudo.

3. *Termini* aut *correlati*, vno enim simili sublato, alterum simile (quantum ad similitudinem) interit.

SECT. 8.

De fundamentis relationum.

Fundamenta autem relationum triplicia sunt, aut enim

est

est ejus fundamentum,

1. *Remotum*, & illud omnium relationum *substantia* est.

2. *Proximũ*, & illud (vt dixi) triplex est, nempe aut

1. *Quantitas*, supra quam fundatur æquale, & inæquale, magnum, parvum, & omnes proportiones *Arithmetica*, & *Geometrica*.

2. *Qualitas* supra quam fundatur simile, dissimile, &c.

3. *Actio*, & *passio*, supra quam fundatur causa, effectus, pater, filius, &c. num parvus es respectu montis? id tibi cõtingit propter *quantitatem* quam minus extensam habes. num similis es alteri? id tibi accidit propter aliquam *qualitatem*, in quâ cum altero communicas: num pater es alterius filij? en tibi ob *actionem* adveniebat relatio, quòd eum generasti: sic, quòd omnes relationes super aliquod horum quatuor prædicamentorum fundantur.

SECT. 9.

De iis quæ concurrunt ad essentiam relationis.

Ad naturam relationis requiruntur

1. *Materialiter*, termini relativi, qui ad se invicem referuntur, vt pater, & filius.

2. *Formaliter*, ipsa relatio, per quam ad se invicem referantur, vt paternitas, & filiatio: nam illud est notandum, non esse vnam relationem quâ ambo relativa ad se invicem referuntur, sed diversas, vt pater refertur ad filium per *paternitatem*, filius ad patrem, non per paternitatem, sed *filiationem*. Id quidem in relativis *æquiparentiæ*, propter nominis identitatem minus apparet, in illis tamen etiam ita est; si enim sunt duo homines similes, non est existimandum esse vnam solam similitudinem, per quam referuntur ad se invicem, (nam tum idem accidens esset diversorum subjectorum) sed esse duas simi-

litudines, per quas duo similia ad se mutuo referuntur, & semper quot sunt relativa diversa, tot sunt eorum diversæ relationes.

Triplex est dependentia relatorum, dependent enim
1. *Subiectivè* à *substantiâ* cui inhærent.
2. *Effectivè* à *fundamento*, i. absoluto accidente à quo oriuntur.
3. *Obiectivè*, à suis correlativis, ad quæ referuntur.

Vnde in relativis, omnes quatuor causæ intelligi, & cerni possunt; nam causa
1. *Materialis*, subjectum est quod *sustinet*.
2. *Efficiens*, fundamentum quod *producit*, & *conservat*.
3. *Finalis* correlatum, ad quod, (vt terminum) *refertur*.
4. *Formalis*, relatio est, per quam ad suum correlatum refertur.

SECT. 10.

De triplici modo relationis, & quibus relativis isti modi conveniant?

Relatio inter relativa fit dupliciter, aut per
1. *Ordinationem* solam correlativorum, idq; fit dupliciter, sc. aut quoad
1. *Essentiam*, quando ita *essentia* eorum in hoc consistit, vt vnum ad alterum referatur, vt pater, & filius.
2. *Affectionem*, quando nulla pars essentiæ in hoc versatur, ut unum conferatur alteri, sed relatio consequitur ipsam essentiam, tanquam *modus*, & accidentalis *affectio* ejus, vt scientia, & scibile, nam relatio scientiæ ad scibile, non est *essentia* ejus, sed est *essentialiter* qualitas non relatio; relatio tamen ejus ad scibile *essentiam* scientiæ sequitur.
2. *Applicationem*, quandò tota quidem *essentia* correlatorum, in hoc versatur, vt referatur ad alterum: at hoc non fit, quandò ipsi termini à se invicem *separantur*, sed solum cùm *applicantur*, (quod in alijs relativis non contingit.) Exemp. gratiâ, positis duobus hominibus, quorum alter est pater, alter filius, necessariò etiam existunt eorum relationes, sc. paternitas, et filiatio, licet correlata

à se

à se invicem loco moveantur, vt alter sit *Oxoniæ*, alter *Romæ*: ideoq; hæ relationes *intrinsecæ* nominantur, quales sunt omnes relationes hujus prædicamenti, et relationes secundùm *dici*: at non sunt hujusmodi relationes sex posteriorum prædicamentorum, quorum relationes, non nisi per terminorum *applicationem* extant, nam Actio quidem est *relatio agentis ad passum*; et Passio est *relatio patientis ad agens*: et talis *relatio* non consistit, nisi dum agens patienti *applicatur*, nam si alterum sit *Oxoniæ*, alterum *Romæ*, nulla erit eorum aut actio, aut passio; sic nisi locus applicetur locato, et tempus rei temporali, nulla relatio quæ dicitur (Vbi) aut (Situs) aut (Quando) consurget; Sic, nec aliquę relatio erit inter corpus, et vestimenta, nisi vestimenta applicentur corpori: adeò quòd tales *relationes* postremorum sex prædicamentorum, non possunt consurgere, nisi per terminorum ad se invicem applicationem, nec diutiùs consistere, quam manet ista *applicatio*; hoc diligenter nota, quia pauci norunt sex vltima prædicamenta, verè ab hoc sejungere.

SECT. 11.

Quibus casibus relativa ad se invicem referantur?

Relativa ad se invicem istis casibus referantur, vel

1. *Genitivo*, vt dominus, et servus, nam dominus dicitur servi dominus, et è contra.

2. *Dativo*, vt æquale et inæquale, nam æquale est æquali æquale.

3. *Ablativo*, ut majus et minus, nam majus dicitur minore majus.

4. *Accusativo*, idq; fit dupliciter, vel

1. *Mediante præpositione*, vt magnum et parvum; nam magnum ad parvum est magnum.

2. *Sine præpositione*, vt verberans et verberatum, nam verberans verberatum verberat.

SECT. 12.

De Diviſione relativorum in relativa ſecundùm eſſe, *& ſecundùm* dici, *& quænam eorum in prædicamento collocantur?*

Vt autem colligitur ex definitione primâ relativorum.

Relativa ſunt duplicia, vel

1. Secundùm *eſſe*, hoc eſt, ſecundùm *eſſentiam*, quorum tota *eſſentia* in relatione conſiſtit, vt pater, dominus, duplum &c. & hæc ſolùm relativa & eorum relationes per ſe ſpectant ad hoc prædicamentum *relationis*.

2. Secundùm *dici*, hoc eſt ſecundùm *dictionem*, quorum eſſentia non conſiſtit in relatione, referuntur tamen propter *modum* quendam, & *affectionem*, quæ ipſa ſequitur, ideoq; relativa ſecundùm *dictionem* appellantur, quia licet quoad eſſentiam *abſoluta* ſunt, eorum tamen nomen *relationem* quandam importare videtur, & hæc *per ſe* non ſunt, nec eorum relationes in hoc prædicamento, quia *eſſentiam* habent *abſolutam*: *reductivè* tamen ad ipſum ſpectant, quia *modum* habent *reſpectivum*, qualia ſunt habitus, & diſpoſitio, & ſcientia, & ſcibile; nam habitus eſt *eſſentialitèr* qualitas (vt infra patebit) includit tamen quandam *relationem* ad habentem, ſimilitèr ſcientia *eſſentialitèr* eſt rei alicujus cognitio per demonſtrationem, & ſic *eſſentialitèr* habitus, & qualitas, ipſam tamen ſequitur quædam *relatio* tum ad *ſubiectum* ejus, quod eſt *ſciens*, tum ad *obiectum*, quod eſt *ſcibile*. Hæc autem diviſio relativi, in ſecundùm *eſſe*, & ſecundùm *dici*, non eſt generis, in ſuas ſpecies, ſed æquivoci in æquivocata.

SECT. 13.

De ſecunda definitione relativorum, & eius explicatione.

Impugnata priori definitione, quæ non ſolùm relativis ſecundùm eſſen-

essentiam, sed etiam relatiuis secundùm *dictionem*, & etiam relativis secundùm *denominationem*, i. subjectis relationum competit: *Aristoteles* aliam, (quæ solùm relativis secundùm *esse* convenire potest) reponit; *Relativa sunt ea quorum vis omnis in eo posita est, vt ad aliquid affecta sint.*

Quæ ita intelligi debet (Relativa) hujus prædicamenti, i. relativa secundùm *essentiam* (sunt ea) entia *realia*, vel prædicamentalia, vnde relativa *intentionalia* excluduntur, (quorum vis) sc. naturæ & essentiæ, (omnis) vnde etiam includitur vis tam essentiæ, quam affectionis, ad excludendum relativa secundùm *dici*, quorum vis *affectionis* solùm ad alterum refertur; (in eo posita est, vt sint affecta) i. in relatione, licet propriè in rebus *affectio*, in mente *relatio* dicatur; nam affectio quandam *aptitudinem* referendi, quæ est in rebus ipsis; relatio quendam *actum* referendi, qui est ab intellectu, significat; (ad aliquid) sc. non vt ad *subiectum*, (nam sic omnia accidentia referuntur) sed vt ad *terminum*, & correlatum, & (vt ita dicam) *obiectum* relationis.

SECT. 14.

Solutio cuiusdam dubitationis quæ ex verbis Aristotelis *nascitur.*

Ob. Habitus, affectio, scientia, situs, sunt relativa, et nihil prætereà; vt *Aristot.* dicit in hoc cap. t. 2. ergo relativa secundùm *dici*, habent totam vim in relatione constitutam; ergo sunt relativa secundùm *esse*; ergo in recta serie hujus prædicamenti reponuntur.

Sol. Ista verba (nihil prætereà) triplicem admittunt interpretationem, et vnamquamq; accommodatam; nam

Vel
1. Referuntur ad duo genera relativorum nominata, sc. ad relativa secundùm *esse*, et secundùm *dici*; quæ et insinuabantur in definitione, et posteà illustrabantur exemplis; vt sit sensus; *ista sunt relativa, & nihil prætereà quam ista.*

2. Intelliguntur de istis relativis, quæ proximè nominabantur, ut referuntur ad sua correlativa, nam ita sunt relativa, et *nihil prætereà*; licet simpliciter absoluta sunt.

3. Di-

3. Dicuntur respectu primæ definitionis relativorum, præsuppositò enim, quòd ista definitio sit bona, sint relativa ista proximè nominata, et *nihil præterea*, quam relativa: sed ista definitio (quæ *Platonis* erat) est imperfecta.

SECT. 15.

An relativum sit de essentiâ sui correlativi, & quomodo?

Disputatum summis quæstionibus à *Dialecticis* est; An relativum sit de essentia correlativi? nec possunt satis hanc litem dirimere; aliâ itaq; via quam tentârunt, solutionem aggrediendum nobis est; et dicendum, (quod ex *Aristotele* colligo) aliquid esse *de essentiâ*, et essentiali definitione alterius

triplicitèr, aut vt

1. *Pars*, sicut *Dialectic*è genus et differentia de essentia speciei; *Physicè* materia et forma, de essentiâ corporis compositi dicuntur esse; et hæc est maximè propria ejus acceptio.

2 *Principium internum* licet non sit *pars*; sic punctum de essentiâ lineæ, et linea de essentia superficiei dicitur; et hic modus reperitur apud *Aristot.* lib. 1. poster. analyt. c. 4. t. 4.

3. *Perfectio*, et *complementum*, et *terminus*, licet nec sit *pars*; nec *principium*; sic terminus motus de essentiâ motus dicitur esse: vt calor de essentia calefactionis; et hæc acceptio reperitur apud *Arist.* l. 5. Phys. Vbi docet motus esse distinguendos, et definiendos per suos terminos (ad quos:) eodem modo in præsenti, mihi dicendum est; vnum relativum esse *de essentia* alterius, non tanquam ejus *pars*, aut *principium*, quia tum esset eo prius, sed tanquam *perfectio* et *terminus* ejus relationis, nam res dicitur esse *ex parte*, ut homo ex corpore; dicitur esse *à principio*, ut linea à puncto: at dicitur esse *ad terminum*: ut relativum *ad* suum correlativum: hoc si teneatur (licet novum sit) facile everti non ullâ ratione potest.

SECT. 16.

An correlatiua per se inuicem definiri debeant.

Aristoteles 6. l. Top. cap. 3. cum docuisset definitionem essentialem, ex genere, & differentiâ constituendam esse; ab ista tamen definiendi ratione ipse relatiua excipit; vtpote quæ cum quoad *essentiã* à se inuicem dependent, per se inuicem essentialiter definiri debent, quod iterum argumento esse potest, quòd vnum relatiuum *Aristot.* existimauit esse de alterius essentia.

Ob. Quod si quis vrgeat vehementius *Aristotelem*, aut *Porph.* dicentes, omnem essentialem definitionem ex genere & differentia consistere.

Sol. Respondè illud verum esse de definitione rerum *absolutarum*; non *relatiuorum*; quæ ab ista regula ipse *Aristoteles* excipit.

Ob. At saltem (inquies) definitionem esse debere ex notioribus, quia instituitur cognoscendi gratia; at vnum relatiuorum non est notius altero.

Sol. Respondè iterum illam etiam regulam ab *Aristot.* non nisi ad res *absolutas* extendi.

Quod si concedas etiam in *relatiuis* obtinere veritatem, hoc modo (mihi videtur) esse respondendum: vnum relatiuorum poni in definitione alterius in *obliquo* casu, & sic est notius: nam si in *recto* poneretur, æque ignotum ac alterum esset.

Sol. 2. Secundò (si hoc non placeat) respondè, in definitione relatiui non nudum poni correlatiuum, sed etiam ponitur habitudo vnius ad alterum; ideoque licet pater sit æque ignotus ac filius, tamen habere filium, aut esse patrem filio (aliquo modo) notius esse potest.

Ob. Quod si iterum vrgeas, sic relatiua se inuicem definientia, circulo definirent.

Sol. Potes aut illud admittere, nec illum modum definiendi (in relatiuis) vitiosum dicere; aut potes negare, quia non quælibet ratio definiendi est circularis quâ mutuo se definiunt; sed illa, quæ in rectis casibus contingit: ex his patet, vnum relatiuum per alterum esse definiendum: vt pater est qui habet filium, filius est qui habet patrem; Dominus est qui habet seruum, seruus est qui habet dominum.

SECT. 17.

An vnum correlatiuum habeat essentiam ab altero, seu potiùs ad alterum?

Summè cavendus est ille communis error eorum, qui dicunt vnum relatiuorum ab altero suam habere essentiam; vt patrem habere essentiam à filio, & filium à patre; nam quid hoc aliud est, quàm facere vnum principium alterius, & vnum altero prius, idque in circulo: sed respondè potiùs id (quod vt est magis nouum, ita magis est veritati, & rationi prædicamentorum consonum) habere essentiam, à *superioribus* in prædicamento, vt à *partibus* & *principiis*; habere autem eandem essentiam *ad suum correlatum*; verbi gratia, pater habet suam essentiam, non à filio, sed à suo genere & suâ differentia, & eandem essentiam quam ab illis accipit, habet ad filium; similiter dic' de filio, & de omnibus relativis; nec enim aliter fieri potest; nam si dicant patrem, & filium esse huius prædicamenti, aut ergo reductiuè (quod falsum est,) quia sunt relatiua secundum *esse*, aut *indirectè*, vt differentiæ, quod magis est ridiculum, (quis enim diceret patrem, & filium esse differentias, præsertim cum suscipiant relatiuorum definitionem,) aut *directè* vt species, (quod verum est,) licet non *primo* vt relationes eorum, tamen *per se*, non *primò*: vnde sequitur quòd suam essentiam, à genere & differentiâ suscipiunt.

SECT. 18.

De duplici modo definiendi relata.

Relatiua autem possunt dupliciter definiri; nempe aut

1 *Materialitèr* per *subiectum* & *fundamentum*; vt pater est, *qui de suâ substantiâ generauit sibi simile in specie*: filius est, *qui de substantiâ similis in specie generatur*.

2 *Formaliter*, per *terminum*, & *correlatum*, vt pater est *qui habet filium*: filius est *qui habet patrem*; & hic definiendi modus est *Aristoteli* magis approbatus.

SECT.

SECT. 19.

De iis quæ ponuntur per se *in serie huius prædicamenti, & primo de summo genere.*

Dixi relationes, & relatiua secundum *essentiam* (per se) sola ad hoc prædicamentum referri; *magis* tamen *propriè* relationes, & (per se) *primò*: *minùs proprie* relatiua, & (per se) quidem, sed *non primò*; relatio itaque, non relatiuum, summum genus hic statuendum est; non illa quæ ad *transcendentales*, qualis est in diuinis; aut *intentionales*, quales sunt in vocibus: aut *accidentales*, quales sunt in *relatiuis* secundum *dici*, aut *essentiales extrinsecus* quales sunt in relatiuis vltimorum sex prædicamentorum; sed relatio illa, quæ est communis ad omnes relationes *intrinsecus essentiales*, i. quæ immediatè in relationes *æquiparantiæ*, & *disquiparantiæ* distribuitur; quæ est nihil aliud quam *forma quædam indeterminata referendi vnum ad aliud, ad omnes particulares relationes huius prædicamenti extensa.*

Ob. At objicies omnem relationem esse inter aliqua correlatiua, & sic duo erunt (saltem in concreto) hujus prædicamenti genera summa.

Sol. Sed respondes, id verum esse, de *particulari* & *determinatâ* relatione, quæ inter specialia relatiua cernitur: at falsum de *indeterminata*, & *generalissima* relatione: quæ inter omnia relatiua *aptitudine*, inter nulla *actu* existit.

SECT. 20.

De Diuisione Relationis in suas species.

1 *Sua fundamenta*, quòd alia sit relatio quantitatis, alia qualitatis, alia actionis, alia passionis: sed hæc diuisio est minus consentiens rationi prædicamenti, in quo genus & differentiæ, ejusdem debent esse prædicamenti.

Relatio duobus modis diuidi potest, vel per

2 *Suas Proprias species*, quomodo distribuitur in relationē, aut

1 *Æquiparantiæ*, quando correlata sunt *ejusdem* nominis & rationis, & dignitatis; vt simile, & simile, æquale, & æquale.

2 *Disquiparantiæ*, quando correlata sunt *dissimilis* nominis & dignitatis: vt pater & filius; Dominus & seruus, &c.

Relatiua ergo *æquiparantiæ*, ita appellantur propter triplicem æqualitatem, sc. tum

propter æqualitatem,
1 *Nominis*, quia idem nomen participant.
2 *Dignitatis*, quia vnum alterum non excellit.
3 *Fundamenti*, quia super idem specie fundamentum constituuntur.

In relatiuis autem *disquiparantiæ*, hanc triplicem inæqualitatem animadvertere licet;

Duplicia autem sunt.
1 *Suprapositionis*, quæ sunt relatiua *maioris* dignitatis, vt pater respectu filij, dominus respectu serui.
2 *Suppositionis*, quæ sunt relatiua *minoris* dignitatis, vt filius respectu patris, seruus respectu domini.

SECT. 21.

Dubitationum caput contra ea quæ dicta sunt de relatis

Ob. Referre vnum ad alterum est actus nostri intellectus, ergo relatio non est ens reale, sed ens rationis.

Sol. Relatio est duplex, alia est

1 *Actualis*, quæ consistit in *actu* referendi vnum ad alterum, & talis dependet ab intellectu, nec est summum genus.

2 *Aptitudinalis*, quæ consistit in *affectione* vnius ad alterum, & talis non dependet ab actu intellectus, sed est *realis* & summum genus.

Ob. Relatio ab alijs pendet prædicamentis, ergo non est summum genus.

Sol. Relatio pendet ex illis vt ex *efficientibus*, quantum ad *productionem*, non vt ex *constituentibus* in quantum ad *essentiam*.

Ob.

Ob. Quod est commune enti & non enti, non est genus prædicamentale: sed relatio est hujusmodi, quia inter contradictoria (quorum vnum est ens, alterum non ens) mediat *contradictio*, qua vnum dicitur *contradicens* respectu alterius.

Sol. *Contradictio* relatio est *rationis*, non *realis:* ideo hoc prædicamentum non ingreditur, nam ad relationem huius prædicamenti hæ requiruntur conditiones:

Nempe vt sit
1 *Realis*, vnde relatio *terminorum*, & *intentionum*,
2 *Finita*, vnde relatio *transcendens*,
3 *Essentialis*, vnde relatio relatorum secundum *dici*,
4 *Intrinseca*, vnde relatio postremorum sex prædicamentorum, ab hujus prædicamenti serie excluditur.

Ob. *Esse* accidentis, est *esse in alio*; *esse* relatiui est *esse ad aliud*; ergo relatiuum non est accidens.

Sol Relatiuū consideratur tum vt
1 *Accidens* est, & sic ejus *esse* est *esse in alio*; nam sic dependet à *subiecto*.
2 *Relatiuum* est, & sic ejus *esse* est *esse ad aliud*, nam sic dependet à *correlato*.

Ob. Vitium est aliquid poni in definitione sui ipsius; quia tum explicaret seipsum, & esset notius seipso; at in secunda definitione, tum (ad aliquid) definitum est, tum ponitur in definitione, ergo.

Sol. (Ad aliquid) definitum, idem est *atque relatiuum essentiale*; at verò (ad aliquid) in definitione positum latius est, atque idem significat, *atque ad aliquam rem*, sic quod non est eadem vtriusque significatio.

Ob. Relatio est in substantia, ergo substantia est relata, quod negat *Aristoteles*; nam *quod ineſt denominat*. ergo.

Sol. Substantia est relata *per accidens*, gratia relationis *inhærentis*, non *per se* & *essentialiter*, & id est quod *Aristoteles* negat.

Vnde alia sunt relata secundum
1 *Denominationem*, vt substantia.
2 *Affectionem*, vt relata secundum *dici*.
3 *Applicationem*, vt relata postremorum sex prædicamentorum.
4 *Essentiam*, idq; *intrinsecè* vt relatiua sola hujus prædicamenti.

Ob. Omnia relatiua sunt aut *suprapositionis*, aut *suppositionis*, quia aut *supraponuntur* aut *supponuntur* alijs; nam aliter non essent in prædicamento, ergo nulla sunt relatiua *æquiparantiæ*.

Sol. Verum illud est si intelligatur, respectu *speciei prædicamentalis*, omnia vel *supra ponuntur*, vel *supponuntur*; at falsum, si intelligatur, respectu *comparationis* inter relatum & correlatum.

Ob. Si accidens reale adveniat subjecto, aut ab eo discedat, mutatio fit realis: at adueniente, aut discedente relatione, non fit in subjecto aliqua realis mutatio vt *Aristoteles* docet 5. lib. Phys. t. 10. ergo non est accidens reale.

Sol. Major vera est de accidentibus *absolutis*, non *relatiuis*, nam si *Socrates* existat albus *Romæ*, aliquis vero generetur in *Anglia* albus, consurgit quædam similitudo etiam in eo qui *Romæ* existit, ipse tamen nihil penitus mouetur, sed ille solùm qui in *Anglia* generatur.

Ob. Omni accidente sublato, non tollitur essentia subjecti secundum *Porphyrium*: at sublatâ aliqua reali relatione, sc. materiæ, & formæ vnione, tollitur essentia compositi: nisi enim materia cum forma vniatur, compositum interit, vt nisi anima iungatur cum corpore, ipse homo nihil est: ergo vnio & consequenter relatio non est accidens.

Sol. Licet non possit compositum esse, si non vniantur partes, tamen ipsa unio, quantum est ex *parte sui*, est apta nata abesse: quod si non potest abesse, id est gratia *subiecti*, quod ipsum necessariò requirit, nam omne accidens ex *sua parte* contingens est, licet multa sint accidentia ex *parte* subjecti necessaria.

Ob. Relatio, summum genus, non est in prima substantia, ergo non est accidens. Argumentum tenet ex *Aristot.* cap. de substantia text. 5. antecedens ostenditur: nam esset vel in aliquâ cœlesti substantia, vel elementari, vel mixtâ: si aliquâ respondeatur, ergo illa sublata relationes omnium aliarum rerum perirent, quia sublatum genus eius subiecta ducit ad interitum.

Sol. Relatio, quæ est summum genus est in subjecto, non *actu* (sicut nullum etiam accidens vniversale,) sed *aptitudine*: vel *per accidens* ratione inferiorum, non autem *per se*: ideo nulli particulari, & determinato subjecto inhæret; omni tamen inhærere apta est: quocirca sublata aliqua particulari substantia, ipsa non interit.

SECT. 22.

De proprietatibus relationis, & primò de prima, atque eius explicatione.

Prima proprietas hujus prædicamenti (quæ potius communitas est,

est, conueniens nullo modo proprij.)quod *relata habent contraria.*

Ob. Sed dubium nos vrget,uamque *Aristoteles*,cap.de Quantitate t.22.docet *relatiuo nihil est contrarium*; indeque concludit magnum non esse paruo contrarium.

Sol. Respondendum sane Relatiuum *per se*, & vt *relatiuum* est, non habere contrariũ,sed gratiâ *fundamenti*,& vt *absolutum* est,cõmunitas ergo hæc non convenit vllis relatiuis secundum *essentiam*,sed relatiuis secundùm *dictionem* solum: nec ijs omnibus, sed illis tantum, quæ fundantur in qualitate; imo nec omnibus illis, sed illis, quæ in talibus qualitatibus fundantur, quæ capiunt contrarium: nam patri nihil est contrarium qui fundatur in *actione*; nec æquali quod fundatur in *quantitate*, imo nec similitudini quæ fundatur in *Qualitate*: at verò est aliquod contrarium virtuti,(quæ est relatiuum secundum *dici*,)sc. vitium: & scientiæ,quæ etiam est relatiuum secundum *dici*; sc. ignorantia: vnde diligentèr notandum est, quod nec relatiuis secundum *dici*,vt *relatiua* sunt, hæc communitas conuenit i. non sunt contraria correlatiuis suis,sed alijs quibus illæ qualitates, in quibus fundantur contrarię sunt:exemp. grat: scientiæ correlatum est scibile, ergo scientia non est contraria scibili, sed alteri, cui est contraria in quantum est qualitas,sc.ignorantiæ : & virtutis correlatum est virtuosus,seu studiosus,ergo virtus non est illi contraria, sed est contraria alteri, in quantum qualitas est nempe vitio: sic, quod verum est quod dixi, nulla *relata* vt relata sunt, capiunt contraria, sed vt *qualitates*: nam dictum est relata secundum *dici*, esse *essentialitèr* alias res,& non nisi *accidentaliter* relata.

Ob. Si virtus esset vitio contraria, vt dicit *Aristoteles*, non possint esse simul in eodem subjecto,quod falsum est,nam intemperantia,quę vitium est, & justitia quæ virtus est,possunt simul inesse eidem.

Sol. Virtus est vitio contraria,sc.in specie; quælibet virtus est contraria suo particulari vitio, vt justitia injustitiæ, temperantia intemperantiæ, at non in genere.

Ob. Ignorantia est priuatio scientiæ, ergo non opponitur illi contrariè.

Sol. Ignorantia est duplex,docente *Arist.* li. 1. post analyt. cap. 16.

1 *Negationis*, quæ nihil aliud est,quam *defectus* scientiæ:& hæc opponitur *priuatiuè* scientiæ.

2 *Dispositionis*, quæ nihil aliud est quam *error* ex malo intellectu principiorum profectus, & hæc opponitur *contrariè* scientiæ.

SECT.

SECT. 23.

De secunda communitate Relationis, atque eius expositione.

Secunda communitas relationis est, *quod relatiua suscipiunt magis & minus*: quæ quidèm communitas non omnibus relatiuis competit, sed illis solũ quorũ fundamenta susçipiunt *magis & minus*, sic quod hæc etiam non conuenit relatiuis secundum se, & in quantum *relatiua* sunt sed gratia *fundamentorum* suorum; illis enim solis competit, quæ in illis qualitatibus fundantur, quæ intensionem capiunt & remissionem; vt æquale & inæquale, simile & dissimile; nam aliquæ res sunt similiores & dissimiliores alijs, & aliquæ res magis & minus inæquales; sic quod differentia est inter hanc ipsam, & priorem communitatem, quod illa conuenit solum relatis secundum *dici*, at hæc etiam conuenit quibusdam relatis secundum *esse*, sed hæc est generalis ratio vtriusque, quod nec *magis*, aut *minus* suscipiunt, nec contraria, nisi gratia fundamentorum.

Ob. Pater, qui fundatur in actione suscipit magis & minus: nam cum sit pater *creatione*, vt Deus; pater *generatione* vt is qui genuit; pater *adoptione*, vt is, qui alterius filium suum fecit *adoptione*; pater *generatione* est magis pater, quam pater *adoptione*; ergo non solum relatiua fundata in qualitate, suscipiunt magis & minus.

Sol. Pater isto modo sumptus, est *æquiuocum*, non *relatiuum*: vel concedo, quod est magis pater, i. magis proprie quantum ad *significationem nominis*, non quantum ad *intensionem paternitatis*.

SECT. 24.

De Argumentis Tolleti, *quibus contendit relatiua* per se, *& non gratia fundamenti, intensionem suscipere, atque remissionem.*

Huic doctrinæ (præter *Toletum*) Philosophorum nemo infestus est, qui in ea constitutus est opinione vt existimet relatiua, non gratia fundamentorum *magis minusque* capere, sed per se, & ex natura sua. Duoque attulit, difficilia argumenta, quibus istam muniuit sententiam: primum autem argumentum ita se habet.

Ob. Si

Ob. Si relatio non ſuſcipiat *magis & minùs* niſi ratione fundamenti, ſequitur, quoties fundamentum ſuſcipiet *magis* vel *minùs* vel neutrum, etiam relatio ſimiliter; quod falſum eſt; nam æquale & inæquale *magis* ſuſcipiunt, non tamen gratiâ fundamenti, nam fundamentum eſt Quantitas, quæ non ſuſcipit.

Sol. Æquale & inæquale eſt aliud fundatum in
1 *Quantitate, mole, magnitudine,* quod dixit *Ariſtoteles* eſſe proprium *quantitatis.*
2 *Qualitate, potentiâ, virtute,* 2° lib. de Gener. & corrupt. t. 37. quædam eſſe æqualia, & inæqualia *in quanto quo poſſunt,* i. in virtute, vigore, potentiâ; & talis *æqualitas* magis minuſvè recipit, ſicut qualitas in quâ fundatur.

SECT. 25.

Diſſolutio ſecundi argumenti Toleti.

Ob. Secunda ejus ratio, ita ſe habet; ſint duo alba, vnum intenſum vt 8. aliud vt 4. iſta ſunt ſimilia; tum ſumo ſimilitudinem illius, quæ eſt vt 8. & pono quòd iſta albedo remittatur, & fiat vt 7: tunc ſimilitudo intenditur, & ipſa albedo eſt magis ſimilis: & ſi fiat vt 6. adhuc erit magis ſimilis, & ſi vt 4. ſimillima; vnde ſequitur quod ex remiſſione fundamenti, non ſequitur remiſſio relationis; præterea ſint duo alba ambo vt 4: iſta ſunt maximè ſimilia, intendatur vnum eorum, vt 5. tunc remittitur ejus ſimilitudo, & quo magis vnum intenditur eò magis ſimilitudo remittitur, ergo ex intenſione fundamenti non ſequitur intenſio relationis.

Sol. Non dicimus ſemper ſequi ad *intenſionem* fundamenti, *intenſionem* relationis, ſed vel *intenſionem* ejus, vel *remiſſionem*, imò & *intenſionem*, & *remiſſionem*, ſed diverſarum: nam licet *remiſſio* albedinis ad 8. intendat ſimilitudinem quam habet ad albedinem vt 4: remittit tamen diſſimilitudinem: & licet *intenſio* albedinis vt 4: remittat ſimilitudinem quam habet ad aliam albedinem ejuſdem gradus, intendit tamen diſſimilitudinem, nec enim tantum ſimilitudo, ſed etiam diſſimilitudo in qualitate fundatur, quarum dum vna intenditur, altera remittitur; concedo igitur ex fundamento intenſiori,

fiori, non omnem relationem in ea fundatam intendi, sed aliquam intendi, omnem autem vel intendi, vel remitti; concedo inquam, ex remissione fundamenti, non omnem relationem in eâ fundatam remitti, sed aliquam intendi, omnem vero vel intendi vel remitti; & ita illud argumentum nihil concludit.

SECT. 26.

De tertia proprietate, & eius explicatione, atq; primo de distinctione conversionis.

Discrimen est inter conversionem, convertibilitatem, & convertentiam,

namque
1 *Conversio* est *propositionum*, vt omnis albedo est color, aliquis color est albedo.
2 *Convertibilitas* est *terminorum* ejusdem ambitus, vt est inter risibile & hominem.
3 *Convertentia* est *relativorum*, vt inter patrem, & filium; hic loquendi modus, à quibusdam *dialecticis* curiosè observatur.

At ne in nominibus solis ponere differentiam videamur, alitèr respondere potes esse conversionem,

aut in
1 *Absolutis*, & talis conversio semper in recto casu fit, vt omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo.
2 *Respectivis*, & talis semper in obliquis casibus perficitur: vt inter patrem, & filium: nam non dicimus pater est filius, & filius est pater, sed pater est filij pater, & filius est patris filius: & hæc est propria relativorum.

Nota deinde, quod triplex potest esse conversio,

scil. aut quoad,
1 *Prædicationem*, & talis est in *terminis absolutis*, quando prædicatum mutatur in locum subjecti, & è contrà: vt homo est risibilis, risibile est homo.
2 *Argumentationem*, qualis cernitur in ijs, quæ se mutuo inferunt, vt si dies est, tum sol est supra nostrum horizontem, & si sol sit supra nostrum horizontem, tum dies est; quæ est inter *propositiones*.
3 *Comparationem*, qualis est inter *correlata*, quæ propter mutuam relationem, ita à se invicem dependent, vt tum

de

de ſe invicem prædicari in propoſitionibus, (licet in obliquis caſibus) tum ſe invicem inferre in argumentationibus etiam videantur.

SECT. 27.

De expoſitione huius tertiæ proprietatis.

Omnia quæ ſunt ad aliquid reciprocantur. Omnia, non modo relativa ſecundum *eſſentiam*, (licet illa præcipuè hic intelliguntur,) ſed etiam relativa ſecundum *dictionem*, & relativa poſtremorum prædicamentorum; vt pater & filius exemplum primi, ſcientia & ſcibile exemplum ſecundi; agens & patiens exemplum tertij; Quæ ſunt *ad aliquid*, aut relativa: *reciprocantur*, i. convertuntur in obliquis caſibus (vt dictum eſt:) reciprocantur, i. *aptitudine*, ſunt enim apta reciprocari, nam *actus* reciprocandi (vt ait *Ariſtoteles*) interdum impeditur.

SECT. 28.

De impedimentis converſionis, & eorum remediis.

Duo impedimenta proponit *Ariſtoteles*, quibus iſta convertentia poteſt impediri:

quorum

1 *Primum* eſt, quando correlatum nomen aptum, & accommodatum non habet: *remedium* verò hujus eſt, vt nomina fingamus, ea derivando à primitivis; primativum autem eſt ipſum relativum; ſic caput eſt aptum referri cum eo cujus eſt caput, at deficit nomen, quod omnia ea, quæ habent capita adæquatè contineat, ducatur itaque aptum nomen à primativo, i. à capite, ſcil. *capitatum*, & tùm actualis erit inter ea relatio.

2 *Secundum* eſt, quando relativum cum aliquo alio quàm cum ſuo correlativo comparatur: hoc autèm ita poſſe cognoſci docet *Ariſtoteles* ſi ſeparatis rebus omnibus, quæ adventitiæ ſunt, i. quæ ſunt extra naturam relativorum, reſpectu relativi, tum ſi maneat relatio, aptè eſt comparatum relativum cum ſuo correlativo,

lativo, aliàs nequaquàm: atque nominum deductio, & fictio est etiam hujus *remedium*, non tamen debet quis, hâc authoritate *Aristotelis* permotus, nimia vti licentiâ, in confingendis nominibus.

Ad convertentiam autèm relatorum duo requiruntur,

nempe
- 1 *Dependentia* mutua correlativorum à se invicem; defectu hujus conditionis, hæc non est convertentia, pater est, ideo hominis pater est.
- 2 *Apta* correlativorum *nomina* ad talem dependentiam significandam, quæ duæ conditiones, si observentur in omnibus, erit convertentia.

Hoc autem, sc. *converti*, respectu relativorum secundum *essentiam*, est proprium secundò modo, convenit enim omnibus non solis, respectu autem relativorum *universalitèr* est proprium quarto modo, omnibus solis, & sempèr conveniens; nam licet definitio cum definito, propria passio cum suo subjecto convertatur, hoc tamen in *recto* casu fit, non in *obliquo*: in *obliquo* enim reciprocari est *relativorum* proprium.

SECT. 29.

De quartâ proprietate relationis, *& primò de distinctione eius, quod est simul naturâ.*

Simul naturâ, vt infrà ostendetur, res duplicitèr dicantur, aut quoad, scil.
- 1 *Divisionem*, quæ sunt membra simul dividentia idem divisum, vt homo, & brutum dicuntur *simul naturâ* divisione, quia ex eodem genere, sc. animali deducuntur.
- 2 *Relationem*, quæ sunt correlata ex se invicem dependentia, & ab *Aristotele* definiuntur ea, *quæ mutuò se ponunt & tollunt, quorum vnum non est causa alterius: & in quibus retro commeat essendi consecutio.*

SECT.

SECT. 30.

Quid Aristoteles *de hâc proprietate dixerit?*

Vult *Arist.* hoc non convenire omnibus relativis, ipseque adducit instantiam duplicem, nimirum, alteram

1 De *scibili* & *scientia*, nam scibile est prius scientiâ, quod probat dupliciter, quia

1 A *rebus* ipsis præexistentibus *scientia* sumitur, ergo res *scibiles* præcesserunt scientias.

2 *Scibili* sublato aufertur *scientia*, at *scientiâ* sublata non aufertur *scibile*, ergo *scibile* prius est, probat antecedentem, *scientia* non potest esse sine objecto, at sublato *scibili* tollitur objectum: deinde multa sunt *scibilia*, quorum adhuc nulla est *scientia*. Denique sublato homine qui est subjectum *scientiæ*, tollitur *scientia*, sed non tollitur *scibile*, multa enim *scibilia* manent.

2 De *sensu*, & *sensibili*, nam sublato *sensibili*, *sensus* aufertur, at non è contrà: ergo: probat priorem partem, quia sublato *sensibili* tollitur quodcunque animal, sed ablato animali aufertur *sensus*, ablato autem *sensu*, licet animal tollatur, non tamen tollitur corpus, quod ipsum *sensibile* est, non minùs quàm animal; Secundò *sensus* non est, nisi cum sit animal, sed ante animal, sunt ea ex quibus est animal, sc. elementa quæ sunt *sensibilia*, ergo *sensibile sensu* prius est.

SECT. 31.

De quibus relativis sit intelligenda hæc proprietas?

* *Esse simul naturâ* omnibus relativis secundum *esse* convenire sentiendum est, non tamen omnibus relativis secundum *dici*, de quibus solis *Aristot.* instantias attulit; ad quod, notandum est quòd

alia relativa significant { 1 *Potentiam*, vt ſcibile, ſenſibile, &c. ſignificant enim quod ſciri, vel ſentiri poteſt.
2 *Differentiam quandam temporis*, vt prius, aut poſterius: de talibus verò quidam exiſtimant hanc regulam non intelligi, ſed de illis quæ *actum* ſignificant, & quæ *ſine temporis differentiâ* conferuntur.

Aliter (ſi velis) reſpondere potes, quod convenit hæc proprietas quarto modo omnibus, ſolis, & ſemper; & tum hac ratione reſpondendum eſt *Ariſtot.* ſcil. vt diſtinguas ſcibile & ſenſibile: nam aut ſcibile ſumitur *materialiter*, & *abſolutè* pro ea re quæ eſt *ſcibilis*, & hac ratione ſine dubio eſt *prius* ſcientiâ; aut ſumitur *formaliter*, & *comparatè*, ſecundum quod habet quandam ad ſcibile collationem, & ſic eſt *ſimul* cum ſcientia, nec enim quiſquam imaginari poteſt, quomodo aliquid ſine ſcientiâ ſit ſcibile?

SECT. 32.

Solutio dubitationum, quæ poſſunt ex iis, quæ dixit Ariſtoteles conſurgere.

Ob. Nihil eſt ſenſibile præter animal; eo ergo ſublato tollitur ſenſibile, nec alia ſunt ſenſibilia corpora: vt *Ariſtoteles* dicit, ergo.

Sol. Senſibile capitur dupliciter nimirum vel { 1 *Activè* pro eo quod *ſentire* poteſt, & ita convenit ſoli animali, atque ſignificat *ſubiectum* ſenſus.
2 *Paſſivè* pro eo quod poteſt *ſentiri*, atq; ita multis etiam aliis competit, atq; ſignificat *obiectum* ſenſus.

Ob. Homine mortuo, adhuc in animâ ejus ſeparata, manet ſcientia, ergo ſublato animale non tollitur ſcientia, vt *Ariſtoteles* dicit.

Sol. Manet quidem ſcientia, ſed non *diſcurſiva* (de quâ hic loquitur *Ariſtoteles*) quæ ex ſenſu profluit; ſed *intuitiva* alterius, & perfectioris generis, quæ non eſt per *ſenſum*, ſed per *influentiam* divinæ cognitionis: nam ſicut dum in hoc vivamus carcere, omnem ſcientiam ex ſpeculatione phantaſmatum (vt ait *Ariſtoteles*) acquirimus: ita cùm ſoluti ſimus his vinculis, non niſi per divinæ mentis aſpectum, intuitum, contemplationem res *cognoſcimus*.

SECT.

SECT. 33.

De explicatione huius proprietatis.

Relativa ſunt ſimul naturâ: Relativa i. omnia relativè accepta (ſunt ſimul natura) i. ita à ſe invicem dependent, quod vno poſito ponatur & alterum, vno ſublato, tollatur & alterum, & vnum ſine altero eſſe nullo modo poteſt; (vel ſunt ſimul naturâ) i. ſimul naturali exiſtentiâ, ſic quod à ſe invicem quoad naturalem exiſtentiam dependeant.

Ob. Si ita relativa à ſe dependeant, quod vno poſito ponatur & alterum, tum videtur, quod vnum ſit cauſa exiſtendi alteri; & ſic vnum eſſet altero prius.

Sol. Relativa ſibi ſunt invicem cauſæ, ſc.

1 Non *productionis*, quia vnum non *producit* alterum, cum ſint ſimul naturâ.

2 Sed *conſervationis*, quia vnum alterum in exiſtentiâ *conſervat*, cum ſint ſimul naturâ, ſic quod illud quod efficit, quod vnum non ſit alterius cauſa in *producendo*, efficit etiam quod ſit ejus cauſa in *conſervando*.

Ob. Pater filio, cauſa effectu, prius poſteriori, prius eſt, non ſimul naturâ: ergo omnia relata non ſunt ſimul natura.

Sol. In iſtis omnibus & ſimilibus dicendum, quòd in illis duo ſunt obſervanda, nimirùm

1 *Fundamentum*, & *ſubiectum*, i. res ipſæ, quæ tales relationes capiunt, vt pater ſi ſumatur pro illo homine, qui eſt pater, & filius pro illo homine qui eſt filius: & ſic vnum poteſt eſſe altero *priùs*, & ita non ſunt relata.

2 *Modus relationis*, & *cõparatio*, vt pater ſi ſumatur pro homine cum paternitate, filius pro homine cum filiatione: & ſic ſunt *ſimul*: nam licet res quæ pater eſt, ſit *prior* filio, tamen in quantùm eſt pater, non eſt prior; nec cauſa in quantum cauſa, effectu; nec prius (in quantum prius) poſteriori, nam non eſt pater niſi habet filium, non cauſa, niſi effectum, non prius, niſi poſterius.

SECT.

SECT. 34.

De regula eorum quæ sunt ad aliquid, *quæ apud quosdam, quinta proprietas nominatur.*

Ex definitione relativorum, concludit *Aristoteles:* quòd qui vnum relativorum definitè cognoscit, cognoscit & alterum, quod *Aristoteles*

probat dupliciter,
- 1 Ex *definitione* relativorum, quia natura eorum est ad aliud, ergo non cognoscitur natura eorum, nisi cognoscatur illud *aliud* ad quod referantur.
- 2 *Exemplo*, nam si quis cognoscat *determinatè* aliquod duplum, & *determinatè* cognoscit dimidium cujus est duplum.

(Cognito vno relativorum definitè) i. determinatè, & particularitèr; cognoscitur alterum, nam verbi gratiâ, pater

duplicitèr consideratur, vel
- 1 *In communi*, vt *pater* est, & tunc vt quis patrem cognoscat, satis est si filium etiam in *communi* cognoscat.
- 2 *In particulari*, vt est *hic pater*, & tum ad cognoscendum *determinatè* patrem, non sufficit cognoscere filium in *communi*, sed *hunc filium*, i. filium cujus ipse pater est.

Vnde *Aristoteles* colligit, partes substantiæ *ad aliquid* non esse, quia manum, aut caput definitè cognoscere possumus, vt tamen non cognoscamus *distinctè* & *particularitèr* ea, quorum tales partes sunt; possumus enim pedem cujusdam animalis pedem esse cognoscere, vt tamen illud animal non cognoscamus.

(Cognito vno correlatorum *definitè*, i. secundum definitionem, & essentiam, cognoscitur & alterum) eò quòd per se invicem mutuò definiuntur, & ex se invicem mutuò quoad *essentiam* dependent.

SECT. 35.

De triplici dependentia correlativorum ex se invicem.

- 1 *Existentiam*, vt à *conservante*, quia posito vno ponitur

Correlativa ex se invicem triplicitèr dependent, tum quoad

ponitur alterum, ablato vno tollitur alterum, nec unum sine altero potest *existere*.

2. *Essentiam* vt à *termino*, quia essentia vnius est ejus relatio ad alterum, & definitio vnius pendet ex altero.

3. *Cognitionem* nostram, quia cognito vno eorum, aut quoad *essentiam*, aut quoad *existentiam*, alterum à nobis, eodem etiam modo cognosci necesse est.

SECT. 36.

Dissolutio istius quæstionis, an sint plures paternitates in vno patre?

Inter *Aquinatem* & *Scotum*, illa diu quæstio exagitata fuit: num in illo patre qui plures filios habet, vna sit sola paternitas statuenda, quà ad omnes filios referatur, an plures, tot sc. paternitates, quot habet filios? nam priorem sententiam *Aquinas*, posteriorem *Scotus* suscipit propugnandam: Mallem ad *Scoti* opinionem inclinare, vtpote, quia pluribus rationibus munita, quæq; paucioribus difficultatibus objecta videatur; nam si vna sola paternitas sit in illo qui decem habet filios, respondeant, an sublato vno filio, relatio patris ad illum filium tollatur? negare non possunt: at illa relatio paternitas est; ergo ista paternitas interit; si ergo vna solum sit in ea paternitas, tum aut sequitur illum respectu aliorum filiorum non esse patrem; aut eorum patrem esse sine paternitate. At si in alteram sententiam eamus, videatur absurdum consequi.

Ob. Nam tum duo accidentia solum numero differentia, essent simul in eodem subjecto, quod *Aristoteles* negat. lib. 5. metaphys. t. 16. & omnes Philosophi.

Sol. Sed responde brevitèr illud intelligendum esse de *absolutis* accidentibus, non de *relativis*.

Ob. Sed sequitur, quod vnus homo sit decem patres, si habeat decem paternitates.

Sol. At responde, illud non sequitur: Quia (vt dictum est) concretum constat ex *subiecto*, & *formà*, vt pater ex *subiecto* cum *paternitate*: quantumvis ergo *forma* paternitatis multiplicetur, dummodo homo, qui est *subiectum*, idem manet, non sequitur aliqua concreti multiplicatio.

SECT. 37.

Dubitationes contra ea, quæ de definitione relativorum dicta sunt.

Ob. Relativa sunt opposita, ergo vnum non definit alterum, ergo vnum non conservat, sed corrumpit alterum.

Sol. Relativa considerantur vel respectu
- 1. *Vnius subiecti*, & ita sunt *opposita*, quia non possunt eidem simul inhærere; ita autem se invicem tollunt, non conservant, non definiunt.
- 2. *Diversorum subiectorum*, & ita non sunt opposita, sed *consentanea*; ita autem se invicem non destruunt, sed conservant, & definiunt mutuo:

Relativa sunt
- 1. *Consentanea*, quoad *essentiam*.
- 2. *Opposita*, quoad *inhærentiam*.

Ob. Vnum oppositorum, non potest prædicari de altero, ergo nec definire.

Sol. Eodem modo quo prędicatur, eodem modo definit, i. in *obliquo*, non *recto* casu, nam non dicimus patrem esse filium, sed esse filij patrem.

Atq; hæc dicta sint de prædicamento (ad aliquid,) succedit prædicamentum qualitatis.

De

De Qualitate.

SECT. 1.

De prædicamento Qualitatis, & primo de resolutione eorum quæ de Qualitate Aristoteles *dixerit.*

In hoc capite tractat *Aristoteles* qualitatem dupliciter, tum quoad

- 1. *Naturam*, idq; duobus modis, & quoad
  - 1. *Definitionem*, eamq; duplicem, scilicet
    - 1. *Qualitatis*; qualitas est ex qua quales vocamur.
    - 2. *Qualium*; Qualia sunt ea quæ sunt â Qualitatibus cognominata, aut quoquo alio modo deducta.
  - 2. *Divisionem*, in quatuor species, nempe
    - 1. *Primam* { 1 *habitum*, & 2. *dispositionem.*
    - 2. *Secundã* { 1. *Potentiam naturalem*, & 2. *impotentiam.*
    - 3. *Tertiam* { 1. *Patibilem qualitatem*, & 2. *passionem.*
    - 4. *Quartã* { 1. *Formam*, & 2. *Figuram.*
- 2. *Proprietates*, de quibus postea in suo loco.

SECT. 2.

De distinctione Qualitatis.

1. *Essentialis*, aut *substantialis*, quæ est differentia con-

Qualitas est duplex, (etiam insinuante *Aristotele*, 5. Metaph. t. 19) vel

- stitutiva alicujus speciei substantiæ, vt rationale, sensibile, animatum: & tales qualitates nullo modo ad hoc prædicamentum pertinent, sed ad substantiam.
- 2. *Accidentalis*, aut *adventitia*, quæ est affectio *consequens*, non *constituens* vllam substantiam, vt albedo, calor, frigus, & *hæ qualitates in hoc prædicamento reponuntur*.

SECT. 3.

De ordine huius prædicamenti respectu aliorum consequentium.

Qualitas præponitur *Actioni* & *Passioni*, quia est eorum *principium*; actio enim & passio omnis profluunt ab aliquâ qualitate; *cæteris prædicamentis* sequentibus, eò quòd ipsa *absoluta* est; illa autem *Relata* sunt tantum per *applicationem*.

SECT. 4.

De definitione Qualitatis, & eius explicatione.

Qualitas est ex quâ (quales) denominamur: quæ definitio ita debet intelligi qualitas, i. accidentalis (est) res prædicamentalis (ex quâ:) scilicet formaliter, nam effectivè ab intellectu omnes res nominantur, ipse enim est qui imponit nomina rebus: (nominamur) & in nobis res alias intellige, i. res omnes nominantur (quales) i. aliquâ qualitate affectę.

Sed quare dicit in definitione (*nominamur*) quales, quasi qualitates hominibus appropriasset, potius quam (nominantur) cùm qualitates alijs rebus conveniunt? attende quod qualitates sunt

duplices, nempe

- 1. *Spirituales*, quæ *spiritualem* sequuntur naturam; vt intellectus, & disciplina in homine, quæ sequuntur animam rationalem, quæ est *spiritus*.
- 2. *Corporales*, quæ *corpoream* sequuntur naturam; vt albedo, color, &c. quia autem homines vtriusq; generis in se qualitates continent, tum *corporales* sequentes corpus, tum *spirituales* sequentes animam rationalem; ideo potius dicitur in definitione qualitatis (denominamur) intelligendo homines ad vtrasq; qualitates insinuendas, quam (denominantur) intelligendo cæteras res, in quibus

ille

illæ ſolum inſunt qualitates, quæ *corporalem* ſapiunt naturam.

Ob. Omnia accidentia prædicantur in *quale*, docente *Porphyrio*: & conſequenter denominant ſubjectum *quale*, ergo illud ſolum non convenit qualitati; & ita definitio mala eſt.

Sol. Subjecta denominantur (qualia) dupliciter, ſcilicet aut
1. *Confuſè* & *non diſtinctè*, idq; cum *additamento*: & ſic ab omni accidente ſubjecta denominantur (qualia) ſic quantitas denominat ſubjectum *primò propriè* & *diſtinctè* (quantum) *confuſè* vero (quale) & reſpondet ad quæſtionem factam per (quale, ſecundùm quantitatem.)
2. *Diſtinctè*, & *propriè*, & *proximè* ſine aliquo *additamento*; ſic verò à qualitate ſolum ſubjecta denominantur (qualia) ſi enim *ſimpliciter* quæramus qualis ſit *Socrates?* propriè ex eis reſpondemus quæ ponuntur in hoc prædicamento.

Sol. 2. Prædicari in (quale) accipitur dupliciter, vel vt diſtinguitur
1. Contra prædicari in (quid:) ſic omnia accidentia prædicantur in (quale.)
2. Contra prædicari in (quantum) aut (ad aliquid) &c. quatenus reſpicimus peculiarem prædicandi modum vniuſcujuſq; prædicamẽti; & ita ſola qualitas in (quale) prædicatur.

Quale ſumitur vel pro eo quod eſt
1. *Affectum aliquo accidente*; & ſic omne accidens prædicatur in *quale*.
2. *Informatum aliqua qualitate*; & ita ſola qualitas prædicatur in *quale*: nam cum quæramus qualis eſt *Socrates?* Si intelligamus quo accidente affectus; etiam per quodcunq; accidens benè reſpondemus; at ſi intelligamus, quâ imbutus qualitate? ex ijs quæ collocantur in hoc prædicamento reſpondendum eſt.

Ob. Paſſiones ſunt qualitates tertiæ ſpeciei, at non denominant ſubjectum *quale*, vt *Ariſtoteles* docet in tractatione ejus ſpeciei, cap. de Qualitate, t. 12. ergo.

Sol. Paſſiones quidem denominant ſubjectum *quale*, nec intelligendus eſt *Ariſtoteles* (vt multi hallucinantur) quod non denominant *omninò* & *abſolutè* ſubjectum *quale*; ſed *comparatè*, loquutus eſt; quod non ita denominant ſubjecta *qualia*, ſicut patibiles qualitates, quia eæ *firmiter* et *perfectè* et *conſtantèr* illa denominant; quia ſunt altius infixæ ſubjectis; illæ verò cùm ſint fluentes non niſi *diminutè*, et *imperfectè*: nam ibi inter ipſas inſtituit *Ariſtoteles* collationem.

SECT. 5.

SECT. 5.

De diviſione Qualitatis in ſuas quatuor ſpecies.

Qualitas (inquit *Ariſtoteles*) *multipliciter dicitur*; quod non intelligas de multiplicitate *ſignificationis*, quaſi eſſet æquivocum, ſed de multiplicitate *ſubiectorum*, i de multis ſubjectis dicitur. Qualitatis enim ſunt plura genera, i. plures ſpecies: prima eſt habitus & diſpoſitio, ſecunda eſt naturalis potentia & impotentia: tertia patibilis Qualitas & paſſio: quarta verò eſt forma & figura.

SECT. 6.

De prima ſpecie Qualitatis, & primò de diſtinctione nominis habitus.

In libro *prædicamentorum* ſunt quatuor ſignificata hujus nominis (habitus,) aut enim capitur

1. Pro *relatione veſtimenti ad corpus*, & ſic eſt vltimum *prædicamentum*.
2. Pro *relatione cuiuſq; habiti ad habentem*, & ſic eſt vltimum *poſt-prædicamentum*.
3. Pro *formâ poſitivâ, quæ opponitur privationi*, & hoc modo capitur in capite de *oppoſitis*.
4. Pro *prima ſpecie Qualitatis*, quomodo hic ſumitur, & ſtatim definietur.

SECT. 7.

De definitione habitus, & eius explicatione.

Antiqui, & diſpoſitionem, & habitum, vno communi nomine *applicationem* appellabant, & ita definiri poteſt: *Habitus eſt qualitas inſenſibilis, pluribus actionibus acquiſita, difficulter mobilis à ſuo ſubiecto*; quæ ita explicari poteſt (habitus eſt Qualitas inſenſibilis) vt diſtinguatur

tur à qualitatibus, tertiæ & quartæ ſpeciei, quæ ſunt *ſenſibiles:* (pluribus actionibus acquiſita) vt diſtinguatur a qualitatibus ſecundæ ſpeciei, quæ naturâ *inſitæ* ſunt, non conſuetudine acquiſitæ: (difficultèr mobilis à ſuo ſubjecto) vt diſtinguatur à diſpoſitione, quæ *facilè* à ſubjecto movetur: in primâ parte oſtenditur *modus* ejus naturæ, qui eſt *inſenſibilitas*: in ſecundâ *principium*, quod eſt *actio* & *conſuetudo*: in tertia, *conſtantia* quæ eſt *avulſionis difficultas*, ejuſq; à cæteris omnibus qualitatibus *diſtinctio*.

SECT. 8.

De definitione Diſpoſitionis, *& eius explicatione.*

Diſpoſitio ita definitur; *Diſpoſitio eſt qualitas inſenſibilis paucis actionibus acquiſita, facile à ſubiecto mobilis*: quæ ita eſt intelligenda (Diſpoſitio eſt qualitas inſenſibilis) vnde diſtinguitur à qualitatibus tertiæ & quartæ ſpeciei; (acquiſita actionibus) vnde diſtinguitur à ſecundâ ſpecie; (paucis) vnde diſtinguitur ab habitu ex parte *acquiſitionis*; (facilè à ſubjecto mobilis) vnde diſtinguitur ab habitu ex parte *corruptionis*.

SECT. 9.

De comparatione habitus & diſpoſitionis, vbi oſtenditur eorum convenientia, & diſcrepantia.

Notandum quod habitus & diſpoſitio conſiderantur, aut reſpectu eorum

1. *Naturæ*, & *eſſentiæ*, & ſic *conveniunt*, vnde poteſt illis communis talis definitio conſtitui, (qualitas inſenſibilis, actionibus acquiſita.)

2. *Accidentium*, & ſic *diſcrepant* triplicitèr, nempe tum ipſâ

1. *Acquiſitione*, quia habitus *pluribus*, diſpoſitio *paucioribus* actionibus acquiritur.

2. *Perfectione*, quia *perfectior* habitus eſt, & *conſummatior*, atq; *finis* diſpoſitionis, diſpoſitio *imperfectior*, & quaſi *progreſſio* ad habitum.

3. *Duratione* & *conſtantiâ*, quia habitus *difficultèr*, diſpoſitio *facilè* à ſubjecto avelli poteſt.

SECT. 10.

SECT. 10.

De secunda comparatione habitus & dispositionis, qua est quoad nomen, *vbi ostenditur quomodo habitus dicitur dispositio ab* Aristotele?

Dupliciter ad se invicem comparat *Aristoteles* habitum et dispositionem, tum quoad *rem*, de quâ comparatione dictum est; tum quoad *nomen*, quæ talis est; *quod omnis habitus est dispositio, sed non è contrà, dispositio enim habitus appellari non potest*; quod cùm aliquid difficultatis contineat, respondent, habitum esse non posse simplicem dispositionem, sed *aggregatam*; mihi tamen videtur ista propositio (habitus sunt dispositiones) intelligenda non vt jacet in *recto* casu, sed in *obliquo*, in hunc modum, *habitus sunt ex dispositionibus*; nam sicut dispositio ex naturali potentiâ profluit; ita etiam ex dispositionibus habitus: est enim dispositio, *inchoatio* habitus; habitus autem *perfectio* dispositionis; vel est dispositio (vt ita dicam) *imperfectus* habitus; habitus autem *perfecta* dispositio; sic dum quis discat *Grammaticam*, (dispositionem) *Grammaticæ* dicitur habere, cùm verò *perfectè* didicerit, tum dicitur habere (habitum:) sub hac autem specie, (vt colligi potest ex definitione) continentur omnes virtutes, omnia vitia, omnes scientiæ sive *perfectæ*, sive *imperfectæ* sint.

SECT. 11.

De secunda specie Qualitatis, *& primò de distinctione ambigui nominis* potentiæ.

Potentiæ nomen apud *Philosophos* multiplex est: notandum itaque quod est alia potentia

1. *Ad esse*, quæ à Philosophis nominatur potentia *obiectiva*, quâ res quæ non est, esse potest: sicut infans qui adhuc non generatur, dicitur esse in *potentia*.
2. *Ad formam*, quæ à *Philosophis* dicitur potentia *subiectiva*, quâ res, quæ est, aliquid aliud potest recipere, sicut homo qui est, dicitur esse in *potentia* ad risum; et hæc *

* Potentia

Potentia est triplex, vel ad
- 1 *Actum* & *formam* substantialem, quomodo materia dicitur (potentia) ab *Aristotele*: 2. l. de anima: text. 2.
- 2 *Actionem*, qua aliqua forma producitur, siue *substantialis*, siue *accidentalis*; quomodo ignis dicitur (in potentiâ) ad calefaciendum aquam, & vir (in potentiâ) ad generandum filium.
- 3 *Passionem*, quâ aliqua forma siue *substantialis* siue *accidentalis*, ab agente producta, suscipitur a patiente; quomodo aqua dicitur (in potentia) ad recipiendum calorem ab igne, nam potentia *activa* est potentia *efficiendi*; potentia *passiua* est potentia *suscipiendi*.

Ob. Naturalis potentia est prior habitu, est enim ipsius principium, ergo ejus tractatio debet præcedere.

Sol. Ordo duplex est, alius
- 1 *Naturæ* & *generationis*, & sic naturalis potentia *prior* est.
- *Doctrinæ* & *perfectionis*, & sic habitus est *prior*.

Notandum quod potentia *activa* duplex est, alia ad
- 1 *Transmutandum aliud*, sicut ignis habet *activam* potentiam calefaciendi aquam.
- 2 *Resistendum alteri*, ne ab ipso transmutetur; sicut in ferro est durities, qua resistit percutienti gladio; & quædã etiam *potentia* in aqua, quæ resistit calefactioni ignis.

Similiter potẽtia *passiua* duplex est, sc. vel
- 1 *Perfectiua*, qua aliquid potest suscipere perfectionẽ suam, sic materia est in *potentia* ad recipiendum formam, quæ est ejus *perfectio*, & oculus in potentia ad recipiendũ visum i. species coloris, quæ sunt eius perfectiones.
- 2 *Corruptiua*, qua aliquid potest suscipere aliud, quod sibi nocet, vt *potentia passiua* aquæ ad recipiendum calolorem ignis, qui sibi nocet.

SECT. 12.

De definitione naturalis potentiæ, & primò de ejus explicatione.

Secunda species complectitur naturalem *potentiam* & *impotentiam*, quas antiqui, vno nomine comprehenderunt, sc. *aptitudine*, quæ ita est definienda.

Naturalis potentia est qualitas innata & insensibilis, qua subiectum redditur aptum ad aliquid agendum, aut nocenti resistendum, aut perfectiuè patiendum.

Vbi notandum de *definito*, quod dicitur (naturalis) respectu *causæ*,

quia oritur ex naturalibus *principiis*; dicitur (potentia) respectu *effectus*, quia reddit subjectum idoneum ad aliquod *operandum*.

De *definitione* autem notandum quod (naturalis potentia) dicitur (innata) vt distinguatur ab habitu, dispositioneque, quæ actionibus *acquiruntur*; dicitur (insensibilis) vt distinguatur à qualitatibus tertiæ, & quartæ speciei, quæ *obiiciuntur sensibus*; (quâ subiectum redditur aptum ad aliquid operandum) vt risibilitas, quâ homo est aptus ad ridendum: (aut nocenti resistendum) vt potentia, quâ homo illi resistit, qui vellet eum lædere; (aut perfectiuè patiendum) i. ad patiendũ illud, quod sibi non noceat, sed ipsum perficiat, vt visiua potentia in oculo, & potentia quâ homo frigidus suscipit conuenientẽ sibi calorẽ: nam si sit potentia, nõ ad *perfectionem* suã, sed ad *corruptionem* seu destructionem, tum non propriè sub (naturali potentiâ) sed (impotentia) comprehenditur; nihil enim à *natura* factum est ad suam corruptionem & malum patiendum.

Sic quod naturalis potẽtia ordinatur ad tres actus
1 Ad *mutandum aliud* per suam *operationem*.
2 Ad *defendendum seipsum* per *resistentiam*.
3 Ad *perficiendum seipsum*, illas formas patiendo & recipiendo; quæ ipsum patiens *perfectius* reddant.

SECT. 13.

De definitione naturalis impotentiæ & eius explicatione.

Naturalis impotentia, est qualitas innata & insensibilis, quâ subiectum redditur ineptum ad aliquid agendum, aut resistendum, aptum verò ad destructiuè patiendum: quæ ita explicatur, dicitur (innata) ad excludendum primam speciem, dicitur (insensibilis) ad excludendam tertiam & quartam speciem (quâ subjectum redditur ineptum ad aliquid agendum) i. ad mutandum illud: (aut resistendum) i. ad defendendum seipsum, vt mollities: (aptum vero ad destructiuè patiendum) i. ad patiendum suam corruptionem.

Ob. Impotentia est priuatio potentiæ, ergo non est qualitas, nec continetur in prædicamento.

Sol. Impotentia sumitur aut
1 *Priuatiuè*, pro defectu aut carentia potentiæ: & ita impotentia *priuatio* est, non qualitas;
2 *Positiuè*, pro gradu imbecillioris & infirmioris potentiæ, & facultatis in subjecto, & ita est qualitas.

SECT.

SECT. 14.

De comparatione naturalis potentiæ & impotentiæ.

Naturalis potentia & impotentia multiplicitèr differũt,

1 *In principio*, quia potentia à *forma*, impotentia à *materia* profluit.

2 *In perfectione*, quia potentia est *perfectior* & *melior* impotentiâ.

3 *In effectu*; qui in ijs est plane contrarius; nam potentia ad *agendum incitat*, impotentia *impedit*: potentia ad resistendum *impellit*, impotentia *debilitat*: potentia ad perfectionem patiendum *aptum* reddit; impotentia ad bonum & perfectionem *ineptum*, aptum autem ad nihil prẹter corruptionem & malum.

In *essentia* autem conueniunt; potest itaque communis definitio vtrique adhiberi; quod *potentia & impotentia est qualitas innata, & insensibilis, qua aliquid redditur aptum ad agendum, resistendum, aut patiendum.*

SECT. 15.

An rationale & sensibile sint naturales potentiæ?

Maxima pars *Philosophorum* existimat, sensibile, quæ est differentia animalis, nihil aliud esse quam *potentiam* sentiendi; & rationale differentiam hominis, nihil aliud quam *potentiam* ratiocinandi in homine; sic illas, aliasque similes differentias ad hanc qualitatis speciem referunt, qui omnes turpissimè errant: quomodo enim fieri potest, quod potentia & accidens essent pars substantiæ, aut de ejus essentiâ?

Nota quod rationale (& idem de cæteris dici potest) dupliciter capitur, aut pro

1 *Facultate, aptitudine, potentia* ratiocinandi, & sic est *naturalis* potentia, nec est *differentia* sed propria *passio* hominis.

2 *Principio*, vnde ista potentia facultas & aptitudo profluunt, & sic nihil aliud est quam anima rationalis *in concreto*, & sic est *differentia* hominis & substantia, non qualitas; & magna quidem hæc differentia est, nam hoc *præcedit*, illud *sequitur* naturam hominis; hoc est *pars essentialis*; illud est *passio accidentalis*; hoc denique hominem *constituit*, illud homini constituto *inhæret*,

Ob. Potentiæ animæ, vt vegetatiuum, sensitiuum, intellectiuum & loco-motiuum, dicuntur partes animæ, 2. de anima text. 18. & 19. at omnes partes substantiæ sunt substantiæ 1. Phys. text. 28.

Sol. Partes aliæ sunt
- 1 *Integrales*, quas nullas habet, quia est *immaterialis* substantia.
- 2 *Essentiales*, quas nullas habet; quia *imperfecta* est substantia.
- 2 *Virtuales*, & tales sunt ejus potentiæ; partes ergo substantiæ *essentiales*, & *integrales* substantiæ sunt, non *virtuales*.

SECT. 16.

Comparatio inter potentiam naturalem & habitum.

Potentia naturalis & habitus, licet in hoc conueniunt, quod ambo sint *insensibiles*, differunt

tamen
- 1 *Principio*, quia potentia naturalis est *insita* a natura, habitus *acquisitus* industriâ.
- 2 *Ordine*, quia naturalis potentia *principium* est & habitus & dispositionis, (hæc) ejus *effectus*; omnis enim virtutis & vitij inclinatio est à *naturali potentia*, progressio & medium à *dispositione*, perfectio & finis ab *habitu*.
- 3 *Perfectione*, quia naturalis potentia ex se *manca* est & *imperfecta*; habitus vero *perfectus*, cum sit naturalis potentiæ *finis* & *perfectio*.

SECT. 17.

Dubitationes contra ea quæ dicta sunt de potentia.

Ob. Omnis Qualitas est forma, & consequenter actus, at potentia non est actus, ergo non est qualitas.

Sol. Potentia cõparatur, aut ad
- 1 *Actum suum*, vt risibilitas ad *risum*, & ita non est *actus* nec *forma*, sed *ad aliquid* dicitur; vt ad finem; vide Sect. 5. de Relatiuis.
- 2 *Subiectum suum*, vt risibilitas ad *hominem*; & ita est & *forma* & *qualitas*; nec est inconueniens vt sit *actus*, quoad *inhærentiam*; tamen *potentia* quoad *efficacitatem*.

Ob.

Ob. Potentia & actus non possunt simul inesse eidem (quia sunt opposita) ergo risibilitas non potest inesse homini simul cum risu, & consequenter, aut risibilitas non est potentia, aut homo semper non est risibilis.

Sol. Potentia duplex est, sc. alia

1 *Respectiua*, quæ est nihil aliud quam *respectus rei ad actum*; & hæc opponitur actui *relatiuè*, & hæc, inducto actu, interit.

2 *Absoluta & dispositiua*, quæ non est respectus ad actum, sed *facultas qua res in actum euadit*; vt risibilitas; & hæc non *corrumpitur* actu inducto, sed *perficitur*: tollitur ergo (cum homo ridet,) *respectiua* hominis potentia ad risum; at naturalis *facultas* non tollitur: nec hæc illi, vllo modo opponitur.

SECT. 18.

De tertia specie qualitatis, & primò de distinctione patibilis qualitatis.

Patibilis qualitas dupliciter accipi potest,

1 *Passiuè*, pro ea qualitate, quæ ab alia *patitur*; vt omnis qualitas, quæ est alteri contraria, dum à subjecto expellitur, *patitur* ab ea; sic hic non sumitur.

2 *Actiuè*, pro ea qualitate quæ *infert passionem sensui*, vt calor qui *tactui*; color qui *visui*; odor qui *olfactui*; sapor qui *gustui*; sonus qui *auditui infert passionem*; & sic hoc loco sumitur.

Nota tamen, quod ea qualitas, quæ est *passiua*, eadem etiam *actiua* est: & quæ est *actiua*, est etiam passiua, diuerso re[illegible] est *actiua* respectu *sensus*, *passiua* ratione contrariæ qualitatis, [illegible]*patitur* à calore in quantum extinguitur ab eo, *agit* in ipsum in [illegible]um corrumpit ipsum, *agit* etiam in sensum in quantum *infert* ei passionem; nam cũ aliquid videas, non est tibi existimandum oculum tuum in colorẽ *agere*, sed colorem *agere* in oculum: & idem est de omnibus obiectis aliorum sensuum dicendum; & hoc modo *patibiles* qualitates hic dicuntur non quia *aliis*, sed quia *sensui* inferunt passionem.

SECT. 19.

De distinctione sensibilis, ex Aristotele: *2. lib. de anima text. 63.*

1 Per *accidens*, quod est subjectum cui *inharet*

Sensibile aut objectũ sensus est duplex, aliud
- sensibile, *per se*; vt *Socrates* in quo inhæret color, qui per se sentitur, sensibile *per accidens* dicitur.
- 2 *Per se*, quod vi suâ agit in sensum, & hoc est duplex, aut
  - 1 *Cõmune*, quod pluribus sensibus percipitur, vt quantitas, motus, figura, &c. nã ego non solũ possum cognoscere figuram aliquam, vt circulum, *videndo*, sed etiam *tangendo*.
  - 2 *Proprium*, quod ab vno sensu percipitur solũ, vt color dicitur *proprium* objectum visus, quia nullus sensus prẹter visum, percipit colorem; sonus respectu *auditu*, & sapor respectu gustus, & *odor* respectu olfactus.

SECT. 20.

De definitione patibilis qualitatis.

Contemptis illorum definitionibus, ita mihi videtur, posse *patibilem qualitatem* facillimè definiri.

Patibilis qualitas est, quæ vnico sensu percipi potest, difficultèr à subiecto mobilis, quam ita expone: dicitur (patibilis) *actiuè* ab inferendo passionem sensui, non *passiuè* à suscipiendo passionem; dicitur (qualitas quę percipi potest sensu) vnde excluduntur habitus & naturalis potentia, sunt enim *insensibiles* qualitates; (vnico tantum) vnde excluduntur forma & figura, quæ *pluribus* sensibus percipiuntur; dicitur (difficultèr à subjecto mobilis) ad excludendas perturbationes quæ licet eodem modo sensibus obijciantur, *facile* tamen discedunt à subiecto. vnde est eadem ratio *passionis* ad *patibilem qualitatem*, quæ est *dispositionis* ad *habitum*.

In qua definitione ostenditur, tum ejus *officium*, in quantum *obiectum* est, quod potest vnico sensu percipi, tum *constantia* ejus respectu *subiecti*, quæ est *difficultas* euellendi ipsum à *subiecto*; vnde facile apparet omnia ista quę vnico sensu percipiuntur (modo *fixè* & *firmitèr* inhæreant in subjecto) esse *patibiles* qualitates, vt color, lumen, quæ *visui*; calor, frigus, humor, siccitas, quæ *tactui*; sapor qui *gustui*; odor qui *olfactui*; sonus qui *auditui*, eique soli subijciuntur.

Ob. Colores (inquit *Aristoteles*) ob eandem causam, non dicuntur *patibiles* qualitates, ob quam objecta aliorum sensuum, c. de Qual. text. 11. sed objecta aliorum sensuum dicuntur, quia *inferunt passionem sensibus*

fibus, ergo color ob hanc causam ita non dicetur.

Sol. Colores ob eandem causam non dicuntur, i. non solum ob eam causam, quod inferunt passionem sensibus; sed etiam ob *aliam*, sc. quia oriuntur à passionibus, vt pallor à *metu*, rubedo à *pudore*.

SECT. 21.

De distinctione & definitione passionis & eius explicatione.

Passio sumitur duplicitur, aut
- 1 *Pro relatione patientis ad agens*, & ita est prædicamentum, per se, & distinctum.
- 2 *pro qualitate, sensibili vno sensu, facile à subiecto mobili*, & ita hic capitur.

Passio autem ita appellatur ob duplicem causã, vel ratione
- 1 *Principij*, quia sc. ab *internis* animi *passionibus* & perturbationibus oritur.
- 2 *Effecti*, quia sc. *infert passionem*, quantumuis momentaneam, sensibus.

Passio est qualitas quæ vnico sensu percipi potest, facile à subiecto mobilis; est (qualitas quæ percipi potest sensu) vnde excluduntur duæ priores species: (vnico sensu) vnde excluditur quarta species: (facile à subiecto mobilis) vnde excluditur *patibilis* qualitas; vnde patet quod hic per *passionem* non debet intelligi *interna* animi passio, vt metus, pudor, & iracundia: nam hæ ad primam speciem pertinent, & sunt dispositiones: sed intelligenda est *externa* passio, quæ ex illa passione animæ oritur: qualis est rubedo, quæ ex iracundia aut pudore; qualis etiam pallor qui ex metu nascitur.

Vnde notã quod colores duplices sunt, aut
- 1 *Naturales*, qui ex principio natiuitatis rei innascuntur, vt rubedo in vultu ex sanguinea complexione, & tales omnes sunt *patibiles* qualitates.
- 2 *Aduentitij*, qui duplices sunt
  - 1 *Permanentes*, qui difficulter auelluntur à subjecto, vt pallor ex ægritudine, & hi omnes sunt patibiles qualitates, quæ *symptomata* à medicis dicuntur.
  - 2 *Momentanei* & *infirmi*, vt pallor ex subito timore, & hi non sunt *patibiles* qualitates sed passiones.

SECT. 22.

De comparatione patibilis qualitatis & passionis.

- 1 *Principio*, quia passio ex *subita* animi *perturbatione* oritur

oritur, at patibilis qualitas ex causis *firmioribus*.

2. *Perfectione gradus*, quia *patibilis* qualitas pluribus gradibus infigitur in subjecto, quàm passio.

Patibilis qualitas, & *passio* differunt, &

3. *Permanentiâ*, quia diutius inhæret *patibilis* qualitas quam passio, & *difficilius* à subjecto movetur; *patibilis* itaq; qualitas & passio *naturâ* conveniunt, & communis potest tradi de ijs definitio; *quod sint qualitas quæ vno sensu percipitur*; nam eadem qualitas, quę jam objecta sensui, facilè est à subjecto mobilis, *passio* dicitur; at si ad firmitatem accreverit, *patibilis* erit *qualitas*: vnde hic (apud *Aristotelem*) patibilis qualitas est nihil aliud quàm *vnico sensu sensibilis qualitas*.

Vt melius intelligas prædicta, distinguẽdũest inter terminos

1. *Obiectum* sensus, quod est illud, *quod sentitur*, vt color qui videtur.

2. *Subiectum* sensus, quod est illud, *quod sentit*: ut animal quod participat colorem.

3. *Organum*, sive *instrumentum* sensus, quod est illud *quô sentit*; vt oculus, quo animal colorem percipit.

SECT. 23.

De diuisione sensibilium qualitatum in primas & secundas.

Sæpe fit mentio (apud *Philosophos*) de qualitatibus primis & secundis; quæ diuisio non est qualitatis in *genere*, sed qualitatis hujus *speciei* sc. sensibilis.

Itaq; sensibilium qualitatum aliæ sunt

1 *Primæ* quæ sunt istæ quatuor solùm, scilicet, *calor*, *frigus*, *humor* & *siccitas*, quæ dicuntur primæ, vel respectu

1 *Subiectorum*, quorum sunt qualitates i. Elementorum quæ sunt *prima* corppra.

2 *Effectorum*, quia ex illis reliquæ sensibiles qualitates conflantur.

3 *Sensus*, cuius sunt objecta, quia primo sensui sc. *tactui*, subijciuntur.

2 *Secundæ* quæ sunt omnes aliæ sensibiles qualitates, colores, odores, sapores, &c: quæ dicuntur *secundæ* qualitates, quia ab illis quatuor *primis* oriuntur; nã sicut omnia alia sensibilia & mixta corpora ex quatuor *elementis* conficiuntur,

conficiuntur, ita etiam *secundæ* qualitates ex istis quatuor *qualitatibus*, quæ cæterarum velut *elementa* sunt, *calore*, *frigore*, *humore*, *siccitate* oriuntur. vnde satis patet, hanc divisionem, de illis solis intelligendam esse, quæ propriè *sensibiles* sunt; nam habitus, vt virtus, aut potentia, vt risibilitas; aut figura, vt circulus; nec qualitas *prima*, nec secunda dici possunt: nota tamen quod illæ quatuor non sentiendę sunt *primæ simpliciter* inter sensibiles (nam *lux cœlestis* prior est omnibus istis) sed sunt *primæ*, quæ in *inferioribus* hisce corporibus inveniuntur.

SECT. 24.

De quartâ specie Qualitatis, & primò de distinctione ambigui nominis, formæ & figuræ.

Forma apud *Porphyrium* & *Aristotelem*, multis in sensibus accipitur, vel scil.

- *Pro formâ formatâ*, quæ est species apud *Porphyr.*
- *Pro formâ formante*, quæ est genus & differentia, quæ formant speciem.
- *Pro formâ informante*, quæ est forma *physica*, ex quâ cum materiâ fit compositum, vt anima in homine.
- *Pro formâ externâ*, scilicet pro *expressione*, (aut vt dicam) *lineamento* alicujus animati corporis, atque in eo sensu hic sumitur; primus & secundus sensus *Dialecticus*; tertius *Physicus*; quartus *vulgaris* & *communis* est.

Figura autem capitur, vel

1. Pro *exornatione quâdam dictionis*, quæ sumptio est *Rhetorica*.
2. Pro *externa rerum inanimatarum specie*, & ista sumptio est *geometrica*, & ita hic sumitur.

SECT. 25.

De differentiâ inter formam & figuram, & earum definitionibus.

Forma & figura non alio modo distinguuntur, quàm *ratione subiectorum*; nam eadē res quæ in rebus *inanimatis* nominatur *figura*, in rebus *animatis* (propriè loquēdo) *forma* dicitur; vel (si velis) ita potes distinguere, quòd *forma* omnium *naturalium*, *figura artificialium* sit externa species.

Figura ita ab *Euclide* definitur, lib. 1. definitione 14. esse illud *quod termino aut terminis clauditur*, i. figura est illud lineamentum aut expressio illa quantitatis, quæ terminis ipsius clauditur: non itaque quantitas ipsa *figura* est, sed *fundamentum* figuræ, sed illa expressio & delineatio quantitatis; vt in pilâ, ejus figura, *rotunditas* est, in linea rectâ, *rectitudo*; sic etiam in homine ipsa partium proportio, & compositio; nec est figura *terminatio* quantitatis, (vt quidam definiunt) nam ipsa terminatio, *actio* est; sed est (vt dixi) illa *delineatio*, & *compositio* partium, quæ ex *terminatione*, proficiscitur, vt concavitas, convexitas, rectitudo, curvitas, circulus, triangulus, &c.

Ob. Ideo qualitates appellantur *patibiles* ab *Aristotele*, quòd inferunt passionem sensibus; at forma & figura inferunt passionem sensibus: sunt enim objecta communia sensuum; ergo sunt patibiles qualitates.

Sol. Dicuntur propriè *patibiles* qualitates, non solùm quòd inferunt passionem sensui, sed quia *vni* soli sensui inferunt passionem, at forma & figura, non *vni* solum sensui, sed *multis* passionem inferunt; nec enim solum *visu*, sed *tactu* possum discernere figuram alicujus corporis, quæcunque sit, at vero non possum discernere, vtrum corpus album sit aut nigrum præterquam *visu*; nota quod *commune* dicitur objectum, non quia *omnibus* sensibus objicitur, sed *pluribus*.

Forma & figura ita possunt vnicâ definitione comprehendi; forma & figura sunt *externa lineamenta corporis*.

Quod si quis objiciat, quod bona divisio esset bimembris: hæc potest ad bimembrem reduci;

quod alia sit
- *Qualitas insensibilis*, eâque duplex
  - 1 *Insita à naturâ*, vt naturalis potentia & impotentia.
  - 2 *Acquisita consuetudine*, vt habitus & dispositio.
- *Qualitas sensibilis*, quæ duplex est, aut enim est sensibile
  - 1 *Proprium*, vt patibilis qualitas & passio.
  - 2 *Commune*, vt forma & figura.

SECT. 26.

De definitione Qualis, & eius explicatione.

Qualia definiuntur ea (ab Aristotele) *quæ à qualitatibus sunt cognominata;*

nata, aut alio quovis modo deducta: prius definivit *abstractum*, scilicet qualitatem; nunc definit *concretum*, scilicet *quale*: quam definitionem ita intelligite (Qualia sunt quæ à qualitatibus) alicujus quatuor dictarum specierum (sunt cognominata,) i. habent nominis appellationem aut convenientiam, vt album est cognominatum, ab albedine; sciens à scientia, &c. (aut alio quovis modo deducta) quæ cum qualitatibus *nominis* non habent aliquam similem appellationem, sed *in re ipsâ* convenientiam, vt virtus & studiosus; nam quædam concreta habent abstractum *nominatum*, alia vero licet habent abstractum, cum quo, in re & naturâ conveniant, non tamen à quo *nomen & appellationem* deducant: vnde apparet non magnam esse differentiam inter *denominativa*, & *cognominata*, & *coniugata*; nam eadem res, vt album, potest dici &

1° *Cognominatum* respectu eius *appellationis* ab *Abstracto*.
2° *Denominativum*, respectu ejus *prædicationis* de *subiecto*.
3° *Coniugatum* respectu *illationis* & argumentationis, quâ mutuo infertur ab *Abstracto*, vt albedine.

Ob. *Aristoteles* supra definivit qualitatem per *quale*, hîc autem definit Quale per *Qualitatem*: ergo circulariter definit.

Sol. Definit qualitatem per *quale*, abstractum per concretum, à *posteriori*, idq; per *notius nobis*; definit autem quale per qualitatem, concretum per abstractum, à *priori*, idque tanquam *notius naturâ*.

Ob. *Quale* est summum genus, est enim genus quia prædicatur essentialiter, & non tanquam differentia de speciebus: vt de colorato scienti, studioso: &c. at non est subalternum, quia nulli generi subijcitur, ergo summum, & cum similis sit ratio cæterorum prædicamentorum, sequitur esse multò plura, quam decem summa genera: i. prædicamenta.

Sol. Sicut *Quantum*, ita *Quale* est summum genus, nec aliud summum genus, quam Quantitas; nec enim concretum ab abstracto in *essentia* disjungitur, sed solummodo in *significatione* & *prædicatione*: quia concretum significat ipsum *subiectum* inhæsionis, & de eo prædicatur, quorum neutrum abstractum facit: illud diligenter etiam de cæteris concretis & abstractis observa.

SECT. 27.

De proprietatibus Qualitatis, & primò de primâ.

Prima proprietas est (*quod qualitas habet contrarium.*) quod est proprium, primo modo conveniens soli, non omni; nam in vnâquaque specie, aliquæ sunt quæ contrarium non admittunt; soli convenit, i. per se; nam licet Relativa (vt dixi) & actiones & passiones (vt modo dicam) contraria suscipiant; hoc tamen omninò illis non convenit *per se*, sed gratia *Qualitatis*.

Aliqua alijs sunt contraria duobus modis, sc.
- 1 *Per se*, & ita qualitates solæ, vt calor & frigus, virtus & vitium.
- 2 *Per accidens*, gratiâ qualitatis, & ita in quibusdam cæteris prædicamentis invenitur contrarietas, cum aliquid capit contrarium gratiâ Qualitatis: *

* vel vt gratiâ
- 1 *Inhærentis formæ*, sicut substantiæ, vt ignis & aqua sunt contraria, gratiâ caloris & frigoris.
- 2 *Subiacentis fundamenti*, sic Relativa, quæ sunt contraria, sunt gratiâ qualitatis contraria.
- 3 *Producentis principii*, sic actiones & passiones habent contraria, vt calefactio & frigefactio contrariantur, quia calor & frigus, à quibus fluunt contrariantur.

SECT. 28.

De secundâ proprietate, & primò de intensione & remissione.

Notandum quod *Qualitatis* est duplex generatio & productio, altera, sc.
- 1 *Absoluta* & *positiva*, per quam ipsa qualitas dicitur *esse* postquam non fuerat, vt generatio caloris in aquâ, quæ est frigida.
- *Comparativa*, quâ major dicitur quam erat, idq; aut in
  - 1 *Aliâ subiecti parte*, quæ dicitur *extensio*, vt cum calor qui fuit in sola manu generatur in brachio.
  - 2 *Eâdem subiecti parte*, quæ dicitur ejus *intensio*, quæ est, quasi *intus tensio*, quia *intus* in eâdem subjecti parte augetur.

Intensio

Intensio itaq; est alteratio à minore Qualitatis gradu, ad maiorem: vt quando aqua tepida fit *excessivè* calida, tum dicitur esse *intensio* caloris; *remissio autem est alteratio, à maiore gradu ad minorem gradum;* vt cum aqua calida remota ab igne *minus calida* evadit, tum dicitur caloris *remissio.* vnde est eadem penitus comparatio *intensionis* & *remissionis* ad *qualitatem*, quæ est *augmentationis* & *diminutionis* ad *quantitatem:* sicut enim *augmentatio* est progressio à *minore* ad *maiorem* quantitatis magnitudinem: ita intensio est *progressio* à *minore* ad *maiorem* gradum qualitatis.

Nota quod aliqua qualitas habet duplices partes nimirum

1 *Extensivas*, secundum extensionem subjecti, & habet has à *Quantitate.*

2 *Intensivas*, sive graduales, quæ sunt nihil aliud quam aliæ partes ejusdem rationis in eadem parte subjecti, quibus illa qualitas fit fortior, vt cum ego meam manum igni admoveam, sentio calorem factum fortiorem; intellige hoc fieri per additionem alterius caloris, qui totius caloris pars *gradualis* dicitur, & has omnes ex *suâ naturâ* habet.

Est communis jam nostrorum *Philosophorum* sententia, quod omnis intensio & remissio, est gratiâ *contrarietatis*, quæ sententia procul dubio falsissima est, cum quædam intensionem recipiunt & remissionem, quæ nullum contrarium admittunt; & quæ habent contrarium, & remittuntur; non semper remittuntur per contrarium, vnde diligentissimè notandum est quod

Aliqua qualitas triplicitèr *remittitur*, aut

1 Per *admixtionem contrarii*, vt cum vnum contrariorum in subjectum alterius inducitur; sicut cum calor in aquam inducitur, paulatim *remittitur* frigiditas aquæ: & hic modus traditur ab *Aristotele:* 5°. Phys. text. 29.

2 Per *admixtionem privationis*, vt cum successivâ inductione privationis paulatim *remittitur* habitus, sicut lumen (quod nullum habet contrarium) *remittitur* per inductionem tenebrarum in aëre.

3 Per *determinationem formæ* illius subjecti in quo inhæret, vt siccitas in igne; calor in aëre naturaliter *remittitur*, vt *Aristoteles* docet lib. 2. de generatione, text. 23. cum tamen nec sit humor in igne, nec frigus in aëre, sed ideo sunt remissa, quia formæ substantiales aëris & ignis, tantum sibi gradum & non majorem determinant.

SECT. 29.

De distinctione huius proprietatis, quæ est, capere magis & minus.

Qualitas dicitur capere *magis & minus* dupliciter, vel.

1 Per *prædicationem*, quòd est *prædicari* istis adverbijs *magis & minus*, & sic est proprium *concretorum*, i. *qualium*, magis quam *qualitatum*; vt vnum corpus est magis *album* quam alterum.

2 Per *inhærentiam*, quod est capere plures aut paciores partes intensivas, & graduales in eodem subjecto, & hoc est proprium *abstractorum*, vt *albedo* dicitur *intendi* & *remitti*; album vero prædicari secundum *magis & minus*.

Nota igitur quod qualitas comparari potest dupliciter, vel ad

1 Subjectum *prædicationis*, i. inferius, vt albedo, ad hanc vel illam albedinem, & ita qualitas non prædicatur secundum *magis & minus*, quia vna albedo non est *magis* albedo quàm alia.

2 Subjectum *inhæsionis*, vt albedo ad *Socratem* aut parietem; & ita dicitur qualitas capere *magis & minus*, quia paries dicitur *magis* albus, quàm *Socrates*.

Dicitur aliquip *intendi* dupliciter, aut

1 *Materialiter*, vt subjectum quod intenditur per accidens, quia plures gradus alicujus qualitatis in se admittit.

2 *Formaliter*, vt terminus; sicut ipsa qualitas, quæ per se intenditur, quia plures gradus sui in se admittit, similis est etiam remissionis ratio.

Ob. Essentia rerum consistit in indivisibili, ergo qualitatis essentia non potest intendi aut remitti.

Sol. Essentia qualitatis est duplex, aut conflata

1 Ex partibus *diversarum* rationum, vt essentia albedinis sic est nihil aliud, quam definitio ex genere, & differentia constituta, & hæc in *indivisibili* consistit, & magis & minùs recipere non potest.

2 Ex partibus *eiusdem* rationis, quales sunt partes *graduales* formæ, quæ omnes ejusdem sunt speciei, & hanc non est inconveniens, *magis & minus* capere; cum omnis gradus albedinis est albedo, omnis gradus caloris, est calor, &c.

Ob.

Ob. Si Qualitas intendatur & remittatur per additionem & detractionem partium gradualium, tum ſunt plures gradus Qualitatis in eadem ſubjecti parte, & conſequenter ſunt plura accidentia ſolùm numero differentia, in eodem ſubjecto, contra *Ariſtotelem*: 5° lib. Metaph. text. 16. nam gradus càloris in aquâ differunt, aliter enim vnus non poteſt auferri, niſi omnes ſimul auferantur, at non genere, non ſpecie, ergo numero.

Sol. Illa propoſitio *Ariſtotelis* vera eſt in *realibus*, *abſolutis* & *perfectis*; falſa autem in *tribus*, in quibus patitur exceptionem,

nempè in
- 1 *Intentionalibus*, plures enim ſpecies vnius coloris ſunt ſimul in eadem parte aëris, & plures notiones ejuſdem rei in intellectu.
- 2 *Reſpectivis*, nam plures ſunt ſimul paternitates in eodem homine (vt diximus.)
- 3° *Imperfectis*, nam plura accidentia imperfecta, & plures gradus ejuſdem qualitatis, ſunt ſimul in eodem ſubjecto; quia & imperfectæ ſunt, & tantum partes ejuſdem qualitatis.

Eſſentia *qualitatis* capitur, aut pro qualitatis
- 1 *Definitione*, & ita eſt *invariabilis*, non admittens *magis* & *minus*.
- 2 *Integritate*, & (vt loquuntur) entitate, & ita habet *latitudinem*, & ſuſcipit *magis* & *minus*.

Ad *intentionem* requiruntur duo, nimirum alterum
- 1 Ex parte *qualitatis*, ſcilicet ejus *additio*, quòd qualitati præexiſtenti addatur alia ſimilis, vnde fiat major.
- 2 Ex parte *ſubiecti*, ſcilicet ejus *vnitas*, quòd illa Qualitatis additio, fiat in vnâ eâdemque parte ſubjecti, nam ſi in aliâ parte fiat, tum *extenſio*, non *intenſio* eſt dicenda.

Ob. Ex calido remiſſo fit magis calidum, nullo alio facto in materiâ calido, vt *Ariſtoteles* ait: 4° Phyſ. text. 84. ergo non intenditur per additionem gradualium partium (vt dictum eſt.)

Sol. Intelligit *Ariſtoteles*, quod fit magis calidum, nullo alio calido adveniente ab *externo*, & ab alio ſubjecto derivato; ſed ab *intrinſeco*, & potentiâ ſui ſubjecti; ſicut aqua calidior fit, non per *additionem caloris*, qui in alio ſubjecto prius fuit, ſed per *generationem* novi caloris in aquâ.

SECT. 30.

De expositione ipsius proprietatis.

Qualia suscipiunt magis & minus; vbi notandum quod *Aristoteles* hanc proprietatem proponit in *concreto*, non in *abstracto*, quoniam, ea in prædicamento suo, vt superiora ad sua inferiora referuntur, (si prædicatio spectetur) quomodo genus & species, quæ secundum *magis & minus* non prædicantur (vt docet *Porphyr.*) at (si spectetur inhærentia) *Abstracta* etiam *magis & minus* capiunt, sed hæc consideratio est magis *physica*, illa magis *Dialectica*: *Qualia*, i. denominativa, seu concreta Qualitatum, (suscipiunt magis & minus) non *subiectivè*, id enim solis substantijs convenit, sed *terminativè*, & *formaliter*, i. Qualitas est ipsa formâ. quæ intenditur & remittitur; vel (suscipiunt magis & minus,) i. prædicantur de subjectis *inhæsionis*, cum his adverbijs (magis & minus) hæcq; est magis *Dialectica* explicatio; vt vnus homo est magis justus: aut albus quam alius; hoc autem solis convenit qualitatibus *per se*; si vllis alijs convenit, vt relationi, passioni, omnibus his convenit *gratiâ Qualitatis*.

Ob. Qualia sunt quæ denominantur à qualitatibus, nam qualitas definitur esse per quam *quales* nominamur, at substantiæ nominantur à qualitatibus, vt *Socrates* sapiens, à sapientia, ergo substantiæ *quales* sunt, & ita capiunt *magis & minus*.

Sol. Qualia capiuntur, aut pro
1 *Denominativis* qualitatum, & ita capiunt *magis & minus*.
2 *Denominatis* qualitatum, & ita non capiunt *magis & minus*.

SECT. 31.

De tertiâ proprietate Qualitatis, & primò de distinctione similitudinis.

Similitudo duplex est, aut
1 *Complexa*, quæ est propositionum; quales extant multæ apud *Ciceronem* & alios, vt apud *Lucanum*.

Cæsaris an cursus vestræ sentire putatis
Damnum posse fugæ?
Veluti si cuncta minantur
Flumina (quos miscent pelago) subducere fontes:
Non magis ablatis, vnquam decreuerit æquor,
Quam nunc crescit aquis.

2 *Simplex*,

Simplex quæ vel est
- 1. *Essentialis*, quæ est *convenientia aliquorum in eadem tota essentia, parteve eius*: in quo sensu *Aristoteles* lib. 1. de gener. et corrup. textu 50. et 51: dicit agens et patiens esse *genere* similia, *specie* verò dissimilia.
- 1. *Accidentalis*, quæ est duplex,
  - 1, *Impropria*, quæ est *convenientia rerum in accidentibus aliorum prædicamentorum*: quomodo dicimus homines esse *similes* magnitudine, vel actionibus.
  - 2. *Propria*, quæ est *convenientia rerum in qualitate*, hæc etiam est duplex,
    - 1, *Imperfecta*, quæ est *convenientia rerum in eadem qualitatis specie*, non autem *gradu* qualitatis: quomodo aquam calidam dicimus similem in calore igni, licet calor ignis sit multò *intensior*.
    - 2. *Perfecta*, quæ est *convenientia rerum in eadem qualitate, & eodem qualitatis gradu*: sicut similes dicuntur duo ignes, quia non solùm eandem *speciem* caloris participant, sed etiam in eodem, scilicet, summo *gradu*.

SECT. 32.

De definitione similitudinis, expositione ejus proprietatis.

Similitudo definitur à *Philosophis*, *rerum diversarum eadem specie qualitas*: hæc definitio sicut definitio æqualitatis, est *materialis*, data per *fundamentum* similitudinis, et ita explicanda est.

Similitudo est qualitas, id est, convenientia in Qualitate ejusdem speciei, vt duo homines, qui ambo albi sunt, quia in albedine conveniunt, *similes* dicuntur.

Ob. Similitudo est Relatio, quia simile refertur ad simile, ergo non est qualitas, ergo hic malè definitur.

Sol. Respondeo illam prædicationem non *formalem* esse, sed *fundamentalem*, itaq; similitudo est qualitas in *fundamento*, non *formaliter*.

Similitudo convenit
1. *Intrinsecè*, & *per se* Qualitati tantum, cui *primò* & *per se* tanquam propria passio convenit, cum ab eâ *immediatè* tanquam a *fundamento*, & propriâ *causâ* profluit.
2. *Extrinsecè*, & *per accidens* cæteris rebus, in quibus inhærent ipsæ qualitates (per se & primò) similes; idem etiam de *dissimilitudine* dicendum.

Hæc proprietas potest dupliciter exponi, vel hoc modo; *est maximè proprium Qualitatis esse simile*, vel *dissimile*, scilicet *per se*, nam nihil est alteri simile vel dissimile *per se* nisi Qualitas; licet autem aliæ res *similes* aut *dissimiles* sunt; hoc tamen non est *per se*, sed *gratiâ qualitatis*: alio modo sic exponi potest (qui est *Aristoteli* convenientior) *maximè proprium est Qualitatis*, i. proprium Qualitatis quarto modo: *vt ex illa res dicantur (similes aut dissimiles)* tanquam ex *fundamento*, & *propriè*; nam res dicuntur similes aut dissimiles ab alijs accidentibus, sed hoc contingit *improprie*.

Ob. Res dicuntur similes aut dissimiles, à similitudine & dissimilitudine, quæ sunt Relationes, ergo non à solis Qualitatibus.

Sol. Res dicuntur similes vel
1. *Proximè* & *formaliter*, à similitudine.
2. *Remotè* & vt à *fundamento*, & sic à Qualitate solâ.

De Actione.

SECT. 1.

De prædicamento Actionis, *& primò de distinctione nominis ambigui,* (*Actionis.*)

Apud *Aristotelem* (Actio) sumitur quadruplicitèr, vel

1. Pro *humanâ actione solum*: Vbi (agere) est proprium hominis; Et nihil præter hominem (agere) dicitur.

2. Pro *actione immanente*, i. non transeunte in materiam exteriorem; quomodo contra (facere) distinguitur; vt sexto Ethicorum: Vbi actio sumitur pro illa operatione, postquam nullus effectus relinquitur.

3. Pro *ea post quam relinquitur effectus*; vt ædificatio domus.

4. Pro *forma fluente ab agente in passum*, i. pro actione *transeunte*, pro respectu agentis ad passum, & ita hic sumitur.

Aristoteles nobis proponit posteriora prædicamenta in *concreto*, non in *abstracto*, quia concreta sunt notiora *nobis*, abstractis.

Ratio quare *Aristoteles* sex vltima prædicamenta tractat tam breviter, est triplex, scil.

1. Quia (quod ad *Dialecticam* spectat) ea possumus ex prædictis prædicamentis colligere; sunt enim relationes ex illis consurgentes.

2. Quia copiosior tractatio ad *Physicam* pertinet.

3. Quia eorum naturæ contractæ sunt, nec tam latè patent.

SECT. 2.

De ordine huius prædicamenti.

Actio
- 1. *Sequitur qualitatem*, quia est ejus *effectus*; vt calefactio procedit à calore.
- 2. *Præcedit passionem*, quia est eâ *nobilior*; cætera verò *prædicamenta*, quia immediatè sequitur qualitatem.

SECT. 3.

De distinctione (Actionis) & eius explicatione.

(Actio) sumitur dupliciter, vel
- 1. *Materialiter*, & *absolutè*, pro formâ fluente ab agente in passum: sicut calor ab igne in aquam, fluens, ignis (actio) dicitur.
- 2. *Formaliter*, & *respectivè*, pro relatione ipsius agentis ad patiens, *fluxum* formæ consequente; ex inductione enim caloris in aquam per ignem, exoritur in igne calefaciente relatio ad aquam calefactam, quæ (Actio) dicitur.

Vnde diligentèr observandum, quod actio priori modo sumpta hoc non constituit prædicamentum; cum hac ratione *absolutum* quiddam est, & non *relatio*; sed actio *formaliter* sumpta, pro relatione agentis ad passum est summum genus hujus prædicamenti: quicquid balbutivit *Toletus*, & *Thomistæ* somniant; nec intolerabile & indignum est *Peripatetico* (vt ille ait.) quod autem *Aristotelem* ait 3. *Physicorum* hanc tradidisse opinionem, actionem & passionem *formaliter* esse motum, *formaliter mentitur*; nec enim aliquid tale vnquam dixit, aut insinuavit, vt legenti patet; dixit quidem ipse in 22. tex. lib. 3. *Physicorum*; *quod actio & passio sunt in vno motu*; sed illud intelligendum est *terminativè*; quia sunt in motu sicut *termini* motus, non *inhæsivè*, quasi in eo essent vt in *subiecto*.

SECT. 4.

SECT. 4.

De definitione actionis in prima acceptione.

Actio est forma fluens ab agente in passum: sicut calor fluens, continuò in aquam ex igne, (actio) ignis dicitur: sed hic diligenter cavendum est, ne existimes eundem calorem *numero*, qui erat in igne, provenire in aquam: vel aliquam aliam formam quæ inhærebat agenti, posteà inhærere in passo: nam tum migraret accidens à subjecto in subjectum: sed aliam formam in patiente produci: verb. gr. ignis agens in aquam, non suum aquæ immittit calorem, sed calor qui est in igne, generat *alium* calorem sibi similem in aquâ: dicitur ergo profluere ab agente, non tanquam â *subiecto*, quia illa forma nunquam inhærebat agenti, sed tanquam â *principio*, et *efficiente causâ*. hanc definitionem igitur ita intelligite: (actio est forma fluens) continuâ successione inducta (ab agente) tanquam à *principio* (in passum) tanquam in *subiectum* et *terminum*.

Vnde notandum est quod hâc ratione, idem (secundùm *Thomistas*) et actio, et passio, et motus esse potest; nam si ipsa forma fluens *absolutè* consideretur, vt in fluxu posita, sine respectu ad agens aut patiens, sic *motus*; si autem eadem forma vt ab agente profluit; sic *actio* dicitur; si autem vt in patiens recipitur, sic dicitur *passio*.

SECT. 5.

De definitione actionis in secunda acceptione.

Actio sumpta pro relatione agentis ad passum sic definiri potest; *Actio est secundùm quam aliquid dicitur formaliter, & proximè agere in id quod subiicitur*: quod ita intelligite, (actio est) forma accidentalis, eaque comparata (secundùm quam formaliter et proximè) dicitur (proximè et formalitèr,) ad excludendam formam agentis, et naturalem potentiam, et qualitatem, secundùm quas agit

effectivè, ſicut ignis ſecundùm formam ſuam, & calorem, & potentiam calefaciendi dicitur calefacere, at iſtæ ſunt *efficientes cauſæ* omnis calefaciendi, ipſa verò calefactio ſolùm *formaliter* denominat ſubjectum ſuum calefacere & immediatè (in id quod ſubjicitur) non ſecundùm locum, nam illud non eſt neceſſarium, ſed ſecundùm virtutem, i. quod eſt minoris virtutis in reſiſtendo, quàm ſit agens in agendo: nam ſi non poſsit reſiſtere actioni agentis, tum neceſſariò eam recipit.

SECT. 6.

Quot modis res agere dicitur?

Vt melius intelligas illam definitionem, animadvertendum, quod quatuor modis agere res dicuntur.

aut ſcil.
- 1. *Remotè* ſecundùm *formam*; quæ eſt principium *remotum*, & *originale* actionis.
- 2. *Immediatè*, ſecundùm *potentiam agendi*, quæ eſt *propinquum* ejus principium: ſic calefactionis aquæ ab igne, *remota* cauſa eſt *forma* ignis, *propinqua* cauſa eſt *potentia* calefaciendi.
- 1. *Effectivè*, idq; duplicitèr
- 2. *Directivè*, & *diſpoſitivè* ſecundùm artem.
- 3. *Inſtrumentaliter*, & per inſtrumentum, idq; duplex, vel
  - 1. *Coniunctum*, & *inhærens*, vt ignis per calorem.
  - 2. *Diſiunctum*, & *ſeparatum*, vt homo per ſecurim,
- 4. *Formaliter* ſecundùm ipſam *actionem* ſolum; & ſic ibi intelligitur.

Vnde *principium* agendi agentis *forma* eſt; *inſtrumentum* agendi *qualitas* eſt; *forma* agendi *actio* eſt; *obiectum* agendi *patiens*: forma *principium* eſt quia ab ea primò *fluit* actio; qualitas *inſtrumentum*; quia ea vtente forma, *perficitur* actio; patiens *obiectũ*, quia circa ipſũ *verſatur* actio; & *terminus* quia propter ipſum *intenditur* actio (vt alibi dictum eſt) quod relatiuum eſt *terminus* relationis, ſiue correlatiui, agens autem, & patiens correlatiua ſunt, ſic quod actio eſt *relatio qua agens ad paſſum*: paſſio, *relatio qua patiens ad agens refertur*.

SECT. 7.

SECT. 7.

De iis quæ necessariò requiruntur ad actionem.

Ad actionem multa requiruntur, alia

ex parte
- 1. *Agentis*, tum quidem
  - 1. *Ipsum agens*, quod est *subiectum* actionis.
  - 2. *Potentia agendi*, quæ est *principium* actionis.
  - 3. *Qualitas quæ agit*; quæ est *instrumentum* actionis.
- 2. *Patientis* tum quidem
  - 1. *Passum ipsum*, quod est *obiectum* actionis.
  - 2. *Potentia patiendi*, quæ est *aptitudo* recipiendi formam immissam ab agente.
  - 3. *Motus*, qui est *via* actionis.
  - 4. *Forma ab agente inducta*, quæ est *terminus* actionis; ob hoc enim aliquid agit, vt aliquam inducat formam in patiens.

Nota quod *terminus* Actionis est duplex, sc.
- 1. *Materialis*, cui inhæret forma fluens, & hic terminus est *patiens*, ut aqua.
- 2. *Formalis*, quo perficitur forma fluens, & hic est *inducta forma* in patiens; vt calor in aquam.

Sic in calefactione aquæ ab igne, omnia hæc obseruare potes, *agens* est ipse ignis, qui est *subiectum* actiuæ calefactionis, in quo requiritur *potentia* calefaciendi aquam; nam aliter nunquam calefacit: & *qualitas alia actiua*, quâ agit, sc. calor: sic ex parte patientis aquæ; ipsum *patiens* quod sc. patitur actionem ignis, aqua est, in qua requiritur potentia passiua (nam aliter nunquam calefiet;) & *motus*, vt calefactio sc. alteratio ad calorem; (nam aliter nunquam induceretur calor;) & *forma* inducta sc. calor, qui sequitur calefactionem; qui est *terminus*, & motus & actionis, atque nisi hæc omnia concurrant non potest esse aliqua actio.

SECT. 8.

De ratione distinguendi Actionem, Passionem, & Motum.

Quia eadem ferè nomina (apud *Philosophos* imponuntur *actioni*; & *passioni*; & *motui*; vt generatio *actio* est, *passio* est, *motus* est: sic *calefactio*, & quæcunq; ferè nomina quæ vnum eorum videntur significare: ideo notandum quod (vt verb. gr.) generatio vel talis aliquis terminus; tripliciter capi potest; nempe aut pro *inductione formæ* in patiens; & sic est *motus*; aut pro *relatione generantis ad generatum*, et sic est *actio*; aut pro *relatione generati ad generans*; & sic est *passio*; sic calefactio pro *inductione*, sive *fluxu caloris* ab agente ad patiens; et sic est *motus*: aut pro *relatione* calefacientis, et sic est actio, aut pro *relatione calefacti*, et sic est *passio*: ex nomine etiam alia potest addi distinctionis ratio: nam talia nomina *absolutè* posita *motum* significant; at *coniuncta cum his adiectis* (activum, et passivum) *actionem* et *passionem*; sic generatio nomen *motus* est: generatio *activa*, *actionis* nomen: generatio *passiva*, *passionis* nomen: generatio enim *activa* est, quâ quis *generat*: *passiva*, quâ quis *generatur*: similiter dicendum de alteratione, augmentatione, et similibus omnibus.

SECT. 9.

De Subiecto Actionis.

Illud à *Philosophis* in ancipitem quæstionem conversum est, quod tamen nullius est difficultatis: *Aristoteles* in 3. lib. Physicorum, tex. 19: affirmat actionem esse in *patiente*.

Ob. Vnde sequeretur quod accidens vnius subjecti, sc. patientis denominat aliud sc. agens

Sol. Ad quod ex antedicta distinctione respondeo, quod si actio sumatur pro formâ *fluente* ab agente in passum: sic verum est actionem esse in patiente solum, vt in *subiecto*, in agente autem solùm vt in *principio*: nam iste calor qui fluit ab igne in aquam, non est in igne, vt in *subiecto*;

subiecto: nam calor ignis in igne manet, & non fluit, sed est in aquâ calefactâ, sicut in *subiecto:* in igne tamen vt in *principio*, in aquâ per *inhærentiam*, sicut ejus *actus*; in igne per *efficaciam*, & *dependentiam*, tanquam ejus *effectus*; in aquâ in quantum illud *suscipit*, in igne in quantum ipsum *producit*: at si actio capiatur pro *relatione agentis ad passum*, tum (sine dubio) actio est in *agente*, non in *patiente: Aristoteles* autem 3°. Physicorum priori modo ipsam sumebat.

SECT. 10.

De divisione Actionis.

Actio multiplicitèr dividi potest, sed quòd ad hoc propositum spectat, paucæ divisiones sufficiunt: actio itaque primò dividitur ratione *principii*; quòd alia actio

est
- 1 *Immanens*, quæ est illa, quæ *in agente manet, & non transit in aliquod exterius patiens*; sicut est intellectio in homine, quæ manet in homine, ideòque *immanens* dicitur: & hujus actionis idem est *principium*, & *subiectum*, & illi *inhæret*, à quo producitur.
- 2 *Transiens*, estque ea *quæ ab agente in externam aliquam materiam transit & fluit:* vt calefactio quæ transit ab igne in aquam, & hujus actionis principium, à subjecto semper distinguitur.

Actio *immanens* est nullo modo in hoc prædicamento, sed est in eodem prædicamento cum principio, i. in prædicamento qualitatis, vt intellectio in eadem specie cum potentiâ intellectivâ, & velle cum voluntate; non tamen *directè*, sed *indirectè*, & *reductivè*, vt *effectus* in prædicamento cum suâ *causâ*; Actio tamen transiens est *directè* in hoc prædicamento, capiendo eam, non pro forma fluente ab agente in passum, nam sic est *absolutum*, non *relativum*, sed pro *relatione* consurgente, ex illo fluxu formæ in passum; hæc autem divisio est distributio *æquivoci*, in *æquivocata*. Alio modo dividi potest actio quòd

Alia Actio est
- 1 *Corporis*, quæ est omnis illa quæ ab anima non profluit; quæ aut est simplicium; aut mistorum.

2 *Animæ*; quæ est illa cujus principium est anima; sicut est animæ *rationalis* iudicare, *sensitivæ* sentire; *vegetativæ* nutrire.

Alia actio est vel
1 *Supernaturalis*, vt Creatio *Dei*.
2 *Naturalis*, vt calefactio *ignis*.
3 *Voluntaria*, vt speculatio *hominis*.

Cavendum est tamen ne putemus omnia verba *activa* significare actionem; multa enim verba sunt *activa* quæ passionem significant; vt videre, audire, sentire, intelligere, sentiendo enim aut intelligendo non *agimus* aliquid, sed *patimur*; multa etiam verba passiva sunt quæ significant actionem, vt videri; sentiri; intelligi; res enim dum sentiuntur, aut intelliguntur, *agunt* in nostrum sensum, vel intellectum, non è contrà.

SECT. II.

Dubitationum caput, contra ea quæ dicta sunt de Actione.

Ob. Si prior definitio recte statuatur, tum qualitas actio esset; nam calor qui fluit ab igne in aquam est qualitas tertiæ speciei; nam ferit sensum, ergo non est actio.

Calor inductus in aquam consideratur, aut
1 *In successione*, vt *fluit* & *inducitur* in aquam, & ita non est *qualitas*, sed *actio*; quia qualitas *fluens*, non est qualitas.
2 *In quiete*; vt *permanet* & *inhæret*, post influxum, & ita non est *actio*, sed *qualitas*; si enim consideretur in *fluxu*, denominat *subiectum calefieri*, si respiciatur in *statu* denominat ipsum *calidum*.

Ob. Agit ignis per calorem suum, nec tamen est calor, actio; ergo actio malè definitur esse formam per quam agimus.

Sol. Agere quidem dicitur per calorem sed *effectivè*, quia est *instrumentum* efficiens actionem; at per calefactionem *formaliter* dicitur calefacere.

Ob. Ferrum candens simul agit in frigidam aquam (si imponatur) eam calefaciendo; & aqua in ferrum ipsum refrigerando; si itaque id quod patitur, sit minoris virtutis quam agens, tum fit actio reciprocans, & aquâ ferro, & ferrum aquâ, minoris erit virtutis.

Sol. Non est inconveniens, vt idem vt est agens & tribuens formam esse *maioris*, & *nobilioris* virtutis; & patiens & recipiens formam *ignobilioris*,

ignobilioris, & *minoris* virtutis; cum illud ſecundum *diverſam* rationem fiat, *nam agens* (inquit *Ariſtoteles*) *eſt paſſo præſtantius*, agens enim, (vt agens) eſt actus inducendi formã, patiens autem (vt patiens) potentiâ accipiendi formam.

Ob. Si actio ſit per ſe in hoc prædicamento, ſumpta pro relatione, tum nec actio *immanens*, quia conceſſum eſt illam eſſe in prædicamento *Qualitatis*; nec actio *tranſiens*, tum quia illa eſt quiddam *abſolutum*, tum quia fluit ab agente in paſſum, at ſumpta pro *relatione* manet in agente, (vt dictum eſt) ergo, eſt aliqua actio nec *immanens* nec *tranſiens*, quæ eſt hujus prædicamenti.

Actio *tranſiens* eſt duplex,
- 1 *Abſoluta*, quæ eſt forma fluens ab agente in paſſum: hæc (meâ opinione) non eſt niſi *reductivè* in hoc prædicamento, ſicut cauſa eius.
- 2 *Reſpectiva*, quæ eſt relatio conſurgens ex formæ fluxu ab agente in paſſum, & ita eſt hujus prædicamenti *per ſe*, & ſic poteſt exponi definitio actionis; quòd ſit *forma fluens ab agente in paſſum*: i. *relatio* ex formâ fluente ab agente in paſſum, eſt enim *cauſalis* definitio.

SECT. 12.

De Proprietatibus actionis; & primò de prima Proprietate, & eius explicatione.

Prima proprietas Actionis eſt, quòd *actio habet contraria.*

Vbi primò eſt obſervandum, quòd omnes illæ proprietates traduntur de actionibus *tranſeuntibus*, non *immanentibus*, nam illæ, vt dixi, non ſunt hujus prædicamenti, ſed in prædicamento qualitatis *reductivè* inveniuntur.

2° Notandum quòd cùm dicitur *actionem habere contraria*, non intelligas actionem eſſe contrariam *paſſioni*, vt quòd calefactio activa ignis ſit contraria calefactioni aquæ paſſivæ, nam actio opponitur paſsioni, non *contrariè*, ſed *relativè*, ſed actio eſt contraria alteri *actioni*, vt calefactio frigefactioni; quia, ſc. ex contrarijs qualitatibus calore, & frigore proveniunt, nam cum tribus modis res (gratiâ qualitatis) contrariæ ſunt; aut gratiâ *formæ*, ſicut differentiæ; aut gratiâ *fundamenti*, vt relativa, aut gratiâ *efficientis principii*; hoc *vltimo* modo actiones, aut paſſiones ſunt contrariæ, gratiâ qualitatum; nam

ideo dicuntur aliquæ *actiones*, & *passiones* contrariæ, quia à contrarijs *qualitatibus* proveniunt: vt calefactio procedit à calore, frigefactio à frigore; quia igitur frigus & calor sunt contraria, ideo etiam calefactio, & frigefactio: idem dicendum est de albefactione, & nigrefactione & quibuslibet similibus.

Quod si velis cognoscere, num aliquæ propositæ actiones contrariæ sunt, animadverte qualitates à quibus profluunt: & si qualitates invenias contrarias, idem respondendum de actionibus: quòd si qualitates non sunt, nec actiones erunt; *actio itaq; habet contrarium*, i. actionem sibi contrariam; non *per se*, sed *gratiâ qualitatis*: hoc autem nullo modo proprium est; quia non omni convenit, sed illis solis quæ à contrarijs qualitatibus oriuntur; nec illis solis quia etiam relativis, & passioni convenit.

Actiones dicantur *contrariæ* gratiâ *qualitatis* dupliciter, vel vt gratiâ
- 1 *Principii*, quia à contrarijs qualitatibus promanant.
- 2 *Termini*, quia ad contrarias qualitates producendas tendunt, ut calefactio & frigefactio dicuntur contrariæ, non solùm quia à calore, & frigore proveniunt, sed etiam quia calorem, & frigus producunt.

SECT. 13.

De secunda actionis communitate, & eius explicatione.

Secunda Actionis communitas est, *quòd suscipit magis & minus*; quæ eodem modo actioni convenit, atque prior; nec soli, nec omni; sed illi solum cujus *fundamentum* suscipit *magis & minus*, i. illis, quæ ab istis proveniunt qualitatibus, quæ qualitates *magis & minus* suscipiunt; sicut calefactio ignis, est intensior, quam calefactio aquæ calidæ, quia calor ignis est intensior calore aquæ.

SECT. 14.

De tertiâ Actionis proprietate, & eius explicatione.

Tertia Actionis proprietas, hæc à quibusdam assignatur; quòd *omnis actio est in motu; vel omnis actio est cum motu*: quod intelligendum est de actione *transeunte*: nam omnis actio *immanens* est sine motu; vt intellectio, &c. & convenit secundo modo proprij, omni, non soli: nam convenit etiam passioni, nam actionem & passionem inesse in motu:

motu affirmat *Aristoteles*, Phys. text. 22.

Ob. Actio est in agente, nam ipsum denominat, ergo non est in motu.

Sol. Actio est
1 *Effectivè*, in agente, vt in principio.
2 *Terminativè*, in motu, i. non vt accidens in subjecto, sed vt *terminus* in terminato: nam actio terminus est à quo, passio est terminus ad quem, ipsius motus.

Ob. *Aristoteles* 5° Phys. text. 10. negat motum aliquem esse ad passionem; ergo passio non est terminus ad quem motus.

Sol. Motus consideratur dupliciter, scil.
1 *Absolutè*, & *per se*, & sic motus non est ad passionem.
2 *Comparatè*, vt conjungitur cum *actione*, & sic est motus ad passionem.

SECT. 15.

De quarta proprietate Actionis & eius explicatione.

Actio infert passionem per motum: quod etiam convenit soli actioni *transeunti*, & falsa est illa propositio, si *simpliciter* exponatur; nam actio sumitur, aut pro *forma* fluente ab agente in passum, & sic est *motus*, & consequenter non infert passionem per motum; aut pro *relatione* agentis, & sic non potest inferre, tum quia est simul cum passione, tum quia motum consequitur, nam nisi motus prior fuerit, talis relatio nunquam consurgit: sed est ita explicanda, Actio secundum *fundamentum suum*, infert passionem, fundamentum autem actionis est *potentia activa*, i. *potentia activa per motum infert passionem illi, in quod agit.*

Finis Prædicamenti Actionis.

De Paſsione

SECT. 1.

De Prædicamento Paſſionis, & primò de Diſtinctione ambigui nominis.

Paſſio capitur apud *Dialecticos* dupliciter,

vel
- 1 *Abſolutè*, idque tripliciter, aut ſcil.
  - 1 Pro *propriâ Paſſione*, ex eſſentialibus rei principijs promanante, & ſic de ea tractat *Porphyrius*.
  - 2 Pro *ſubito quodam*, & *interno affectu ipſius animi*; ſic iram, metum, & iracundiam *Paſſiones* dicimus, & ita ſunt in primâ ſpecie qualitatis; & ita ſumitur Paſſio ab *Ariſtotele* 2° Ethicorum cap. 5.
  - 3 Pro *fluxu quodam*, & *externo affectu corporis imprimente ſenſibus Paſſionem*; & ab interno mentis affectu procedente, & cito profluente: ſicut rubor, ex verecundia; pallor ex metu paſſiones dicuntur: & ita ad tertiam ſpeciem qualitatis pertinet.
- 2 *Comparatè* { Pro *reſpectu patientis ad agens*, & ita ad hoc prædicamentum ſpectat.

Sicut autem de Actione dictum eſt, ita etiam de Paſſione dicendum; quod ſumitur Paſſio.

aut
- 1 *Abſolutè*, & quaſi *materialiter* pro *forma fluente ab agente in paſſum*; & ſic (quicquid dicat *Tolletus*) hic non ſumitur.
- 2 *Comparatè*, & quaſi *formaliter*, pro *relatione patientis ad agens*, & ita ſumitur hoc loco.

SECT. 2.

De definitione Paſſionis, à Porretano *aſſignata.*

Definire ſolent cum *Porretano Dialectici* Paſſionem, eſſe *effectum*

&

& illationem actionis; quæ definitio (meo judicio) ſi accuratius conſideretur, falſa eſt, & manca: nam ſi paſſio ſumatur pro *relatione patientis, ad agens*, certum eſt hoc modo, actionem & paſſionem, *ſimul eſſe natura*, ſicut agens & patiens: nam patiens eſt *ſimul* cum agente, ergo & paſſio eſt *ſimul* cum agente; niſi quis dicat *patiens* eſſe priuſquam habet paſſionem; (quod ridiculum eſt) ſi autem ſit *ſimul* cum agente, paſſio ergo ſimul eſt cũ actione: nec enim actio prior eſt aut poſterior agente; ſi autẽ ſumatur pro *formæ receptione*, aut *ipſa formâ fluente* (ſicut *Tolletus* & *Thomiſtæ* accipiunt) in graviorem errorem incidere neceſſe eſt; nam quomodo poteſt forma fluens, quæ eſt actio, eſſe prior receptione formæ, quæ ſecundũ eos eſt paſſio? nam quamprimùm illa forma fluens eſt, in aliquo ſubjecto eſt: non autem eſt in agente, (vt omnes fatentur) in patiente ergo eſſe neceſſe eſt ineſſe; at non poteſt eſſe forma *fluens* in patiente, priuſquam patiens ipſum accipiat: ergo quamprimùm eſt forma fluens accipit eam patiens; & ſic forma fluens receptione non erit prior, neceſſe eſt ergo (ſi velimus iſtam definitionem defendere) quòd dicamus actionem ſecundum *fundamentum* ſuum eſſe cauſam paſſionis, fundamentum enim actionis, eſt *potentia paſſiva*, illam autem paſſione priorem eſſe minimè dubium eſt.

Ob. Sed hæc reſponſio ſuam difficultatem habet; nam nõ ſolùm paſſio, ſed etiam actio, & motus, ſunt effectus potentiæ *activæ*: ergo aut reſponſio mala eſt; aut definitio ſoli non convenit definito; nec ſanè illam objectionem de motu, (quod adhuc nemo *Dialecticorum* animadvertit) minus *Tolletum* vrget, quàm nos: nam motus tam eſt effectus actionis, quam paſſio: vnde in illa reſponſione neceſſe eſt, vt fateantur *Thomiſtæ*, ſeſe errare, affirmantes (vt qualitatem ab agente inductam excludant,) non ſolum paſſionem eſſe effectum *actionis*, ſed ſolam paſſionem eſſe immediatum effectum *actionis*: nam ſi actio inferat paſſionem per motum; certum eſt aut motum priorem eſſe, aut ſimul (ad minimum) cum paſſione, nec eſt poſſibile imaginari, quomodo aqua patitur calefactionem ab igne, priuſquam ſit aliqua alteratio, i. aliquis motus in aqua; alius itaq; modus reſpondendi excogitandus eſt.

Sol. Eſt itaque duplex *effectus* potentiæ *activæ*, primus *Internus* agenti, & ille eſt *actio*, ſecundus *externus* agenti, qui eſt in patiente, &

hic eſt triplex,
1 *Motus*, qui eſt *fundamentum* paſſionis, & *via* ad inductam qualitatem.
2 *Paſſio*, quæ eſt *terminus* ipſius actionis.
3 *Qualitas inducta*, quæ eſt *terminus* motus.

Actio

Actio itaque *effectus* est *activæ* potentiæ, sed agenti *internus*. Respondeo, ergo, passionem esse effectum *exteriorem*, vt ab actione sejungatur: at qualitas inducta est effectus *exterior*, sed est effectus *mediatus*, & *remotus*: Adde ergo quod sit effectus *immediatus*: at immediatus effectus & agenti externus motus est: actio itaque est *effectus* potentiæ *activæ*, sed agenti *internus*, inducta qualitas *externus*, sed tamen *remotus*; motus *proximus*, sed *absolutus*; sola passio est *externus*, *propinus* & *respectivus* effectus potentiæ *activæ*. Aliter Respondeo solam passionem esse effectum potentiæ *activæ terminantem* actionem: nam qualitas quidem est *effectus*, sed per se *terminans* motum, motus item *effectus* est per se *terminans* potentiam activam, sola *passio* effectus *terminans* actionem: vide quantum laboris habet annexum aliorum errores defendendi voluntas; melius itaque est hanc definitionem contemnere quam tam multiplicibus distinctionibus defendendam suscipere.

SECT. 3.

De alia passionis definitione; & eius explicatione.

Facilior itaque passionis definitio hic traditur, *Passio est secundum quam subiectum dicitur pati*; quam ita explica: *Passio* est relatio *extrinsecùs* adveniens, *secundum quam* formaliter *subiectum*, in quo inhæret *denominatur pati*, scil. *actu*, nam denominatur posse pati à *potentiâ* passivâ, i. potentiâ recipiendi passionem quæ est passionum fundamentum, nec hoc repugnat illi (quod modo dictum est) motum esse fundamentum passionis, nam

in *Passione* considerantur duo
- 1 *Illatio* ejus, quæ est per *motum*, & quantum ad hanc, *motus* est eius fundamentum.
- 2 *Receptio* ejus, quæ est per *potentiam passivam*, & quantum ad hanc, *potentia passiva* est ejus fundamentum.

Hic autem observandum, quod actio & passio tripliciter conveniunt,
- 1 *Principii*, quod est ejus potentia *activa*: nam ab ea tum actio in *eodem*, tum passio in *externo* subjecto (mediante motu) profluit.

2 *Materiæ*

aut ex parte
- 2. *Materia*, nam eadem forma fluens ab agente in passum, est materia tum actionis, tum passionis.
- 3. *Medii*, nam idem motus medium est per quod tum actio in agente, tum passio in patiente consurgit.

Item passio ex parte *illationis* triplex habet *principium*
- 1. *Remotum*, quod est ipsum *agens*.
- 2. *Propinquum*, quod est potentia *passiva*.
- 3. *Proximum*, quod est *prius* fundamentum (modo medium diximus) quod est *motus*, sicut calefactio *passiva* aquæ provenit *immediatè* ab alteratione frigiditatis ad calorem; *mediatè* ex potentia calefaciendi ignis; *remotè* verò ab ipso igne, qui est tum motus ipsius *principium*, tum potentiæ activæ *subiectum*; his verò adde aliud principium ex parte *receptionis*, scilicet potentiam *passivam*.

Hic etiam animadverte, quod non omne verbū passivum (apud *Grammaticos*) significat passionem (apud *Dialecticos*,) vt audior, videor, passiones non significant, sed actiones; quia dum audimur, & videmur, aliorum oculis, & auribus inferimus passionem.

SECT. 4.

De divisione Passionis.

Eodem modo passio, quo Actio dividenda est, adhuc tamen nota quod

Passio est duplex, alia
- 1. *Perfectiva*, quâ aliquid patiendo id recipit quod se magis *perfectum* reddit, qualis est passio hominis frigidi, dum ab igne caleficit.
- 2. *Corruptiva*, quâ aliquid patiendo id suscipit, quod in suam *perniciem* tendit, sicut est passio calefactionis, aquæ ab igne.

Ob. Actio & passio, motus sunt, secundum *Aristotelem* 3. lib. Phys. text. 19 ergo non sunt relationes.

Sol. Illa propositio non est intelligenda in *recto*, sed in *obliquo*, hoc modo; *actio, & passio sunt in motu*; aliquos tamen hic observa egregiè *Aristotelem* fuisse mentitos; nescio an magis *casu*, an *consilio* factum est; affirmantes *Aristotelem*, actionem, & passionem, unum & eundem numero motum appellasse.

Actio, passio, & motus, capiuntur duplicitèr,

1. *Materialitèr*, & sic actio, passio, & motus; idem sunt penitus, nam omnes *formam fluentem* significant *ab agente in passum*, & sic concedi potest esse motum, & eundem motum.

2. *Formalitèr*, & sic penitus distinguũtur, nam motus *formalitèr* significat *fluxum formæ ab agente in passum*; actio *relationem agentis ad patiens*; passio, *relationem patientis ad agens*; ambæ consequentes fluxum formæ.

SECT. 5.

De proprietatibus ipsius passionis.

Proprietates passionis istæ sunt: 1. *Passio habet contraria.* 2. *Passio suscipit magis & minus*; & has eodem modo explica sicut de actione sunt expositæ. 3. est quod *passio* est *actionis terminus*; i. (vt ego explico) *terminus relationis eius*; alii intelligunt de termino *operationis*, quia passio producitur per actionem, sed hoc est ad sententiam *Porretani* iterum recurrere, quod supra rejicimus; est autem passionis triplex terminus, sc. terminus *intensionis*, terminus *operationis*, & terminus *relationis*, i. terminus intensionis *agentis*, operationis potentiæ *activæ*, relationis ipsius *actionis*; nam agens primo *intendit*; potentia activa primò *operatur*; actio autem primò *respicit* ad ipsam passionem.

Quarta proprietas assignatur à quibusdam, *quod passio inferatur ab agente per motum*; sed hæc non distinguitur à quartâ proprietate Actionis, (quam supra explicavimus.)

Hæc de prædicamento Passionis.

De

De Vbi.

SECT. 1.

*De Prædicamento (*Vbi*) & primò de eius distinctione.*

(Vbi) tripliciter capitur, sc.

1. *Interrogativè*, vt Vbi est *Petrus*?
2. *Relativè*, vt *Petrus* est vbi *Socrates* legit.
3. *Indefinitè* pro formâ secundùm quam aliquod corpus dicitur (esse in loco) & sic hic capitur.

Aliquid est in loco tripliciter sc.

1. *Repletivè*, quod scilicet, omnem locum *replet* sua essentia & virtute, & ita *Deus* solus est in loco.

2. *Definitivè*, quod ita ad certum aliquem locum determinatur; vt dum in hoc sit, in alio esse non potest, & sic omnes substantiæ (præter Deum) sive *corporeæ*, vt homines, sive *incorporeæ*, vt Angeli sunt in loco.

3. *Circumscriptivè*, quod sc. loco circumscribitur, & ambitur; & hoc modo solum *corpora* (in loco) sunt, nam *incorporeæ* substantiæ circumscribi non possunt; cùm nullam habent quantitatem; sed sunt penitus *indivisibiles*; sic quod *corpora* solum sunt *circumscriptivè* in loco, propter *terminationem quantitatis*; *incorporeæ* substantiæ *definitivè*, propter *terminationem virtutis*; Deus solus *repletive*, propter *infinitatem virtutis* & essentiæ: nec tamen confunditur secundus modus cum tertio: nam licet omne quod sit *circumscriptivè*, sit *definitivè* etiam in loco; hoc tamen illi contingit diverso modo, nam dicitur (definiri loco) quia finitam habet virtutem, dicitur etiam (circumscribi loco) quia finitam habet quantitatem.

SECT. 2.

De differentia inter locum & Vbi.

Quidam sunt *Philosophorum*, qui locum retulerunt ad prædicamentum *Vbi*, sed isti errant, non enim est *Vbi* locus, sed est *relatio ipsius loci*, ad locatum: sic quod *Vbi* est quiddam consequens ipsum locum & effectus ejus, nam cùm in aliquo loco corpus locatum fuerit ; tum inter locum, & tale corpus consurgit quædam relatio, quæ dicitur *Vbi*.

Distinguitur locus ab *Vbi*, multipliciter, tum ex parte
1. *Naturæ*, quia locus est quiddam *absolutum*, *Vbi respectivum*.
2. *Habitudinis* ad se invicem, quia locus est *fundamentum*, & *principium*, *Vbi* autem *effectus* loci.
3. *Subiecti*, quia (locus) est in *locante*, (Vbi) in *locato*.
4. *Modi terminandi motum*; quia (Vbi) terminus est *internus* motus localis; locus autem est *externus*.

SECT. 3.

De definitione ipsius Vbi.

Si *Vbi* in genere definire velis, ita brevitèr definiri potest; (Vbi) *est relatio corporis locati ad locum*; nam quod ad communem definitionem attinet (quàm circumferunt *Dialectici*, & quam modo explicabo) non convenit *Vbi* in *genere*, sed *Vbi*, *composito* solùm.

SECT. 4.

De divisione Vbi, & eius explicatione facillima.

Vbi dividitur in { Vbi *simplex* & *Compositum*.

Ad quam divisionem intelligendam : observandum est quòd talis divisio

diuisio non traditur ex parte *locati*, (vt nostri recentiores *Dialectici* existimant) quod (Vbi) *compositum* est relatio loci ad comprehensum corpus: *simplex* verò ad incorpoream substantiam; sed traditur illa diuisio potius ex parte *loci*, vnde nota quod

duplex est locus, alius dicitur

1. *Simplex*; locum simplicem appello (cum *Porretano*) centrum mundi, qui etiam locus *situans* dicitur; simplex, propter *indiuisibilitatem*, quia punctum est; *situans* propter *officium*, quia per ipsum cognoscitur situs omnium corporum.

2. *Compositus*; Locum compositum dico superficiem corporis continentis, de quo supra dictum est; qui etiam locus *ambiens* nominatur; locus nominatur *compositus* propter *naturam*, quia est qualitas; *ambiens* propter *actum*, & *officium*, quia corpus comprehendit.

Sicut locus; *Vbi* etiam est duplex, sc.

1. *Simplex*, estq; *relatio loci simplicis ad corpus*, vel *Vbi simplex est situs corporis in mundo.*

2. *Compositum*, estq; *relatio loci simplicis ad corpus*, vel (Vbi) *compositum* est *circumscriptio alicuius corporis in loco*: vnde ista non dissentiunt ex parte *termini ad quem* sunt, i. ex parte *locati*, sed ex parte *principii à quo* sunt, i. ex parte *loci*.

SECT. 5.

De definitione Vbi simplicis, *& eius explicatione.*

(Vbi) *simplex*, est *distantia alicuius corporis à centro mundi*, quæ distantia (sicut supra dictum est de tempore) *subiectivè* in mundo est, ideoq; est immobilis sicut mundus est, est autem *obiectivè* in ipso locato; *effectivè* verò in ipso simplici loco, propriè enim loquendo, profluit à *centro* tanquam â *principio*, inhæret in *mundo* tanquam in *subiecto*: terminatur autem ad *locatum* aliquod corpus, vt ad *obiectum*.

SECT. 6.

De definitione Vbi *compositi, & eius explicatione.*

(Vbi) *compositum* est *circumscriptio locati corporis à circumscriptione loci proveniens*; ad quam definitionem intelligendam, nota, quod circumscriptio triplex est,

Alia enim est
1. *Activa*, quæ est corporis circumscripti *actio*.
2. *Passiva*, quæ est corporis circumscripti *passio*.
3. *Relativa*, seu *media* ab vtrisq; consurgens, & talis circumscriptio est (Vbi) hoc constituens prædicamentum.

Illa definitio itaq; sic intelligenda est, sc. (vbi compositum est circumscriptio) non *activa*, non *passiva*; sed ex illis consurgens *relativa*, (corporis locati, à circumscriptione proveniens) Vbi, enim non est locus, sed locatio, sc. relativa corporis.

SECT. 7.

Caput obiectionum contra ea quæ dicta sunt de (Vbi.)

Ob. Vbi est nihil aliud quam *esse in loco*, at *esse in loco* est complexũ; ergo non summum genus, ergo nec (Vbi.)

Sol. Vbi capitur dupliciter,
1. *Concretè*, atq; *complexè*, pro eo quod est *esse in loco*, & sic non est summum genus.
2. *Abstractè*, & *incomplexè*, pro forma, seu relatione secundum quam aliquod corpus dicitur esse in loco; & sic est summum genus, & apud Barbaros (Vbietas) seu (vbitatio) nominatur, similiter de (quando) dicendum est.

Ob. Tum materia, tum forma, tum multa accidentia sunt in loco circumscriptivè, certum enim est meam animam ambiri eodem loco in quo est meum corpus; ergo corpora solum non sunt circumscriptivè in loco.

Sol. Solum corpus substantiale est *per se* in loco, cætera gratia ejus, aut vt gratiâ *totius*, sicut forma & materia, aut vt gratiâ *subiecti*, sicut accidentia.

Ob. Illud cujus differentiæ sunt in prædicamento *Vbi*, ipsum est in prædicamento *Vbi*, nam differentiæ sunt in eodem prædicamento cum genere, quod dividunt; sed differentiæ loci sunt in prædicamento *Vbi*:

nam

nam locus dividitur per ſurſum & deorſum, vt patet lib. 1. Phyſ. tex 41. & 4. Phyſ. tex. 41. & 4. lib. de Cœl. tex. 4.

Sol. Surſum & deorſum dupliciter conſiderantur, vel
1. *Activè*, vt ſecundùm illa dicitur *locare*, ita ſunt differentiæ *loci*, & in illis locis ſumuntur.
2. *Relativè*, vt ſecundum illa aliquid dicitur *eſſe in loco*, aut *locari*: & ſic non ſunt differentiæ *loci*: & ſic ſunt in prædicamento *Vbi*.

Ob. Si locus eſſet principium *Vbi*, tum infimæ aliquæ ſpecies eſſent priores ſummo genere, at illud abſurdum eſt, ergo

Sol. Eſt principium ejus in *efficiendo*, non in *conſtituendo*, nam *tale* principium nullum ſummum genus admittit, *alterum* admittere non eſt inconveniens.

Ob. Locus continet locatum 4. Phyſ. tex. 41. & eſt æqualis locato, 4. Phyſ. tex. 30. at centrum mundi non eſt æquale vlli corpori; indiviſibile enim diviſibili, non quantum quanto, punctum corpori æquale eſſe non poteſt; ergo non eſt centrum mundi locus.

Sol. Locus eſt duplex, ſc.
1. *Ambiens*, & de tali loco intelliguntur iſti loci; nam de eo potiſsimùm diſputat *Ariſtoteles* 4. Phyſ.
2. *Situans*, & de tali loco non contendunt, tale autem centrum eſſe dixi; errant autem illi *Philoſophi*, qui negant in hoc ſenſu *Ariſtotelem* vnquam locum ſumpſiſſe; affirmat enim *Ariſtoteles* 4. Phyſ. tex, 42. quòd *medium cœli eſt propriè locus, propter ſtabilitatem*; per *medium cœli*, centrum mundi intelligens.

SECT. 8.

De prima proprietate Vbi, *& eius explicatione.*

Prima communitas *Vbi*, eſt quod *Vbi non admittit contrarium*; nam generalis regula in reſpectivis eſt; *quod illa ſolum contraria ſuſcipiunt, quorum fundamenta ſuſcipiunt contraria*; cum itaque *locus* qui eſt quantitas; & *corpus locatum*, quod eſt ſubſtantia, contraria non ſuſcipiunt; nec *Vbi* poteſt ſuſcipere.

Ob. Inter duo loca eſt motus, poteſt enim quiſpiam movere ab vno loco in alium: ergo duo loca ſunt contraria, nam omnis motus eſt à

contrario

contrario in contrarium, vt docet *Philosophus* 5. Phys. tex. 10.

Sol. Locus dupliciter consideratur { 1. *Absolutè*, in quantum est *quantitas*, & sic contrarium non admittit. 2. *Respectivè* in quantum est *terminus* motionis localis, & sic suscipit contrarium; at *Vbi* fundatur in loco in quantum *quantitas* est, & continet mobile, non in quantum *terminus* est perficiens notum.

Est proprium secundo modo conveniens omni, non soli.

SECT. 9.

De secunda proprietate Vbi.

Secunda communitas *Vbi*, est; quòd *non suscipit magis & minus*; quod est etiam (eodem modo) proprium, & eandem ob causam ipsi conveniens, nam ideo non suscipit magis nec minus, quia ejus fundamentum (magis & minus) non admittit.

Hæc de prædicamento Vbi.

De

De Quando.

SECT. 1.

De prædicamento Quando, *& primò de ambigui nominis distinctione.*

Quando sicut Vbi, sumitur tripliciter
1 *Interrogativè*, vt quando est natus *Petrus*?
2 *Relativè*, vt natus est *Christus*, cum imperabat *Augustus*.
3 *Indefinitè*, pro respectu temporis, ad id quod tempore mensuratur; ita hîc sumitur.

Errant qui putant quòd *quando* est adjacentia solius temporis.

Quando interdum capitur pro adjacentia, sc.
1 *Æternitatis*, vt fuit Deus, quando mundus non fuit, i. non aliquo tempore, (nam tempus incipit cum mundo) sed æternitate.
2 *Temporis*, vt fuit *Pompeius*, (quando) *Cæsar* fuit; quia illi simul tempore existebant.
3 *Instantis*, vt est generatio, *quando* forma introducitur, id est, in eodem instanti: adde etiam adjacentiam *evi*, sed illa reducatur ad *æternitatem*. Vide Sectione 25. de quantitate.

Sicut *vbi*, non est locus, sed locatio corporis proueniens à loco: sic *Quando* non est *tempus*, sed *mensuratio rei temporalis*, *proueniens à tempore*.

Differt tamen *Quando* â tempore ex parte
1 *Habitudinis* ad se inuicem, quia tempus est principium (quando:) *quando* effectus temporis.
2 *Essentiæ*, quia *tempus* quantitas est, & quid absolutum; *quando* relatiuum.
3 *Subiecti*, quia subiectum temporis aut est *mundus* aut *cœlum*, at subjectum ipsius *quando*, est *res tẽporalis*.

SECT. 2.

De iis quæ ad quando *requiruntur.*

Ad *quando* requiruntur
- 1 *Materialitèr* duo,
  - 1 *Actiuè*, tempus *quod mensurat.*
  - 2 *Passiuè*, res temporales *quæ mensurantur*, hæc *materialiter*, siue *effectiuè* potius requiruntur.
- 1 *Formaliter*, respectus temporis *mensurantis* ad rem temporalem *mensuratam*; nam illa efficiunt; hic autem respectus, est ipsum *Quando.*

Nam mensuratio per tempus triplex est, sc.
1 *Actiua*, quâ tempus mensurat.
2 *Passiua*, quâ res temporalis mensuratur.
3 *Relatiua*, quæ ex vtrisque consurgit; & hæc est mensuratio, quæ constituit hoc prædicamentum, nec enim potest *quando* melius definiri, quàm *mensuratio relatiua temporis.*

SECT. 3.

De definitione Quando, *atque eius expositione.*

Quando, *est relatio consurgens ex adiacentia temporis ad rem temporalem*; quam ita explica: *Quando*, prædicamentum, (est relatio) extrinsecus adueniens; sc. (ex adjacentia) i. *externa* applicatione, seu mensuratione, non *internâ* inhærentia temporis vel instantis (ad rem temporalem) i. ad ea quæ tempore vel instanti mensurantur.

Ob. Tempus est accidens ergo in subiecto.

Sol. Inhæret *vni*, adjacet *alteri*, inhæret in *munda*, aut in *cælo*, tanquam in subjecto: adjacet *rei temporali* vt *obiecto.*

Nota quod aliquid dicitur esse *in tempore*

dupliciter
- 1 *Internè*, quod est *aliquod temporis*, siue ejus
  - 1 *Pars*, vt annus, mensis, dies &c.
  - 2 *Terminus*, sicut instans.
- 2 *Externè*, quod est *mensuratum* tempore, mensuratur enim

enim aliquid tempore aut *per se*, aut *per accidens*; *per se*, sicut motus; vnde tempus definitur *numerus motus*. vide Sect. 26. de Quant. *Per accidens*, sicut omne illud quod est motionis capax; siue generationis, & corruptionis; sicut *sublunaria* quæ magis propriè *tempore* mensurari dicuntur; seu motionis localis vt corpora *cœlestia*: quæ autem nullius motionis capacia sunt, sicut incorporeæ substantiæ non *tempore*, sed aut *æuo*, vt Angeli, aut *æternitate*, vt *Deus*, mensurari dicuntur; nisi valdè impropriè.

Quæ autem mensurari dicuntur *per accidens*, mensurãtur aut propter

1 *Generationem*, & *corruptionem*: in tempore; sicut res omnes inferiores generabiles, & corruptibiles.

Motionem localem (licet sint ingenerabilia & incorruptibilia,) sicut corpora cœlestia, quæ licet æterna sunt, tamen quia mouentur (tempus autẽ est numerus motus) *tempore mensurari* dicuntur.

Relationem ad effectus, qui in tempore oriuntur & intereunt; & hac ratione concedi potest etiam *Deum* (quantumvis æternum, imo æternitatem ipsam) *mensurari tempore*, quia *Deus* ad omnes suas creaturas relationem habet; quæ (sublata creatura) ipsa in Deo esse desinit, & gratia relationis tempore intercedentis, non erit absurdum concedere; *Deum tempore mensurari*: licet hæc sit valdè *transumptiua* & *impropria* loquendi ratio.

Ob. Deus est in hoc anno, & hoc die per se, nam Deus jam existit per se, absit enim vt Deum dicamus existere per accidens, ergo est in tempore per se.

Nota quod aliquid dicitur esse in tempore triplicitèr vel, sc. per

1 *Generationem*, quia in tempore *generatur* & *corrumpitur*, sicut corpora caduca.

2 *Existentiam*, quia in tempore *existit* licet nunquam generabatur, vt corpora æterna.

3 *Coexistentiam*, quia *coexistit*, i. existit, quando tempus existit; & sic Deum esse potiùs *cum tempore*, quam *in tempore* concedendum est.

SECT. 4.

De diuisione ipsius Quando.

Quando, eodem modo diuidi potest sicut tempus, in *præteritum*, *præsens*, & *futurum*; est tamen discrepantia, quòd *præteritum*, *præsens*, &

futurum, partes sunt *integrales temporis*; partes vero *vniuersales* i. species, ipsius (quando.)

Ob. Omnis relatio est inter relatiua, ergo si *Quando* sit relatio inter tempus & rem temporalem, sequitur tempus esse relativum, non quantitatem.

Sol. Relatiua alia sunt aut per
1 *Essentiã*, quæ collocãtur in prędicamento relationis.
Affectionem, vt relatiua secundum *dici*, qualia sunt omnia fere in prædicamento Qualitatis.
3 *Applicationem*, quæ non nisi *externa applicatione* prę-supposita, relationem suscipiunt; & talia esse locum, & tempus, & quodlibet absolutum, non est inconueniens.

SECT. 5.

De proprietatibus quando *& earum explicatione.*

Prima proprietas Quando est *quod caret contrario*. Secũda *quòd caret intensione, & remissione*; ratio vtriusq; ex *fundamento* desumẽda est, quia ipsum *fundamentum* nec intensionem nec remissionem nec contrarium admittit, siue fundamentum *actiuum* intelligatur, quod est tempus, siue *passiuum*, quod est res temporalis: hic tamen de istis duobus prædicamentis obserua, quod non est eadem relatio, qua locus ad locatum refertur, & qua locatum ad locum, & qua tempus ad rem temporalem, & qua hæc ad tempus; sed (sicut supra dictum est) quod duæ res similes habent etiam duas similitudines, quibus ad se inuicem referuntur; ita etiam vna relatione locus ad locatum, alterâ (sed ejusdẽ relationis) locatum refertur ad locum; non tamen intellige illam *passiuam*, aut *actiuam* circumscriptionem, sed *mediam*, in vtrisque fundamentis, ex vtrisque consurgentem. Idem penitùs de tempore, & re temporali iudicium est.

Ob. At (dicat aliquis) tempus contiuuo fluit, cum itaque tempus fundamentum ipsius labatur, & interire ipsum necesse est.

Sol. Sed respondeo; effluenti tempore tolli *quando* ex parte *temporis*; sed non ex parte *rei temporalis*, nam jam dictum est illas relationes diuersas esse.

Ob. At (inquies) si tempus non sit fundamentum; est tamen terminus ipsius relationis, quæ rei temporali inhæret, ergo cum relatio non magis possit esse sine termino, quam sine fundamento, cadit illa relatio.

Sol. At respondeo illud verum esse in relativis quas *intrinsecus* secũdũ essentiã, aut *affectionem*, diximus: at non in ijs quæ relatiua per *applicationem* dicuntur.

De

De Situ.

SECT. 1.

De prædicamento Situs, *& primò de distinctione ambigui nominis* Situs *seu positionis.*

Situs dupliciter ab *Aristotele* capitur aut pro
1 *Ordinatione partium in toto continuo*, sic est passio Quantitatis, & de ea diximus Sect. 42. de quant.
2 *Ordinatione partium alicuius corporis in loco*, & sic hic sumitur.

Est autem differentia inter *vbi* & *Situm*, quòd
1 *Vbi* est relatio totius corporis ad locum.
2 *Situs* est relatio non totius, sed *partium totius* ad locum, secundum ejus differentias; sic quod alia sit *sursum*, alia *deorsum*, altera *antè*, alia *ponè*.

SECT. 2.

De definitione Situs; *& eius explicatione.*

Situs (mea opinione) vel *breuius* definire non potest, vel *melius*, quam si definiatur: *relatio partium totius corporis ad locum*; sed sequamur definitionem *Porretani*, quæ talis est, *est positio partium, & generationis ordinatio*; quam definitionem non ab aliquo rectè expositam vidi; & reuerà (puto) definitionem absurdam esse, sed tamen ita breuitèr placet explicare definitionem illam (Situs est positio partium) in æternis corporibus; & (generationis ordinatio) in caducis corporibus; nam si ambæ partes ad idem referendæ sunt, certum est definitionem illam (Situs) corporum cœlestium Situi non posse adaptari, in quibus nulla generatio admittitur, & proinde mala est definitio: prior itaque particula ad *cœlestia* corpora, posterior ad *genita* refertur, quam definitionem ita particularius expone.

Situs prædicamentum, *est* partium sc. integralium *positio* sc. in *loco*, non in *toto* secundum loci differentias sursum & deorsum, (& generationis ordinatio, i. ordinatio partium quæ rei à generatione conueniunt; siue illa generatio sit *naturalis*, sicut hominis *generatio*, vel *artificialis* sicut domus generatio.

Notandum quod omnes positionis differentiæ solis conueniunt animalibus *per se*: cæteris autem rebus, positionis differentiæ conueniunt

- Quædã *per se*, nempe
  - 1 *Sursum*, sursum enim dicitur illa pars quæ est versus *cælum*.
  - 2 *Deorsum*, deorsum enim est illa quæ est versus *centrum*.
- Quædam *gratiâ nostri*, & *in respectu ad nos*, sicut
  - 1 *Dextrum*: nam in rebus inanimatis illud dicitur dextrum quod est versus nostram dextram.
  - 2 *Sinistrum*, quod est versus nostram sinistram.
  - 3 *Antè*, quod est versus nostram *anteriorem* partem.
  - 4 *Ponè*, quod est versus nostram *posteriorem* partem.

SECT. 15.
De diuisione Situs.

Situs diuiditur in situm

1 *Naturalem*, qui in rebus *naturalibus* sibi à sua generatione conuenit, vt in homine, quod caput suum sit *sursum*, pedes *deorsum*, pectus *ante*.

2 *Artificialem*, qui in rebus est *artificio* factis, & sibi à sua generatione conuenit, vt quod tectum in loco domus sit *sursum*, fundamentum *deorsum*, & hic diuiditur in Situm sursum, & Situm deorsum.

SECT. 4.
Obiectiones contra definitionem Situs

Ob. Ordinatio est actio, nam ordinare (agere) significat, ergo situs (cum

(cum non ſit actio) non eſt ordinatio.

Ordinatio alia eſt
- 1 *Actiua*, qua aliquid dicitur (ordinare) partes in loco.
- *Paſſiua*, quâ ipſæ partes dicuntur (ordinari) in loco.
- 3 *Relatiua*, ex illis conſurgens, ſecundum quam partes *in ordine ad locum* eſſe dicuntur, ſic quod partes loci partibus locati *debitè* & *proportionaliter* reſpondeant.

Ob. Non eſt aliqua ordinatio generationis in cœlo, nam cœlum nunquam generatur, eſt tamen in cœlo (Situs) ſecundum *Ariſtotelem* lib. 2. de cœlo. t. 10. & omnes differentiæ Situs, ergo illa definitio mala eſt.

Sol. Dictum eſt illam particulam intelligi debere de ſitu *corporum genitorum*, priorem de ſitu *æternorum*, nam qui priorem de *voluntario*, poſteriorem de *naturali* intelligunt, inſulsè & imperitè, faciunt; nam cum ſitus cœleſtium corporum *naturalis* ſit, ſequitur quod illa ordinatio illis conuenit à generatioue ſua, quæ tamen generationem nullam cognouerint.

Ob. Reprehendit *Empedoclem Ariſtoteles*, l. 2. de anima t. 38. quod ipſe dixit radices plantarum eſſe deorſum; vbi *Ariſtoteles* radices in plantis eſſe ſurſum, ſicut capita in animalibus aſſerit, at non ſunt naturali ſitu, (ſurſum) quia magis diſtant a cœlo, & infimo centro ſunt propinquiores, ergo malè dividitur ſitus.

Sol. Radices plantarum naturali ſitu ſurſum ſunt, notandum autem quon *ſurſum* capitur in animalibus aut

Per reſpectum
- 1 Ad *Nutritionem*, vt illa pars dicitur *ſurſum*, in animalis corpore; quæ primum nutrimentum recipit, & in eo ſenſu radices *ſurſum* dicuntur, quia ſicut animalia *ore*, quod eſt in ſuperiore parte corporis, ita & plantæ *radicibus* nutrimentum capiunt.
- 2 Ad *cœlum*, vt illa pars dicatur *ſurſum* quæ eſt verſus cœlum, hac tamen ratione rami arboris, ſurſum, radix deorſum eſſe dicitur.

Ob. Ordinatio illa partium quæ in monſtris cernitur, vt fœtu bicipiti, aut bicorpore, non eſt naturalis, quia monſtrum non eſt à natura ſed præter naturam, vt *Ariſtoteles* docet, 4. l. de hiſtor. animalium c. 4. nec artificialis, quia ars bicipitem hominem non poteſt efformare.

Sol.

Sol. Iſte ſitus eſt *naturalis*, ſed Reſpondeo quod duo in natura conſiderantur, ſc.

1 *Intentio naturæ*, & ſecundum hanc non eſt *naturalis*, quia natura intendit perfectarum rerum productionem.

2 *Operatio naturæ*, & ſecundum hanc eſt *naturalis*, nam cum natura non poteſt (propter aliquod impedimentum) producere quod vellet, cogitur monſtrum (quod non intendit,) producere

Ob. Eædem ſunt differentiæ *vbi* & *ſitus* ſc. ſurſum & deorſum, ergo *vbi* & *poſitio* non ſunt diſtincta genera.

Surſum & *deorſum* capiuntur dupliciter, vel vt dicunt

1 *Relationem totius alicuius corporis ad locum*, ſicut dicimus ignem *ſurſum*, quia eſt in ſuperiore loco, terram *deorſum* quia eſt in inferiori.

2 *Relationem partium totius corporis in ordine ad locum*, ſicut in eodem homine dicimus caput *ſurſum*, pedes *deorſum*: priori modo differentię ſunt *vbi*, poſteriori differentiæ *ſitus*

Vbi eſt locatio *totius*; *Situs* eſt ordinatio *partium totius* in loco: *Vbi* ſignificat *ſimpliciter* eſſe in loco: *Situs* ſignificat eſſe in loco *ſecundum quandam pārtium adaptationem.*

SECT. 5.

De proprietatibus ipſius ſitus.

Situs communitates duæ ſunt: prima quòd *contrarium non capiat*; Secunda quod *magis aut minus non admittit*; ratio vtriuſque eſt, quod ejus *fundamentum* ſc. *actiuum*, *locus*, & *paſſiuum* partes ſc. ſubſtantiæ, neutrius capaces ſunt, conuenit autem vtrumque *Situi*, ſecundo modo proprij, omni, non ſoli.

Hæc De Prædicamento Situs.

De

De Habitu.

SECT. 1.

De Prædicamento vltimo Habitus, *& 1° de ordine.*

Ambiguum nomen *Habitus* ſupra diſtinctum eſt Sect. 6 de qualitate. Sectio 6 de qualitate

Habitus poſtponitur omnibus Prædicamentis &

1 *Propter finem*, quia quæ ſunt in hoc prædicamento ad *ornatum* referuntur omnia, non ad *neceſſitatem* ſicut in cæteris.

2 *Propter principium*, quia a noſtra *voluntate*, magis quàm a *natura* procedunt res hujus prædicamenti:

3 *Propter ſubiectũ*; quia res hujus Pręd. homines concernunt ſolùm *per ſe*, ſi enim in cæteris rebus inveniatur habitus, illud eſt in ordine ad hominem, ſicut quidem equus phaleratus eſt, & hoc eſt propter vſum hominis.

Habitus eſt *adiacentia corporis, & eorum quæ ſunt circa corpus*; *Habitus eſt adiacentia*, i. relatio conſurgens ex adjacentia (eorum, quæ ſunt circa corpus,) non per *naturam*, nam ſic locus & tempus *adiacent*, ſed per *voluntatem*, nam ſic veſtimenta omnia *adiacent* corpori, brevitèr itaque definiri poteſt; *Habitus eſt relatio veſtimenti (corporis adiacentis) ad corpus*: (adjacentis dico) nam ſi corpori non adjaceat, & applicetur, non conſurgit talis relatio,

Vnde ad *Habitum* alia requiruntur.

1 *Materialitèr*, vt fundamentum, ſc.

1 *Activè*, quod veſtitum *circumcingit*.
2 *Paſſivè*, veſtitum quod per veſtimentum ornatur.

2 *Formaliter*, ipſa veſtimenti ad veſtitum applicatio, his enim poſitis oritur relatio quæ dicitur habitus.

(Quæ ſunt circa corpus) i. quæ per externam *applicationem* corpori incumbunt, non quæ *naturalitèr* corpori adhærent, vnde omnes naturales ornatus, vt barbæ; capilli; &c. excluduntur.

SECT. 2.

De diuiſione ipſius Habitus.

Habitus convenientiſſimè dividi poteſt; ſecundum rationem fundamenti, vt alius ſit

habitus ex
- 1 *Veſtimento neceſſario*, & quot ſunt hujus ſpecies, in tot poteſt dividi habitus.
- 2 *Ornamento*, vt annulo, corona, &c. qui etiam ſecundum ornamenti ſpecies dividi poteſt.
- 3 *Armatura*, vt haſtâ, galeâ, qui etiam eodem modo dividitur.

Ob. Homines poſſunt viuere, & vivunt nonnullis in locis ſine veſtimentis omnibus, at neceſſarium definitur ſine quo res eſſe non poteſt, ergo nulla veſtimenta ſunt neceſſaria.

Neceſſarium aliud eſt
- *Simpliciter*, quod eſt *ad eſſe*, & ſic non ſunt *neceſſaria*.
- *Comparatè*, ad *benè eſſe*, & ſic veſtimenta ſunt *neceſſaria*; non ſolùm propter vitam, ſed ad ciuilitatem morum.

SECT. 3.

De proprietatibus Habitus.

Iſtæ duæ communitates tradi ſolent quòd (Habitus admittit contrarium: & ſuſcipit *magis* & *minus*) quod falſum eſſe ex eorum opinione dèmonſtrari poteſt; Nam illa ſola relativa, magis & minus, & contraria ſuſcipiunt, quorum *fundamenta* (*hæc*) ſuſcipiunt; fundamenta autem habitus, omnia ſunt ſubſtantiæ, vt patet percurrendo ſingula: itaque hæc fundamenta non admittunt, & conſequentèr nec habitus; ſunt ergo iſtæ duæ habitus communitates, 1ª quòd *habitus non admittit contrarium*, 2ª quòd *non admittit magis & minus in ſe*, licèt concedi poteſt, quòd ſuſcipiat *magis & minus*, at non *propriè*, ſed ab *vſu*, & *fine*, ſicut quis altero poteſt dici *armatior*, quia armis ad majora aggrediendà eſt inſtructus.

Et hic eſto finis Prædicamentorum.

TRACTATVS DECIMVS
DE POS-TPRAEDICAMEMTIS.

SECT. 1.
De nomine & de definitione ipsius Postprædicamenti.

Dicuntur hæc quæ sequuntur, *Postprædicamenta*, aut propter
- 1 *Ordinem tractationis*, quia tractantur post ipsa prædicamenta, & hæc ratio est à *situ*.
- 2 *Modum cognitionis*, quem per ipsa habemus de prædicamentis: nam sicut per *Anteprædicamenta* cognoscimus, quæ conducunt ad cognitionem prædicamentorum à *priori*: ita per *Postprædicamenta* à *posteriori*: & hæc ratio ab *vsu* deprompta est.

Postprædicamentum est documentum conducens à posteriori, ad cognitionem Prædicamentorum. (Est documentum conducens ad cognitionem Prædicamentorum) in hoc *vtilitas* ejus cernitur; à *posteriori*, in hoc *modus* conducendi: vt ab *Anteprædicamentis* distinguitur: nam in Anteprædicamentis cognoscimus *quæ* ponuntur in *Prædicamentis*; in *his* verò *Qualia*: in istis *natura*, in his verò *affectio* eorum, in ijs *absolutè*, in his *comparatè*, & magis in respectu ad se invicem pertractantur.

SECT 2.
De divisione Postprædicamentorum.

Postprędicamenta sumuntur vel penes Prædicamentorum
- 1 *Diversitatem*, vnde nascitur *oppositio*.
- 2 *Coordinationem* & seriem in quâ res sunt, aut
  - *In actu*, & talia sunt, aut
    - 1 *In potentiâ*, vnde oritur *motus*, nam motus est nihil aliud quàm exitus rei à potentiâ in actum.
    - 2 *In actu*,
      - 1 *Diuisa* & *superiora*, quę sũt priora, vnde exurgit tractatio de *modis prioris*.
      - 2 *Dividentia*, & *inferiora* quæ inter se sunt simul, vnde nascitur tractatio de *modis simul*.
  - 3 *Comparationem ad substantiam*: ad quã omnia respectũ inhærentiæ & dependentiæ habent; vnde oritur tractatio de *modis habendi*.

Nota quòd oppositio, est duplex, est
- 1 *Complexa propositionum*, quæ maximè *vocum* est; & talis in lib. 8. de Interpret. ab *Arist.* traditur.
- 2 *Simplex*, quæ magis *rerum* est, & talis est illa, quæ hic pertractatur.

SECT. 3.

De Poſtpradicamento oppoſitionis, & 1^m de Analyſi eorum quæ ab Ariſtotele *in hoc capite traduntur.*

Hoc caput conſtat ex tribus partibus,

1 Ex *enumeratione ſpecierum*, quæ quatuor ſunt

1 *Relativa*, quorũ ponit definitionẽ, & diſſoluit objectionẽ.

2 *Contraria*, quorũ ponit diviſionem, in

1 *Immediata*, quorum neceſſe eſt alterum ineſſe ſuo ſuſceptibili ſubjecto.

2 *Mediata*, quorũ nõ eſt illud neceſſe, & hæc ſunt duplicia, ſc. vel quorum medium eſt

1 *Nominatũ*, vt inter albedinẽ & nigredinem eſt rubedo.

2 *Innominatũ*, & aſſignatũ per negationẽ; vt inter pravum & & ſtudioſũ, id quod eſt *neutrũ*.

3 *Privantia*, quorum ponit definitionem, quòd ſunt (*illa quæ habent fieri circa idem ſubiectum, ordine irregreſſibili, & tempore determinato à naturâ:*) deinde ponit differentiam inter privationem, & privatum eſſe.

4 *Contradicentia*, in quibus ponit convenientiam & differentiam, inter affirmationem & negationem; & res quæ illis ſubjacent.

2 Ex *diſtinctione ſpecierum inter ſe*, vnde diſtinguit tum

1 *Privãtia*, primò ab alijs; vt à

1 *Relativè oppoſitis*: & quod *comparationem & converſionẽ* quę *ambo* in relata cadunt non in privãtia.

2 *Contrariis*, quia in omnibus illis poteſt fieri mutatio ab vno in alterũ, & iterum regreſſio: à privatione autẽ ad habitum, non eſt regreſſio: ab *immediatis* verò ſpecialitèr quòd ſit ſemper neceſſarium vnum eorum ineſſe ſubjecto ſuſceptibili; at non in privantibus: à *mediatis* autẽ, quia nunquam eſt neceſſe, alterum eorum ineſſe ſuſceptibili ſubjecto, ſed poſt tempus determinatum; id in privantibus eſt neceſſe.

2 *Contradicentia* ab omnibus alijs oppoſitis, quia in illis ſolum neceſſe eſt alterum eſſe verum, & alterum eſſe falſum.

3 Ex *aſſignatione proprietatũ* contrariorum, quę ſũt

1 *Bono neceſſariò contrarium malum eſt*; vt liberalitati contraria eſt avaritia, *at malo tum malum tum bonum contrarium eſt*; vt non modo liberalitas, ſed & prodigalitas avaritiæ ſunt contraria.

2 *Non neceſſe eſt ſi vnum contrariorum ſit, alterum eſſe*: vt omnibus exiſtentibus ſanis, non eſt ægritudo.

3 *Impoſſibile eſt contraria eſſe ſimul in eodem*: vt ſi *Socra-*

tes

tes sit sanus, æger esse non potest.
4 *Omnia contraria versantur circa idem specie, vel genere*: vt lãguor & sanitas circa corpus.
5 *Necesse est omnia contraria esse, aut* sc. In *eodem genere*, vt album & nigrum. In *contrariis generibus*, vt justitia & injustitia. *Contraria ipsa genera*: vt bonum & malum.

SECT. 4.

De definitione oppositorum in genere ex Rodolpho, *lib.* 1. *c. vigesimo.*

Opposita (definiente *Rodolpho*) sunt *repugnantia, quorum vnum ita repugnat alteri, ut nec vnum de altero, nec ambo de eodem tertio, dici possunt*; ad quam definitionem intelligendam

nota quòd alia res repugnat
1 *Multis*, vt *Socrates* qui æquo jure repugnat *Platoni* & *Aristoteli*, lapidi & equo.
2 *Vni soli*, vt albedo quæ soli nigredini repugnat; illa repugnantia *disparata*, hęc *opposita* à *Dialecticis* nominantur.

Ita igitur definitionem intellige, (oppositа sunt repugnantia) quorum vnũ vni, ita repugnat, sc. in *specie* non in *individuo*: vt nec vnũ eorum de altero, nec ambo de eodem tertio, simul, sc. & eodem respectu, dici possint: (vnum vni in *specie*) secundum eandem speciem oppositionis.

Ob. Hæc albedo est huic nigredini opposita: & etiam illi & vnicuiq; particulari nigredini; ergo etiam in oppositis vnum repugnat multis.

Sol. In oppositis in *individuo* vnum potest multis repugnare: at *in specie*, vnum vni solum repugnat, vt albedo nigredini soli; at in ijs quæ *disparata* diximus, non solum in *individuo*, sed etiam in *specie*, vnum multis repugnat.

Ob. Idem est simul pater & filius, simul enim aliquis & habere potest patrem, & filium: ergo oppositа de eodem simul affirmantur.

Sol. Simul quidem de *eodem* affirmantur, at non eodem *respectu*, nec enim qui s ratione ejusdem est pater & filius, sed respectu diverforum.

Sic quòd in oppositione triplex est vnitas considerandа: nempe vnitas
1 *Subiecti*; vt idem subjectum respiciatur.
2 *Temporis*, vt idem tempus intelligatur.
3 *Modi oppositionis*, vt idem *modus* oppositionis, idem objectum, idemq; respectus observetur: nam dubium non est quin idem secundum *diuersos modos* & *species* oppositionis, multis repugnare potest, vt albedo non modo nigredini opponitur; sed etiam privationi albedinis, & non albedini; sed id non secundum eandem oppositionis

speciem; opponitur enim solùm nigredini, vt *contrarium*, soli *privationi suæ*, vt *habitus*; soli non albedini, vt *contradictorium*; cum itaq; dixi, *vnum vni soli in oppositum repugnare*; id intelligendum est, secundum eandem oppositionis speciem.

Ob. Homo & brutum sunt *opposita*, quia dividunt idem genus: at omnis divisio est per opposita; & tamen definitio non cadit in *ipsa*; nec ipsa sunt sub aliquâ *specie* oppositionis, ergo.

Sol. Definitionem omnem fieri per opposita, facilius *concedi* quàm *probari* potest; nec alicubi apud *Aristotelem* habetur, aut authoritates *Philosophorum*; respondeo tamen,

duplicia sunt opposita, { 1 In *dividendo*, quæ sunt ejusdem divisi membra *dividentia*, & sic sunt homo & brutum opposita. 2 In *inhærendo*, seu *denominando* (quæ supra definita sunt:) & talia hic considerantur, qualia homo & brutum esse non possunt.

SECT. 5.

De divisione oppositorum ac eius sufficientiâ.

Oppositorum sunt quatuor species, { 1 *Relativa*. 2 *Contraria*. 3 *Priuantia*. 4 *Contradicentia*.

Divisionis sufficientia ex parte oppositorum colligi potest, quia omnis oppositio aut est inter { 1 *Voces*, quarum altera est *positiva*, *negativa* altera: & ita *contradictoria*. 2 *Res*, quę duplices sunt, vel { 1 *Respectiva ad se invicem*, & ita opponuntur *relativa*. 2 *Absolutæ*, quæ sunt vel { 1 *Ambæ res perfectæ & positivæ*, & ita opponuntur *contraria*. 2 *Altera positiva, altera privativa*: & sic opponuntur *priuantia*.

SECT. 6.

An dicta divisio sit generis in species?

Quibusdam placet, *Dialecticorum* hanc diuisionem esse *æquivoci* in *æquivocata*; alijs autem, esse *analogi* in *analogata*; sed prior sententia ex eo falsa apparet; quòd & nomen, & definitio oppositorum de istis speciebus affirmantur: ideoq; eorum respectu, est *vnivocum*: Quod autem analogum sit, certius est, quàm quòd demonstrari debeat; cum

contradicentia

contradicentia maximè sunt opposita: nec tamen ideo videtur mihi ideo non esse genus; vnde animadverte, quod ad propositum spectat quòd

Analogum est duplex, aliud nempè analogiâ

1 *Significationis*, quod cum sua analogata secundum distinctas rationes significet, de istis etiam secundum *prius* & *posterius*, seu *magis* & *minus* affirmetur: & tale quidem *Analogum*, nec *Vnivocum*, nec *Genus*, propter ambiguitatem significationis, esse potest.

2 *Attributionis*, quod cum secundum eandem communem rationem affirmatur de suis subjectis, de alijs tamen *magis* aut *minus* dicitur, quàm de alijs: & talis analogia non impedit rationem generis, & talia analoga sunt opposita; vide sect. 7. est ergo *oppositum* genus respectu eorum quatuor, sed *intentionale*.

SECT. 7.
De Relativè oppositis.

Relativa sunt opposita respectiva, quæ simul eidem subiecto inhærere non possunt; in diuersis tamen se mutuò sustinent; per hoc quòd dicuntur (se mutuò conservare in diversis subjectis) explicatur eorum *natura*, in quantum sunt *relativa*; per hoc autem quòd dicuntur (eidem subjecto simul non inhærere) explicatur eorum natura, in quantum sunt *opposita*; *Relatio* sumitur per *respectum* & *dependentiam* ad se invicem, *oppositio* per respectum ad *inhærentiam* in subjecto.

Ob. Relativa per se invicem definiuntur, & conservantur; ergo se invicem non destruunt, at omnia opposita se invicem destruunt: ergo, relativa non sunt opposita.

Sol. In relativis considerantur & eorum

1 *Dependentia ex se invicem*; quæ est respectu *diversorum* subjectorum; & ita *consentanea* sunt, & se invicem *conservant*: vt si *Nichomachus* sit filius *Aristotelis*, tum *Aristoteles* est pater *Nichomachi*.

2 *Inhærentia respectu eiusdem subiecti*: & ita *dissentanea* sunt, & se invicem destruunt; quia eidem inhærere non possunt simul, si enim *Aristoteles* sit pater *Nichomachi*, tum *Aristoteles* non est filius ejusdem *Nichomachi*.

Ob. *Aristoteles* in capite de *ad aliquid* tractavit de relativis: ergo ociosa est hæc tractatio.

Sol.

Sol. Ibi tractavit de ijs quoad *essentiam*, hic quoad *oppositionem*, ibi vt se invicem *conservant*, & *definiunt*, & *consentanea* sunt; hic, vt se invicem *destruunt*, & *corrumpunt*, ac sunt *dissentanea*.

Ob. In oppositis semper vnum vni repugnat: at illud non est semper in relativis; quia vnus pater pluribus filijs repugnare potest: ergo.

Sol. Vnum vni repugnat, in *specie*, non in *individuo*; sic pater repugnat filio in *specie*, & nulli alteri; at vnus pater in *individuo* multis filijs repugnare potest.

SECT. 8.

De contrariè oppositis, & 1° de communi eorum definitione à Dialecticis *traditâ.*

Contraria à *Dialecticis* ita definiri solent: *Sunt opposita quæ sub eodem genere posita, maximè à se invicem distant, & eidem subiecto susceptibili vicissim insunt, à quo se mutuò expellunt, nisi alterum insit à natura.*

Cujus definitionis partes varijs in locis ex *Aristotele* colliguntur 1°. in cap. de *Qualitate*; 2°. in cap. de *Quanti*; 3°. in cap. de *Substantia*; reliquæ autem sunt quasi ex prioribus consequentes, ideoque mihi videntur, minus necessariæ.

Quam definitionem ita intellige (Contraria sunt opposita quæ sub eodem genere posita) siue *proximo*, vt albedo & nigredo sub colore; siue *remoto*, vt liberalitas & avaritia sub habitu; nam proximum genus liberalitatis *virtus* est; avaritiæ, *vitium* est: (maximè à se invicem) intellige non *simpliciter* (nam magis repugnant contradicentia & privantia) sed *maximè*, respectu *eorum quæ ponuntur sub eodem genere*. (Et eidē subjecto susceptibili) *numero* & *vicissim*; *successiuè*, non *simul* insunt: (à quo se mutuò expellunt) aut *vi suâ*, aut *vi causæ suæ*, (nisi alterum eorum sit à naturâ) inhærens.

SECT. 9.

De aliâ definitione Contrariorum ab Aristotele *traditâ.*

Sed quoniam hæc definitio, (quamvis sit præcipuè, in *Dialecticorum* scholis authoritatis) laborat & tædio, & summâ difficultate; placet ex

ex *Aristotele* faciliorem adducere,& breviorem.

Contraria sunt quæ sub eodem genere posita, maximè distant.

Ad quam definitionem ritè intelligendam,duo requiruntur,

1. *Convenientia in genere*: vt sub eodem genere continentur vel *remoto*, vel *proximo* (sicut dictum est.)

Scilicet 2. *Differentia* quæ est duplex; altera in
- 1. *Essentia*,& *specifica natura*;vt differentias habeant omnium(quę ponuntur sub eodem genere)diversissimas.
- 2. *Inhærentia & habitudine ad subiectum*;ita vt eidem simul inesse non possint: sicutautem ex parte *essentiæ*,requiritur quòd ambo eidem subsint generi, non tamen eidem specificæ differentiæ: ita ex parte *inhærentiæ* quòd ambo eidem insint *subiecto*, non tamen *eodem tempore*, sed vicissitudine quâdam & successione.

Ita igitur definitionem intelligas,(Contraria sunt opposita,quæ posita sub eodem genere maximè distant)sc. & quoad *essentiam*, respectu eorum quæ eidem subsunt *generi*;& quoad *inhærentiam*, respectu eorum quæ eidem insunt *subiecto*.

SECT. 10.

De habitudine Contrariorum ad subiectum quantum ad inhæsionem;& quomodo simul vel successivè (eidem inesse) dicantur?

Animadvertendum (vt hoc à Dialecticis neglectum,fiat luculentius)quod contraria sunt duplicia,

alia scil.
1. In *actu*, quæ sunt *intensa* super medium gradum totius latitudinis.
2. *In potentia*, quæ *remissiora* sunt,quàm vt ad medium gradum attingant: quæ distinctio vt melius intelligatur: notandum semper quod contrariarū qualitatum latitudo, & numerus graduum, in eodem subiecto adimpletur; vt si (v. g.) assignaremus omnium qualitatum latitudinem per numerum; vt 8: etsi non sit in subjecto calor ad 8. sed remissus gradus; ipsi admiscetur tanta frigiditas, ex

quâ cum calore gradus (vt octo) per aggregationem efficitur; exempli causâ cum calore summo qui est vt 8. nullus gradus frigiditatis consistit, sed cum calore ad 7. stat vnus gradus frigiditatis, & non plures; quia tunc excederent latitudinem, vt 8. at (sicut diximus) latitudo vniuscujusque qualitatis finita & determinata est: cum calore autem vt 6. stant duo gradus frigoris: & cum calore ad 5. 3. gradus frigoris, & sic consequenter vsq; ad gradum vnum: hæ verò qualitates hoc modo in gradibus latitudinis constitutæ, si intensæ fuerint supra medium, tum dicuntur *in actu:* si verò in eo sunt, aut infra ipsum; tum *in potentia* dicuntur: in potentia (inquam) non *inhærentiæ*, quia in quocunq; sunt gradu, *actu* nihilominus inhærent: sed in potentiâ *denominationis*, quia non actu subjectum *denominare* possint, quousque supra medium latitudinis eleventur: vnde si in aliquo subjecto sit calor vt quatuor, aut remissior, illud subjectum non est *calidum*, propter admixtionem æqualis frigiditatis denominationem impedientem: si autem supra medium gradum vt quatuor intendatur, illud subjectum est *calidum*.

Contraria igitur *in actu* non consistunt, i. non in intensis gradibus, i. non in eâ perfectione, ex quâ denominatio potest oriri; sed benè consistunt aut ambo in potentiâ, vt cum ambo sibi invicem æqualiter mixta in medio gradu consistunt, aut alterum in actu & intensum supra, alterum verò in *potentiâ* & remissum infra medium gradum: ex quibus apparet contraria *intensis* gradibus, non nisi *successivè*; at si alterum remissum sit, etiam *simul* eidem subjecto inhærere possunt.

Vnde contraria dupliciter considerari possunt, sc. aut

1. *Physicè* respectu *inhæsionis*, atq; ita simul eidem subjecto convenire possint: at eo modo quo diximus, *refracta & remissa*, non *intensa & perfecta*.

2. *Dialecticè*, respectu *denominationis*; atq; ita eidem subjecto non nisi *successivè* contraria convenire possint, i. simul non possunt præbere denominationem eidem subjecto, quoniam (sicut observatum est) denominatio actualis non *in remissis*, sed solis *intensis* gradibus fundatur.

SECT. II.

SECT. 11.

Dubitationes contra ea quæ dicta sunt de contrariis, in ordine ad subiectum.

Ob. Calor & frigus non possint conjungi, dicente *Aristotele* 2. de generat. tex. 16. ergo contraria in eodem simul esse non possint.

Sol. *Coniunctio* est duplex, alia enim est
1. *Actualis*, quâ ambæ supra medium latitudinis gradum inveniuntur, in *esse extenso* & *perfecto*; ita verò nulla contraria, sicut nec calor nec frigus conjungi possint.
2. *Potentialis*, quâ conjunctæ qualitates aut ambæ in gradu medio, aut altera infra medium, in *esse remisso*, & *imperfecto* existit; ita verò (vt dictum est) conjungi possunt contraria.

Ob. Qualitas est secundum quam aliquid denominatur (quale) docente *Aristotele* cap. de qualitate, t. 1. sed calor & frigus etiam infra medium gradum sunt qualitates: ergo denominabunt subjectum calidum & frigidum.

Sol. Qualitas est secundùm quam aliquid denominatur (quale) sc. *actu* vel *aptitudine*; nam qualitates supra medium gradum *actu*; infra, *aptitudine* sola subjecta denominant qualia: vnde *aptitudo* denominandi *naturam*, *actus* verò *perfectionem* & *modum* Qualitatis consequitur.

Animadvertendum enim quòd inhærentis accidentis denominatio quatuor modis impediri potest;

vel scil. ex defectu
1. *Intensionis debitæ:* si remissioribus gradibus infigatur subjecto, atq; à contrario superetur; nam *omnis denominatio in contrariis est à prædominante.*
2. *Extensionis debitæ*; si minorem rei subjectæ partem occupet, vnde *Æthiops*, quamvis habeat albedinem in dentibus, non tamen denominatur *albus*.
3. *Durationis debitæ*: requiritur enim vt aliquantisper inhæreat in subjecto, nec cito fluat; vnde passiones ab *Aristotele* in cap. de Qualit. denominare negantur.
4. *Inhærentiæ immediatæ*; si non *primò* inhæreat sub

iecto, sed *alterius accidentis gratia*: sicut inhæsio, intentio, contrarietas, inhærent in substantia gratia accidentium, quod impedimentum supra tetigimus.

SECT. 12.

De habitudine contrariorum ad subiectum, quantum ad actionem: & quibus actionibus se invicem expellunt contraria?

Vt autem melius intelligatur, qualis sit ea contrariorum expulsio,

Tria nobis erunt in cõtrariis considerãda,

1. *Essentia ipsius Qualitatis*: vbi non intellige per (essentiam) *definitivam* ex genere & differentiâ conflatam; sed intellige *integralem*, quæ entitas ipsius qualitatis nominatur, eam sc. quæ ex *intensivis*, seu *gradualibus* partibus conficitur.

2. *Activitas ipsius Qualitatis*, i. vis atq; facultas agendi in contrarium.

3. *Resistentia eius*, i. potentia repugnandi seu resistendi contrario agenti.

Est igitur in contrario *activum* principium expulsionis ipsius contrarii, sc. *activitas*, nam secundùm *hanc*, dicitur (expellere:) *passivum* autem expulsionis principium, seu *obiectum* & *terminus* expulsionis, est *gradualis latitudo*, seu *integritas* ipsius Qualitatis; nam per *hanc expellitur*, est verò resistentia *activum* principium, at non *expellendi* alterùm, sed *defendendi* seipsum.

Quod autem ad modũ expulsionis attinet, observandum est quòd alia contraria se invicem expellunt virtute,

1. *Intrinsecâ*, quæ naturam suam consequitur: hoc modo solùm quatuor primæ qualitates se invicem expellunt: hæ enim solæ quatuor proprijs suis virtutibus, activæ & passivæ sunt.

2. *Extrinsecâ*, sc. virtute *suæ causæ*: & hoc modo omnia contraria quæ inter secundas qualitates habentur, vt albedo & nigredo, dulcedo & amaror, se invicem expellunt: non quod ipsæ ex *naturis suis* agunt in se invicem, & se invicem corrumpunt: sed quòd *viribus primarum qualitatum*, quæ sunt earum *causæ*, id

id perficiunt; idem etiam in cæteris contrariis, vt in virtutibus & vitiis obſervari poteſt, quæ licet propriis *activitatibus* ſe invicem non expellant (non enim agit virtus in vitium, vel è contra) tamen virtute *ſuarum cauſarum* id efficiunt: nam cauſa virtutis tollit vitium, & è contra: vnde licet ipſa ratio contrariorum, et formalis repugnantia in omnibus contrariorum ſpeciebus, in *aptitudine quadam* et *naturali inclinatione* ſe invicem expellendi, conſiſtat: non tamen omnia *ſuâ naturâ* illum expulſionis *actum* exercent; ſed quædam viribus *ſuarum cauſarum*: neq; ipſa actio tam in iſtis *ſpeciebus* contrariorum cernitur, quàm earundem *ſingularibus* et *individuis*: non enim albedo in *ſpecie* ſpeciem nigredinis expellit, niſi *aptitudine*; *actu* vero hæc albedo illam nigredinem: vnde licet ipſa repugnantia et contrarietas vniverſalium ſit; *actus* tamen repugnantiæ, ſc. actualis expulſio eſt *ſingularium*.

SECT. 13.

Obiectiones contra ea quæ dicta ſunt de actione contrariorum.

Ob. Contraria pati à ſe invicem impoſsibile eſt: affirmante *Ariſtotele* 5. Phyſ. text. 67. ergo non poſsint expelli à ſe invicem.

Sol. Pati aliquid dicitur dupliciter, aut per
1. *Receptionem*, quando recipit in ſe formam fluentem ab agente, ſicut ſubiectum eius: velut aqua calorem ab igne; et ſic contraria à ſe invicem non *patiuntur*.
2. *Corruptionem*, quando ipſum extinguitur per illam formam; ſicut frigus in aqua *patitur* à calore, per eius in aquam influxum: atq; ita ſibi invicem paſsiones inferunt contraria.

Ob. Si calor agat in frigus: vel albedo in nigredinem; tum fluit aliqua forma à calore in frigiditatem; nam actio eſt

forma fluens ab Agente in passum, sed non fluit: nam actio caloris calefactio est, & calefactio non potest esse in frigiditate, ergo.

Sol. In omni passione triplex est *patiens*: *patitur* enim aliquod vel

1. *Subiectivè*, & *receptivè*, quod est subjectū in quod passio suscipitur; sicut in calefactione fluente ab agente igne, *patitur* aqua: & sic substantia *patitur*.

2. *Obiectivè* & *expulsivè*, quod quidem *violenter* per passionem in ejus subjectum susceptam à subjecto deturbatur & expellitur: sicut frigus in aqua patitur à calefactione: itaq; sic, contrarium à contrario *patitur*.

3. *Terminativè* & *perfectivè*, quod quidem per passionem in subjectum inducitur: sicut in calefactione aquæ, inductus & generatus calor *patitur*: & sic effectus ipsius passionis completivus dicitur *pati*; & sic simile patitur à simili.

Ob. Si contraria agant in seinvicem, ergo vnum eorum est agens, & alterum patiens: at vero agens & patiens sunt correlativa: ergo.

Sol. In contrariis, si spectemus *inhærentiam* solum, sunt verè contraria; si actionem quantum ad *habitudinem* relata, quantum ad *violentiam* contraria dicuntur.

Ob. Si contraria mutuò se expellant, tum in se mutuò agunt, & à se mutuò patiuntur: ergo calor agit in frigus, & frigus in calorem, & consequenter idem esset seipso nobilius; *agens enim est nobilius passo*: vt docet *Aristoteles* l. 3. de Animâ, t. 9.

Sol. Non *successivè* solùm, sed & *simul* contraria in se invicem agunt; *simul* enim et calor candentis ferri agit in frigus aquæ (nam aquā calefacit) patiturq; à frigore aquæ (nam ferrum frigescit:) est ergo simul contrarium *agens* & *patiens*, agens, propter *perfectionem activitatis*, patiens, propter *imperfectionem resistentiæ*; est ergo simul idem eodem nobilius & ignobilius, sed *diversâ ratione*: nobilius ratione *activitatis*, ignobilius ratione *resistentiæ*: tùm enim vnum contrarium expellit alterum, cùm ejus *activitas* major sit, quam alterius contrarii *resistentia*.

Ob. Calefactio & frigefactio contrariæ sunt; aliæq; quamplurimæ actiones & passiones (sicut dictum est supra) non tamen expellit calefactio frigefactionem, aut è contra; nam si expellat ipsam, tum agit in ipsam, & consequenter est agens: at calefactio actio est, non agens; quod

quod si agens sit, habet *in se* aliquam actionem per quam agit, & consequenter vna actio erit subiectum alterius.

Sol. Expellit quidem non *virtute suâ:* sed virtute *principii sui* (sicut dictum est) ideo enim dicitur expellere calefactio frigefactionem: quia calor ipsam expellit, nec est inconveniens quod idem sit *agens* respectu *vnius*, & *actio* respectu *alterius*; est enim calefactio *actio* respectu *caloris* à quo profluit, *agens* verò respectu *expulsionis* sui contrarii.

Vnde contraria se invicem *expellunt* dupliciter, vel expulsione

1. Per *violentam actionem*, atque ita (sicut dictum est) primæ quatuor Qualitates solùm se invicem *expellunt* ab eodem subiecto.

2. Per *vicissitudinem, mutuamq; successionem*, atque ita cætera omnia contraria dicuntur se invicem (expellere.)

Ob. Si albedo expellat nigredinem, vel calor frigiditatem, aut ergo qui est, aut qui non est; non qui est; nam cùm ille alteri subiecto inhæret, non potest ex illo migrare, vt contrarium suum ex alio expellat; non ille calor qui non est, nam quod non est, non potest agere. ergo.

Sol. Ipse calor (qui est) expellit frigiditatem secundùm *se*, *effectivè*; secundùm *effectum* verò *formalitèr*, sic calor in igne *mediatè* & *efficientèr* frigiditatem in aqua corrumpit, *immediatè* verò et *formalitèr* non ille, sed alius ab igne calor in aqua generatus: ille enim *extrinsecus* expellit, cùm in alio subiecto inhæreat, hic vero *intrinsecus*, cùm sit quasi eiusdem subiecti gremio cum contrario: vtroque modo expellitur contrarium, per illud contrarium, quod est aut in *actu perfecto existentiæ*, sicut quod *effectivè*; aut *actu imperfecto generationis*, sicut quod *formalitèr* expellit; expellunt itaque se invicem omnia contraria, aut secundùm *se*, aut *aliud* eiusdem speciei *individuum*, si *actus* spectetur expellendi: quamvis apta sunt omnia per se ad sua contraria expellenda.

SECT. 14.

Qualis sit ea intelligenda contrariorum distantia?

Ex prædictis autem explicari potest, qualis sit ea (quæ hic est accipienda) contrariorum distantia? primò autem observandum est, hic non distantiam *loci*, sed distantiam *formæ* intelligendam esse.

Ea verò *distantia* in contrariis, triplex excogitari potest; nimirum *distantia*

1. *Essentiæ*, quæ (specifica) dicitur; omnia enim contraria inter se *essentialibus* suis et specificis differentiis *distant*.

2. *Inhærentiæ*, quæ (subiectiva) nominatur; talis est enim omnium contrariorum habitudo, vt simul eidem subiecto *inhærere* nequeant.

3. *Perfectionis*, quæ (gradualis) appellatur; quâ id contrarium quod intensum est, distat ab alio quod remissius: harum autem trium distantiarum duæ tantùm priores contrarietatem *constituunt*; tertia verò non *constituit*, sed *adauget*; nam album, et nigrum, tam sunt contraria, quàm maximè album et maximè nigrum, quamvis graduali quadam *distantia* hæc magis distant.

Ob. Magis calidum et minus calidum sunt contraria, est enim motus sc. alteratio â minus calido, ad magis calidum, et è contra; *motus autem omnis est à contrario ad contrarium*; 5. Phys. text. 7. sunt ergo contraria, et non distant specie, ergo.

Sol. Magis calidum dupliciter consideratur; vel sc.

1. *Absolutè*, secundùm essentiam suam; in quantum est *calidum*.

2. *Comparatè* in quantum habet frigiditatem sibi annexam; et ratione huius coniunctæ frigiditatis, terminus *à quo* in intensione caloris esse potest, in illa enim alteratione terminus *à quo*, *per se* est frigiditas adiuncta calori remisso; remissus verò ille calor non est terminus, nisi *per accidens*.

Ob. Albedo et virtus ponuntur sub eodem genere, at magis distant, quam virtus et vitium: quòd nec in eodem subalterno Qualitatis genere inveniantur, cum altera sit primæ, altera tertiæ speciei, et

& etiam ſubjectiuè. Cum nec idem ſubjecto omninò vel ſimul, vel ſucceſſiuè conuenire poſſunt; cum altera animæ, altera corpori ſemper inhæreat: at virtus & vitium, ſaltem ſucceſſiue eidem inhærere poſſunt; ergo contraria non maximè diſtant reſpectu ſubjecti.

Sol. Non *abſolutè* eſt illud accipiendum, cum dicitur, contraria reſpectu ſubjecti (maximè diſtare) ſed *comparatè* reſpectu eorum, quæ ſubjecto conueniunt; nam ſicut (quantum ad *eſſentiam*) contraria debent conuenire genere, differre tamen ſpecie; ita (quantum ad *inhærentiam*) conuenire debent in *aptitudine* inhærendi, in *tempore* tamen inhærendi diſcrepare: vnde.

Diſtantia *ſubiectiua* (quam hic intelligimus) tria requirit, nempe

1 *Aptitudinem inhærendi eidem*, vt ſc. eidem ſubjecto inhærere ambo poſſunt.

2 *Viciſſitudinem eidem inhærendi*, vt ſc. ſucceſſiuè eidem inhæreant.

3 *Impoſſibilitatem inhærendi eidem ſimul*, vt ſc. ſimul eidem inhærere in perfectis gradibus non poſſunt.

SECT. 15.

De diuiſione contrariorum in mediata & immediata, & primò de diſtinctione ambigui nominis (medii.)

Expoſita autem natura contrariorum: proponit nobis eorum diuiſionem in *mediata* & *immediata*; cujus explicatio quoniam maximè dependet ex nominis *medii* diſtinctione; idcircò primo animaduertendum eſt

Medium eſſe aliud,

1 *Argumentationis*, quod idem *argumentum* dicitur; *medium* enim dicitur in quantum extremos terminos conjungit: *argumentum* in quantum concluſioni probandæ deſtinatur.

2 *Poſitionis*, vel *ſitus*, quod eſt medium æqualis diſtantiæ localis ab extremis, ſicut centrum *medium* circuli, & terra *medium* cœli dicitur.

3 *Oppoſitionis*, quod eſt medium inter extrema ſibi invicem oppoſita, & ſic (hoc in loco) nomen *medij* accipiendum eſt.

1 *Medium formæ*, quod nihil aliud eſt quam forma quædam ab extremis contrarijs diuerſa, & inter ipſa collocata: vt rubor inter albedinem & nigredinem, tepor inter calorem & frigus.

Est autē duplex oppositionis *mediū*, alterum appellatur

2 *Medium subiecti*, quod nihil aliud est quam illud de quo neutrum contrarium prædicatur, vt lapis respectu sanitatis & ægritudinis *medium subiecti* dicitur; quod ipse nec sanus nec ægersit, & equus respectu virtutis & vitij, quod ipse nec studiosus nec vitiosus sit.

SECT. 16.

De definitione immediatorum contrariorum, & eius explicatione.

Contraria autem immediata definiuntur ab *Aristotele esse ea quæ circa proprium subiectum ita se habent, vt alterum eorum ei semper ex necessitate inhæreat.*

Quam definitionem ita intellige (contraria immediata sunt ea quæ circa subiectum proprium) i. naturale & susceptibile, quod eorum capax sit (ita se habet) i. ita *adæquatè* respectu sui *subiecti*, & ita *immediatè* respectu *sui* ad se inuicem: (vt alterum eorum) sumendo (alterum) non *determinate* pro vno eorum recto, sed *indeterminate* & *disiunctiuè*, pro *alterutro* (ei semper ex necessitate inhæreat) ex necessitate nimirum non *suorum* i. non ipsorum contrariorum, sed ex necessitate *subiecti*, quoniam natura subjecti sibi alterum eorum semper determinat; nam impossibile est hominem inueniri sine sanitate aut ægritudine.

Ob. Ambo contraria immediata accidentia sunt; at nullum accidens necessariò inhęret sed abesse potest à subjecto: ergo contrariorum immediatorum alterum non necessariò inhæret.

Sol. Respondeo, quòd aliquod accidens potest dupliciter intelligi cōvenire necessariò subiecto; aut ex necessitate

1 *Sui ipsius & subiecti*, & sic *propria* accidentia subjecto conueniant; vt risibilitas homini.

2 *Subiecti sui tantum*, quod quidem ex se *contingens* est, tamen determinatione subjecti *necessarium* efficitur; & sic quædam *communia*, *necessaria* sunt, vt albedo in cygno.

Omnia ergo accidentia communia, contingentia sunt *ex seipsis* & *suis naturis*, ideoque *ex se* sunt apta *abesse* à subjecto, quædam tamen eorum *necessaria* sunt aut *absolutè*, vt albedo in cygno, aut *disiunctiuè* vt sanitas vel ægritudo homini, non quidem *ex seipsis* sed ex *necessitate subiecti*: sc. quia subjectum sibi determinat *necessario* talia accidentia; aut ex necessitate *naturæ suæ*, sicut omnes substantiæ *corporeæ* determinant

nant ſibi Quantitatem: aut ex neceſſitate *ſuæ complexionis*; ſicut cygnus determinat ſibi albedinem, & homo ſibi ſanitatem, aut ægritudinem determinat: quia neceſſarium eſt ad complexionem cygni ſequi albedinem, ad complexionem hominis, ſanitatem vel ægritudinem.

SECT. 17.

Quale medium concedendum inter contraria immediata vbi conciliatur Medicis Ariſtoteles *de ſano & ægro.*

Ob. Non poteſt eſſe motus ab extremo ad extremum niſi per mediũ: at vero eſt motus à ſanitate ad ægritudinem, & è contra, ergo eſt inter eos medium.

Sol. Duplex excogitari poteſt mediũ inter cõtraria, nẽpe

1 *Tranſitus* ſiue *tranſmutationis*, quod nihil aliud eſt quam ſucceſſiuus fluxus alicujus formæ, per quam receditur ab vna, & acceditur ad aliam qualitatem, ſeu gradum qualitatis; & tale *medium* etiam in quibuſdam *immediatis* contrarijs concedendum eſt, vt inter ſanitatem & ægritudinem.

2 *Formæ* ſeu *reſultationis*, quod eſt nihil aliud, quam illud quod reſultat ex extremis, & tale negatur eſſe immediatorum medium.

Ne tamen turbã ſequuti *Dialecticorum*, omne *medium formæ* inter hujuſmodi cõtraria negantium, aberremus: & *medium formæ* nobis diſtinguendum eſt, nam *mediũ formæ* eſt *aliud*

1 *Abnegationis*, quod eſt poſitiua forma inter extrema contraria collocata, quæ tamen nullo modo extremorum naturam participat: vt liberalitas inter prodigalitatem & auaritiam.

2 *Eſſentiæ*, quod quidem inter extrema contraria, ita collocatur, ut quamuis vtrumque extremorum aliqua ratione participat, eſt tamen ipſũ ab extremis vtriſque *eſſentialiter* diſtinctũ: vt rubedo inter albedinem & nigredinem.

3 *Aggregationis*, quod inter extrema contraria ita mediat, vt ex ipſorum extremorum partibus quibuſdam admixtis conflatur, & ab ipſis non omninò eſſentia ſed mediocritate differt, nec ipſis aliquam eſſentialem formam ſuperaddit; quale medium eſt, inter frigiditatem & calorem, tepor.

Vnde facile apparet ratione cujus *medii*, contraria quædam *immediata* nominantur, nimirùm ratione illius *mediæ formæ*, quę *medium essentiæ* nominatur: inter sanitatem enim & ægritudinem assignari nequeat media positiua forma, quæ vtramque earum participans, ab vtrisque essentialiter distincta sit.

Triplex tamen medium assignari potest inter ea contraria quæ *immediata* dicuntur, sc.

1 *Medium subiecti*, quod etiam in omnibus oppositis (exceptis contradicentibus) inuenitur, nam terra nec est sana nec ægra.

2 *Medium transitus*, quo subiectum ab vno eorum in alterum *transmutatur*.

3 *Medium aggregationis* i. participatio quædam vtriusq; extremi, sine formali distinctione, nemo enim est tam æger quin aliquem habet gradum sanitatis, quilibet enim æger tantum habet sanitatis, quantum a summo morbi gradu deficit.

Aristoteles autem cum *medium* esse negat inter sanum & ægrum, *Gallenus* verò ponat, definiens Medicinam esse *sanorum ægrotorum & neutrorum scientiam*, cum cæteris medicis; non quidem est inter eos contradictio, sed nominis *ægri* diuersa acceptio, obseruandum enim est ægritudinem non aliud esse, quam malitiam & intemperantiam complexionis; sanitatem vero, quàm debitam ejusdem conseruationem & bonitatem, sic (inquam) capitur apud *Aristotelem*, & sic (vt patet) non est medium inter sanitatem & ægritudinem; cum necessarium sit, complexionem: aut esse *temperatam* aut *intemperatam*: at (apud Medicos) quælibet complexionis intemperantia non dicitur *ægritudo*, sed illa, quæ cum operationum animalium, aut vitalium, aut naturalium læsione conjuncta est; vnde nomen apud *eos* strictius; apud *Medicos* enim corpus, cujus læditur & operatio & complexio, *ægrum*: cujus complexio, sed non operatio, *neutrum*: cuius nec complexio nec operatio, *sanum*, dicitur: at apud *Physicos sanum*, cui sana complexio; *ægrum*, cui ægra complexio, siue *operatio* lædatur siue non lædatur: si itaque *ægrum* respiciatur ex parte *complexionis*, *neutrum* nullum est; si autem ex parte *operationis* necessario admittendum est; ægritudinis enim materia (tam apud *Philosophos* quam *Medicos*) complexio est, forma vero diuersa apud *Philosophos*, apud eos enim *malitia cõplexionis*; apud *Medicos*, *læsio operationis*: *Aristoteles* igitur negans *neutrũ*, respexit solam *complexionem*; *Galenus* vero & *Medici* ponentes, respiciunt

spiciunt etiam *operationem*: quamuis interdum, & *neutrum* neglexit *Galenus*, vt lib. de Sect. cap. 10. Vbi *Medicina, doctrina sanorum & aegrotorum definitur.*

SECT. 18.

De definitione contrariorum mediatorum, atque eius explicatione.

Ex definitione *immediatorum* contrariorum facillimè colligitur *mediatorum* definitio; quæ (apud *Aristotelem*) *describuntur esse ea, quorum non est necesse alterum inesse in proprio subiecto*: quam ita intelligas: (contraria mediata sunt ea, quorum non est necessarium) nec ex *parte sui*, nec *subiecti*, (alterum) i. alterutrum inesse; sed potest media forma inhærere; est autem (sicut prius dictum est) inter contraria duplex media forma: alia *compositionis*, quæ *medium participationis* appellari solet, illa nimirum forma, quæ ex extremis refractis, & permixtis conflatur, essentiâ tamen & naturâ diversa ab vtrisque: sicut est rubor, pallor, viror, inter albedinem & nigredinem: est alia vero *forma media* inter contraria *per abnegationem*, quæ cum medio quodam modo se habeat inter extrema, ab illis natura planè diuersa est; eaque aut *nominata est* sicut fortitudo inter audaciam & timiditatem: aut *carens nomine*, vt inter studiosum & vitiosum, id quod est neutrum.

Ob. In contrarijs mediatis, vnum vni solum non repugnat, nam omnia extrema vitia, non solum sibi inuicem, sed etiam medijs virtutibus repugnant, ergo non sunt oppositа.

Sol. vnum vni solum repugnat, sicut *extremum extremo*; medium tamen pluribus *extremis* repugnat, sed id semper secundum diuersum *modum* & *rationem*, sc. alteri sub *excessus*, alteri sub *defectus* ratione; non autem illud secundum diversam rationem inconueniens est.

Ob. Albedo & rubedo, seu liberalitas & prodigalitas contraria sunt, nec tamen *immediata*, cum necessarium non sit alterum eorum inhærere capaci subiecto, potest enim corpus esse nigrum, & homo auarus: nec *mediata*, cum non sit *media aliqua forma* inter liberalitatem & prodigalitatem; cum ipsa liberalitas medium sit non extremum, ergo.

Sol. Conferuntur dicta cõtraria dupliciter ſc. aut
1 *Ad ſe inuicem*, & ſic non habent *medium*; ſed alterum eorum *medium* eſt.
2 *Ad ſubiectum*, & ſic concedi poteſt, iſta habere *medium*: & auaritiam medium eſſe inter prodigalitatem & liberalitatem, medium ſc. non quoad *eſſentiam*, ſed quoad *inhærentiam* & *habitudinem ad ſubiectum*.

Sol. 2. Vel aliter reſpondendum, non ſolum dici contraria *mediata* ea extrema, quæ habent inter ſe medium: verùm ea etiam quorum alterum eſt *medium*, alterum *extremum*.

SECT. 19.

Alia ratione repugnare media extremis, quam extrema ipſa extremis.

Notandum autem quod non eodem modo quantum ad repugnantiæ perfectionem, repugnant extrema medijs, atque ſibi inuicem;

Nam alia repugnant vel
1 *Abſolutè & ſuis viribus*, vt albedo & nigredo; audacia & timiditas, extrema extremis.
2 *Participatiuè & viribus extremorum*: vt media extremis, nam dicitur rubedo eſſet cõtraria albedini, ratione ejus quam in ſe habet nigredinis: & nigredini ratione albedinis: ſunt ergo ea extremis contraria in quantum extrema participant, & varia comparatione, extremorum vicem ſubire videntur: id vero in medijs *abnegationis* (ſicut eſt virtus) minus apparet, nam in illis (vt dictum eſt) non eſt *realis*, ſed ſolum *ſimilitudinaria* participatio: ſicut liberalitas collata prodigalitati, rationẽ, defectus in quo verſatur auaritia; comparata verò auaritiæ, rationem *exceſſus*, in quo conſiſtit prodigalitas, inducere videtur; *perfecta eſt igitur* inter duo extrema *contrarietas*, inter extrema vero, & medium, *imperfecta*.

SECT. 20.

Quomodo extrema contraria in mediis formis participationis eſſe dicantur?

Hæc quæſtio (apud *Philoſophos*) magnis difficultatibus implicata eſt,

eſt, dũ eam conantur explicare: ſed primò conſtet de ſubjecto quæſtionis: nam hic per *mediam formam* non intelligendum *medium abnegationis* (ſicut eſt virtus inter vitia) non enim extrema *realiter* omnino in hoc medio ſunt, ſed *ſimilitudinariè* ſolum, ſicut in Sect. præcedente dictum eſt, nec medium *aggregationis*, ſicut tepor inter calorem & frigiditatẽ: ſunt enim in eo, (ſine dubio) *realiter* extrema & *actualiter*, licet *remiſſa* & *refracta*: ſed inſtituitur quæſtio de eâ *media forma* quam ſupra *medium eſſentiæ* diximus, ſicut eſt rubedo inter albedinem & nigredinem; quæritur itaque quomodo continentur in medijs extrema?

Continentia autem triplex eſt, ſc.

1 *Virtualis*, quæ eſt *continentia principij*, ſicut calor continetur in lumine, & homo in ſole.

2 *Potentialis*, quæ eſt *continentia paſſiui principij*; ſicut forma nondum producta continetur in materia.

3 *Formalis*, quæ eſt *actualis ipſius rei in ſe habitio*: vt calor in igne continetur, forma in compoſito; quo itaque modo continẽtur extrema in medijs? (Vt omittamus aliorum nugas) certè (me iudice) *formaliter* & *actualiter*, ita quod ipſę formæ albedinis & nigredinis ſunt in rubore, & pallore, non ſolum *potentia reſolutionis* (vt quidam putant) quod poſſunt ipſi in hoc tranſmutari; ſed etiam *actu eſſentiæ*: non tamen *actu perfectionis*, nam ſunt in ijs *remiſſæ*, & *reductæ ad temperamentum*, nam in omnibus medijs coloribus *materia* tanquam illorum, ſunt colores extremi: *forma* vero, vel (quæ inſtar formæ eſt) ipſorum extremorum temperamentum ſeu proportio. Vnde patet, vnde proueniat tanta mediorum colorum varietas, cum tamen ex ijſdem extremis conflentur: nimirum ex varietate mixtionis, & temperaturæ ipſorum; nam ad aliam, & aliam ipſorum mixtionem, alia atque alia medij coloris forma ſequitur.

Ob. At (dicis) non ergo eſt diuerſitas inter *medium eſſentiæ*, & *medium aggregationis*.

Sol. Non ſane ex parte *continentiæ extremorum*, ſed primò ex parte *vnionis*, quod extrema in eo, in vnam aliquam naturam reducuntur, tanquam materia ejus; in hoc vero minimè: Secundo ex parte *perfectionis* quod in *eo* aliam medij formam induunt, in *hoc* non item; tertio ex parte *diſtinctionis*, nam illud ab vtriſque extremis *eſſentialiter* differt, hoc autem non *eſſentia* ſed *mediocritate*.

Ob. Ex duabus ſpeciebus fieri non poteſt tertia, vt *Porph.* de collat. differentiæ

differentiæ & speciei t.6.ergo ex albedine & nigredine non fit rubedo.

Sol. Non fit ex ijs in *specie*, sed in *individuis*, vel dicendum quod non fit ex ijs *formaliter*, sed *materialiter*; nam licet (vt diximus) ipsæ formæ insunt, sunt tamen ipsæ formæ materia mediorum ruborum.

Ob. *Ex duobus actu existentibus non fit vnum per se*, vt *Aristoteles* 7.Met.ergo ex albedine & nigredine non sit rubor.

Sol. Vnũ non fit ex duobus *actu existentibus, perfectionis*, sed benè in actu *essentiæ*, at hoc, non illo *actu* diximus extrema in medijs existere.

Sol. 2. Vel dicendum quod ex duobus in *actu* (vt in *actu* sunt) non fit vnum, quod si ad rubedinẽ comparantur non *actu* sunt sed *potentia*.

Ob. Si in potentia sunt, tum non in actu; nam actus & potentia sunt opposita.

Sol. Potentia duplex est, sc.

1 *Obiectiua*, quæ est potentia ad *esse*, quâ id quod non est, potest esse; & quod sic est in *potentia*, non est in *actu*, vt infans nondum natus.

2 *Subiectiua*, quæ est potentia ad perfectionem, quâ id quod est, potest recipere vlteriorem perfectionem: non autem inconueniens est, quod illud quod sit in *potentia* ad perfectionem, sit in essentiæ *actu*; & sic albedo & nigredo in rubedine dicuntur esse in potentiâ, nõ quidem ad *esse*, sed ad *formam* rubedinis.

Ob. Secunda qualitas fit ex primis, non ex secundis; at rubedo est secunda qualitas, sic albedo & nigredo; ergo ex his non fit, sed ex primis.

Sol. Fit sicut cæteri medij colores, *immediatè* ex *secundis* sc. ex extremis suis, *mediatè* ex *primis*: diuersa tamen ratione, ex illis nempè *materialitèr* (vt diximus,) ex his vero *effectiuè*, ex illis *compositiuè*, at ex his solum *dispositiuè*; nam hæ *disponunt* ad rubedinem, illæ vero *componunt*.

Hæc de contrarijs oppositis.

SECT. 21.

De priuatiuè oppositis, & primò de distinctione nominis ambigui (Priuationis.)

Nomẽ (priuationis) est ambiguum,

1 *Actu priuantis*, & se tenet ex parte efficientis causæ, sicut dicuntur *Romani priuasse Syllam magistratu*, & nihil est aliud quã *actio efficiẽtis, quâ ex aliquo subiecto forma tollitur*.

2 *Defectu*

& accipitur vel pro

2 *Defectu formæ alicuius*, & ſe tenet ex parte materiæ vel ſubjecti: ſicut dicitur in oculo *privatio* viſus, i. ejus defectus.

3 *Contrario minoris perfectionis*; ſicut *nigrum privatio* albi, 2°. de anima: text. 129. frigidum *privatio* calidi lib: de generatione & corrup: text. 18. in ſecundo autem ſenſu hic accipiendum nomen *privationis*, vid. ſupra diſtinctione Habitus, Sect. 6. de Qualitate.

SECT. 22.

De definitione privationis, atq; eius explicatione, & primò de definito.

Privatio eſt abſentia formæ in ſubiecto, quod habet potentiam ſuſcipiendi eam formam; ad quam definitionem rectius intelligendam obſervanda ſunt *definitum*, & *definitionis partes:* De *definito* autem obſervandum (ne labaris) quod cum *privatio* omnis eſt habitus privatio, pro vario ſtatu ipſius habitus, & varietas privationi aſſignari poteſt.

Habitū autem conſiderare poſſumus triplicitur, aut vt eſt

1 *In Potentia.*
2 *In Exiſtentia.*
3 *In Perfectione*, & ſecundum triplicem *habitus* rationem triplex *privatio* aſſignatur,

1 Alia *quæ negat tantum perfectionem habitus*, quæ ſcil. ſubjecto totam formam non eripit, eam tamen aliqua ex parte comminuit; qualis privatio eſt vmbra luminis, quæ non totum eripit lumen, ſed perfectum tantum: vnde quælibet luminis minutio, opaci corporis interjectu facta, *vmbra* nominatur: qualis etiam privatio viſus in oculis ſenum perſpicitur: in quibus licet viſus aliqua ex parte hæreat, viſionis tamen *perfectio* tollitur.

2 Alia verò eſt privatio quæ non ſolum *perfectionem* formæ negat, ſed *exiſtentiam*: relinquit tamen potentiam ad formam; qualis privatio ſunt tenebræ luminis, quæ non ſolum lumen minuunt, ſed totum tollunt; non ita tamen, ſed vt in ſubjectum jam *tenebroſum*, lumen induci poteſt; & talis poteſt eſſe privatio viſus in oculo malè affecto, ita vt non videat, donec curetur.

Alia eſt quæ non *perfectionem ſolam*, & *exiſtentiam* formæ negat, verum etiam formam iterum ſuſcipiendi *potentiam*: eſtq; hæc maxima & potiſſima *privatio*; eſt ergo alia privatio, quæ tollit actum *perfectionis*, alia quę tollit actum *exiſtentiæ*, alia quæ tollit *potentiam vtriuſq;*: hujuſmodi privatio eſt cæcitas viſus: & mors vitæ: quantumvis autem vnaquæq; harum ſignificationum in philoſophia ſuum vſum habeat, ea tamen hic definitur, quæ in medio gradu collocatur; quæ appellari ſolet *privatio quoad actum*, non quidem ſolum quoad actum *perfectionis* (nam hanc alterius gradus eſſe diximus) ſed quoad actum *exiſtentiæ*: defendi etiam poteſt eam hic definiri quæ privatio *quoad potentiam* dicitur, ſecundam eam quam ſubijciemus diſtinctionem.

SECT. 23.

De primâ parte definitionis, & quomodo privatio dicitur eſſe negatio?

Cum *privatio* dicitur eſſe negatio vel abſentia (ne labaris ex *Ariſtotele*, notanda erit negationis diſtinctio; nam alia dicitur

1 *Negatio extra genus*, quæ eſt *abſoluta* negatio, in re nihil ponens; ſicut pars negativa contradictionis, ſicut *non homo*: negativus ille terminus nihil poſitivi conſtituit.

2 *Negatio in genere*, quæ licet negat formam aliquam, tamen præſupponit ſubjectum in quo negat, ſicut cæcitas eſt privatio viſus: nam non eſt abſoluta negatio viſus, ſed negatio viſus in ſubjecto apto, i. in oculo, & hujuſmodi negatio, *privatio* eſt.

Negatio alia eſt

1 *Complexa propoſitionis*, cum negetur prædicatum de ſubjecto.

2 *Incomplexa terminorum*, & talis eſt privatio.

Ob. Cæcitas & non cæcitas opponuntur contradictoriè, ergo vna eſt negatio alterius; at non eſt negationis negatio, ergo cæcitas non eſt negatio: deinde, ſemper in contradictorijs alterum poſitivum eſt, alterum negativum; ergo cæcitas eſt poſitiva.

Sol. In privatione duo ſpectantur,

1 *Abſentia* vel *negatio* formæ, & hac ex parte, privatio nec poſitivum eſt, nec ens reale.

2 *Potentia ſubiecti ad formam*: & hac ex parte, privatio

privatio & ens eſt, & poſitivum, & ratione hujus poteſt etiam eſſe ejus negatio.

Ob. Nihil poteſt conflari ex ente & non ente, nam tum medium participationis eſſet inter contradictoria: ergo ea duo ad naturam privationis non requiruntur, nec conſtat ex ijs privatio, cum alterum ſit ens, alterum non ens.

Sol. Privatio deſignat *formalitèr* negationem formæ, aptitudinem vero ex *conſignificatione:* non itaque ex aptitudine, tanquam ex *parte* aliqua conſtat privatio, ſed privatio ipſam tanquam *principium* requirit, eſt itaque privatio negatio aptitudini conjuncta.

SECT. 24.

De ſecunda particula definitionis, & in quo ſubiecto ſit privatio?

Privatio (vt diximus) eſt negatio formæ, non quidem *ſimplicitèr & abſolutè*, ſed negatio *coniuncta aptitudini*: eſt ergo privatio negatio formæ in ſubiecto, non *quolibet*, ſed *apto* & naturâ *diſpoſito* ad ipſam formam, cuius privatio, negatio eſt; vt cæcitas eſt privatio viſus, non quidem in lapide, aut ligno, ſed in oculo; quia oculus eſt ſubiectum naturalitèr aptum & potens videre.

Notandum quod in ſubiecto duplex poteſt intelligi potentia ad habitum, alia

1 *Remota*, & *radicalis*, quæ eſt potentia *principii*, quod talis habitus naturalitèr *ſequitur*, ſicut in homine potentia animæ ad videndum.

2 *Proprinqua*, quæ eſt potentia *inſtrumenti*, vel *partis*, in qua talis habitus naturalitèr *hæret*, ſicut in homine potentia oculi ad videndum: cum itaque dicimus privationem *eſſe negationem formæ in ſubiecto, quod habet aptitudinem vel potentiam ad eam formam*, non intelligenda eſt potentia illa *propinqua*, nam viſiva potentia oculi tollitur à cæcitate, ſed intelligenda potius *prima* illa & *radicalis* potentia: nam eſt anima hominis cæci, non minus apta naturalitèr ad videndum, quam accutiſſimè videntis; quem actum ratione inepti inſtrumenti exercere non poſſit: ſunt ergo quædam privationes quæ tollunt in ſubiecto *propinquam* illam potentiam, non autem *remotam*, niſi ea ſola quâ forma ſubiecti vel compoſiti tollitur: ſicut mors in homine: eſt ergo

oculus quamvis cœcus, aptus & potens vt videat, non quidem *propria sua potentia*, quam *instrumentariam* diximus, sed alia potentia *participata*, ea, scil. quam oculo anima communicat: similitèr etiam de cæteris privationibus distinguendum est.

SECT. 25.

Dubitationes circa ea quæ dicta sunt de inhærentia privationis.

Ob. Si privatio sit in corporeo subjecto, sicut cœcitas in oculo, aut ergo indivisibilitèr, quod falsum est, nam est in ijs partibus, in quibus hæret habitus, est autem habitus extensus; aut est divisibilis, & extensa ad subjecti extensionem, & consequentèr erit longa, lata, & profunda, sicut subjectum.

Sol. Privatio in subjecto est *indivisibilitèr* in toto, tamen in quo est habitus, non tamen per *extensionem*, sed per *indistantiam* & *multiplicationem*.

Ob. Si privatio bene definiatur tum esset prior habitu, at habitus est prior privatione cum per ipsum definiatur privatio, sicut cœcitas privatio visus: mors absentiæ vitæ, &c. ergo.

Duplex est privatio, sc.

1 *Imperfecta* negans formam, sed *præsupponens* facultatem suscipiendi formam.

1 *Perfecta*, & *negans formam*, & *destruens facultatem* eam suscipiendi in subjecto: illa quidem natura & tempore *præcedit*, hæc *sequitur*; vtraque tamen posterior est, tum *cognitione*, cum privationes (sicut dictum est) per habitus definiantur, tum *perfectione* cum habitus bonum quid sit, & malum privatio; tum *distinctione* cum distinctio privationis ex habituum distinctione petatur. Vnde de distinctione privationum à se invicem, observandum, earum diversitatem, ex diversitate habituum requirandum esse, ita quod cœcitas & surditas (suo modo) differunt *specie privativè*, sicut visus & auditus (quorum sunt privationes) *specie positivè*: & hæc cœcitas & illa numero *privativè*, sicut hic visus & ille numero *positivè*; est enim rectum (vt inquit *Aristote-*

les)

les) ſui & obliqui index non modo quoad eſſentiam & definitionem in quantum per ipſum definitur: ſed etiam quoad diſtinctionem in quantum per ipſum diſtinguitur.

Ob. Mors privatio vitæ eſt, non tamen capit eam definitionem cum quod ſit mortuum nullam habet facultatem vivendi: ergo.

Sol. Reſpondendum eſt definitionem intelligendam eſſe de ijs privationibus quæ privant *actum*, non *potentiam*; vel ſi *potentiam*, *propinquam* ſolam, non *remotam* & *radicalem*: at mors eſt ipſius *principii*, & *radicis* privatio.

Ob. Si alia ſit privatio, quæ procedit ab ea quæ ſequitur habitum, tum duæ eſſent privationes ejuſdem habitus, & conſequentur in oppoſitis vnum multis repugnaret: ergo.

Sol. Secundum *diverſas* rationes, plures recte poſſunt eſſe ejuſdem habitus privationes; nam altera habitum reſpicit quantum ad *actum inhærendi*, altera quantum ad *potentiam*: vel dicendum, vnum vni ſolum in *ſpecie* repugnare, duæ autem illæ privationes *diverſarum ſpecierum* non ſunt, ſed ſolum *diverſorum graduum*, nam (vt diximus) privationes non niſi ex varietate habituum diſtinguuntur cum ergo ſit idem habitus, eadem ſane erit *ſpecie* privatio; diſtincta tamen *gradibus* propter diverſam habitus rationem, quia (vt dictum eſt) *præcedens* actualem exiſtentiam, *ſuccedens* etiam ſæpenumero, & potentiam tollit.

Ob. Privatio relativum eſt, & dicitur reſpectu habitus; eſt enim privatio habitus privatio, &c. ergo privatio relativè & habitus opponuntur, & ita eſt ſpecierum confuſio.

Sol. *Nomina* quidem habitus & privationis relativa ſunt, *res* tamen ſubjectæ ipſis nominibus, vt viſus & cœcitas, mors & vita, ad ſe invicem non referuntur.

SECT. 26.

Qualis aptitudo ad formam requiratur ad rationem privationis?

Diſtinximus potentiam ſubiecti ad aliquam formam; in *organicam* & *radicalem*:

1 *Generica*, quæ ſequitur formam & naturam generis, quomodo & talpa *apta* ad videndum dici poteſt, quamvis ſecundum ſpeciei ſuæ naturam *inepta* planè ſit ad videndum, i. in quantum talpa eſt; tamen apta ex potentia generis, in quantum animal.

est autem radicalis potentia duplex, vel

2 *Specifica* quæ naturam ipsius speciei consequitur quomodo canum cantuli ante nonum diem apti dicuntur ad videndum; quoniam ipse visus non solum convenit illis in quantum animalia sunt, sed etiam in quantum canes: atq; hæc in definitione privationis intelligenda est.

SECT. 27.

De definitione privantium, & eiusdem explicatione.

Privantia autem ab Aristotele definiuntur esse ea quæ versantur circa idem subiectum, ordine irregressibili, tempore à natura definito; ad cujus definitionis explicationem oportebit & *definitum*, & *partes definitionis* observare: Privantia igitur, vel privativè opposita, hic dicuntur formæ quæcunque sive *substantiales*, sive *accidentales* earumque privationes; ita igitur definitionem intellige: *Privantia* i. habitus & privatio (sunt opposita, quæ versantur circa idē subjectum) *numero*, id est, quæ apta eidē subjecto numero sunt inhærere, *ordine*, i. successivè, alterū post alterum; *irregressibili*, i. privatio post habitū non è contra; vt sit *progressio* ab habitu ad privationem, non tamen *regressio* à privatione ad habitum: (tempore definito à natura) sc. tempore definito habitui, quod sc. à naturâ determinatum est ad suscipiendum habitum, quæ particula adijcitur ad declarandum quod non semper subjecto apto ad suscipiendum privantia, alterum eorum insit, nam catulo ante nonum diem nec inest visus nec cæcitas, quod tempus à naturâ visui destinatum adhuc non venerit.

Vnde tria concurrunt ad rationem privativè oppositorum, sc.

Vnitas numeralis subiecti, vt circa idem subjectum *numero* versentur, vt visus & cæcitas circa oculum.

Incommunicabilitas ordinis, vt *procedat* subjectum ab habitu ad privationem, à privatione autem ad habitum non *retrocedat*, vt prius videns, factus cæcus, iterum videre nequit.

Determinatio naturalis temporis, vt sc. tempus expectetur & determinetur, in quo à natura decretum est, habitum inesse subjecto; sicut nonus dies in catulo est determinatus vt catulus videat.

SECT.

SECT. 28.

De statu istius Quæstionis. An sit regressus à privatione ad Habitum?

Duplex est privatio (sicut dictum est) nam alia est

1 *Imperfecta*, quæ tollit solùm formam quantum ad actualem *existentiam*, vt somnus privat visum, & tenebræ lumen in aëre; quæ dici solet (à *Dialecticis*) privatio quoad *actum tantum*; & à tali *privatione* potest subjectum in habitum *regredi*.

2 *Perfecta*, quæ non solum tollit ipsam *formam*, sed ne *potentiam* quidem relinquit in subjecto ad formam; sicut cæcitas est privatio visus; semel enim cæcus, visum recuperare nequit; hæc autem appellari potest privatio *quoad potentiam*; & à tali ad habitum minimè fieri potest *naturaliter regressio*.

Vt melius (ad evitandum errorem) explicetur illius quæstionis status, cum multos indies videmus à cæcitate ad videndi facultatem reduci; alia tenenda est distinctio *potentiæ subiecti*, quâ dicitur posse regredi vel non regredi:

Est enim alia potentia

1 *Intrinseca*, quæ in ipso subjecto intelligi potest existere.

2 *Extrinseca*, quæ est extra subjectum in quo hæret privatio; cum itaq; dicimus, quod non potest fieri regressio à privatione ad habitum: intelligitur non posse subjectum *suavi*, & *intrinseca potentia* à privatione ad habitum recedere; quamvis externa potentia id fieri potest.

Ob. At *inquies* quo pacto fieri potest quispiam ex cæco videns, nisi habeat in se potentiam vt videat?

Sol. Vt omnis scrupulus & dubitatio excludatur; notandum, quod duplex est potentia, alia nempe

1 *Activa*, quæ est virtus *efficiendi* aliquam formam.

2 *Subiectiva*, quæ est potentia *recipiendi* ipsam formam; cum itaque negaverim oculum cæcum habere in se potentiam reductionis ad visum, non intelligo potentiam *passivam* vel *subiectivam*, hanc enim habet sibi *Intrinsecam*; sed potentiam *activam* & *effectivam*, quia non potest seipsum

ſeipſum ſua virtute *activa* iterum ad viſum reducere, hanc ergo potes facile defendere quæſtionem ſi hunc ſtatum tenueris, i. non poſſe ſubjectum regredi à privatione ad habitum, potentia *activa intrinſeca*, tamen *ſubiectiva*, & *extrinſeca* activa quandoque regreditur: paucis enim hæc defenſio (quamvis nova) difficultatibus expoſita eſt.

SECT. 29.

Obiectiones contra definitionem (privativè) oppoſitorum.

Ob. Miſeria eſt privatio fœlicitatis; at qui fœlix eſt miſer eſſe non poteſt, vt affirmat *Ariſtoteles* 1°. lib. Eth. cap. 10. ergo non poteſt eſſe ſemper progreſſio ab habitu ad privationem, nec verſantur circa idem.

Sol. Miſeria eſt apta ineſſe homini qui fœlix eſt, quantum eſt ex ratione *ſui*: quia eſt privatio illius formæ quæ hæret in ſubjecto: quod verò non poteſt ineſſe, id eſt ratione *ſubiecti* quod ſibi determinat formam oppoſitam, non tamen ex *natura* (quod ſupra dictum eſt de contrarijs) ſed ex *habitu*: privantia itaque apta ſunt ineſſe ſubjecto quantum ex natura *ſubiecti*: quod autem privatio ineſſe non poteſt, ſcilicet miſeria, hoc eſt ex *habitu*, non ex *natura*.

Ob. Ante inductionem habitus in ſubjectum, ibi eſt negatio formæ, in quo eſt aptitudo à natura ad capiendam illam formam, etiam ante tempus à naturâ determinatum: ergo etiam eſt privatio, ex definitione privationis.

Sol. Duplex eſt tornæ negatio, ſcil. alia

1 *Defectiva*, quæ nihil aliud eſt quam pura abſentia ipſius formæ, priuſquam ſubjecto habitus adveniat: & talis negatio quamvis *phyſicè* dicatur privatio, non tamen *logicè*.

2 *Expulſiva*, quæ eſt abſentia illa formæ quæ ipſius expulſionem ſequitur: qualis eſt in oculo cœcitas, poſt viſum expulſum; & talis hic ſolùm ab *Ariſtotele* (nomine privationis) intelligitur.

SECT.

SECT. 30.

De contradicentibus, & eorum definitione, eiusq; explicatione.

Contradicentia definiuntur (ab *Aristotele*) esse *ea, quorum per se nullum medium est*. Vbi obseruandum erit *definitum*, & *definitionis sensus*.

De definito autem notandum, quod duplicia sunt contradictoria, alia

1. *Complexa*, quæ sunt propositiones, tum quantitate, tum qualitate repugnantes, quomodo accipiuntur ab *Aristotele* in libro de Interpretatione.

2. *Incomplexa*, quæ sunt termini, vel res simplices, quarum altera positiva est, id est, vox, vel res ipsa: altera ejusdem negatio, vt homo, non homo, &c.

Contradictoria autem sicut hic accipiuntur, (quemadmodum dixi) sunt res, vel voces, & earum negationes, sed diverso modo; nam res ipsæ *obiectivè*, voces autem *formaliter* cõtradicunt: scilicet res per voces.

Contradictoria hic definita, non sunt *complexa* contradictoria, id est contradicentes propositiones: (sicut quidam imperitè *Aristotelem* explicant) sed *simplicia*, scilicet res vel voces (sicut dictum est.)

Ob. Cum autem vrgeant hoc in capite *Aristotelem* affirmasse in contradictorijs hic explicatis, reperiri veritatem & falsitatem; & consequenter complexionem; sicut hic concludit *Aristoteles*.

Sol. Respondeo; quod in cõtradictoriis *simplicibus* reperitur veritas & falsitas, non *actu*, in quantũ absoluta & simplicia sunt: sed *aptitudine*, in quantum alicui subjecto, affirmativè vel negativè conjungi possunt: vt homo & non homo, actu nec vera nec falsa sunt, quod si alicui tertio attribuantur, ut lapis est homo, & lapis non est homo, actu evadunt vel vera, vel falsa: itaq; dicimus alterum eorum esse verum, alterum falsum, non *actu*, (sicut propositiones, in quibus prædicata actu conjunguntur subjecto) sed *aptitudine*, quod subjectis conjungi possunt.

Diligenter tamen notandum est; quod aliâ ratione sunt ipsæ *propositiones*, veræ vel falsæ; alia ratione *contradictoriæ*, quamvis subjectis actu conjunguntur: propositiones enim *formaliter* veræ vel falsæ dicuntur, termini autem contradictorij *attributivè*: dico (attributivè) quod vero vel falso alicui subjecto attribuuntur: vnde altera veritas *connexionis* appellari potest, altera *attributionis*: hæc *prædicatorum* est, illa *totius propositionis*.

Ob. Quod si iterum vrgeant: veritatem & falsitatem hâc etiam ratione, cæteris convenire oppositis, sicut contrariis; nam *Socrates* vel sanus est vel æger: homo, pater vel filius: & cœcus vel videns; cum tamen per hoc *Aristoteles* cætera opposita distinguat à contradictoriis.

Sol. Respondeo sane illud *in determinatis* subjectis verum esse: non tamen *absolutè* in omnibus: nam in cæteris oppositis assignari aliquod subjectum potest, de quo neutrum oppositorum verè dicitur: at in contradicentibus non solùm de quibusdam rebus, verum de quibuscunq; alterum eorum verè affirmatur, alterum falsò.

SECT. 31.

De sensu definitionis contradicentium.

Definitionem itaq; sic intellige: (contradictoria) id est, affirmatio & negatio: alia est affirmatio & negatio *connexionis*, qua per verbum negatum vel affirmatum, prædicatum propositionis ipsi subjecto connectitur: alia *simplicis positionis*, quâ simplex aliquis terminus ponitur, vel sine, vel cum signo negativo; vt homo, non homo; & hæc affirmatio, seu negatio *simplex* vocatur, quæ hic intelligitur: (sunt opposita quorum nullum medium est) neque *formæ*, sicut in quibusdam contrariis, neq; *subiecti*, sicut in cæteris quibusdam oppositis: (per se) id est *absolutè*, & *indefinitè* accepta, sine vlla determinatione, sic enim nihil est de quo alterum contradicentium non verè affirmatur, nihil enim est, quin sit homo, aut non homo: sedens, vel non sedens: vt autem melius intelligatis, particulam (per se) in definitione contradicentium, observandum est

Contradictoria duplicia esse, vel

1. *Absoluta*, vt indefinitè accipiuntur sine adjectis aliquibus determinantibus particulis, vt homo, & non homo.

2. *Determinata*, & talibus conjuncta particulis: vt homo per se, non homo per se: & licet id minus fortasis prima specie apparet, summe tamen notanda est illa distinctio; nam cùm dicat *Aristoteles* de quolibet ente, & non ente,

te, verum eſſe alterum contradicentium, verum quidem eſt in contradicentibus *abſolutè* acceptis, non *determinatis:* vt omne animal eſt homo, vel non homo: lapis eſt homo, vel non homo: & ſic in omnibus aliis, dum *abſolutè* ſumantur, vnum eorum de ijs affirmatur: at non ita in *determinatis*, non enim eſt animal *eſſentialitèr*; homo vel non homo *eſſentialitèr*, nec eſt *Socrates* vel albus *per ſe*, vel *per ſe* non albus: Cum itaq; dicatur in definitione *contradicentium per ſe non eſſe medium*: illud eſt intelligendum contradicentium, vt *abſolutè* & *ſine determinatione* ſumantur, non eſſe medium.

SECT. 32.

De comparatione dictarum ſpecierum oppoſitorum, & primò relativorum & privantium.

Cùm abſolutè *Ariſtoteles* tractaſſet ſpecies *oppoſitorum*, deinde inſtituit inter quaſdam earundem ſpecierum comparationem: eas ſcilicet, quæ minus diſtingui appareant: primò autem comparationem proponit, inter privantia & relativè oppoſita: differunt autem hæc inter ſe duobus modis: primò ex parte *compoſitionis*, & *dependentiæ*, quia relativa ad ſe invicem referuntur, & à ſe invicem *dependent*; at privantia, nec habitudinem *dependentiæ*, nec *relationem* inter ſe habent; ut ex. gr. pater ad filium, dominus ad ſervum refertur: & è contra: at cœcitas non refertur ad viſum; aut mors ad vitam; aut è contra.

Secundò differunt ex parte *converſionis*, quæ eſt quaſi *mutuitas dependentiæ*: nam pater & filius convertuntur ad modum relativorum, (ſicut ſupra, ſectio 26. de Relatis) vt pater eſt filii pater; & filius eſt patris filius; at talis converſio in privantibus *realibus* non cernitur: nam cœcitas non eſt viſus cœcitas, nec è contra: (realibus) dixi, quoniam ipſa nomina (privatio & habitus) reciprocantur: vt privatio eſt habitus privatio, (*nomina* enim ipſa ſunt relativa, & ad ſe invicem referuntur) ſed relatione *intentionali res*, verò quæ iſta nomina induunt, nullâ ratione ad ſe invicem referri poſſunt.

SECT. 33.

De comparatione privativè oppositorum ad contraria.

Comparat secundò privantia ad contraria, *Aristoteles* triplicitèr

1. Ad *contraria in genere*, quoniam est in iis commutabilis ordo inhærentiæ, sicut videmus in calore & frigore respectu aquæ, quæ enim jam frigida est, potest esse calida, & deinde expulsâ caliditate, iterum frigida, & iterum calida: ita vt mutua potest esse successio infinitis vicibus, sicut etiam in cæteris contrariis respectu suorum subiectorum; at in privantibus ita non est, nam quāvis sit *successio*, cùm privatio in eodem subiecto habitui succedat; non tamen est *mutua successio*, quoniam inductâ semel privatione, habitus restaurari non potest: quod quomodo sit intelligendum, diximus antea de privantibus.

2. *Ad contraria immediata*, quoniam alterum eorum necessarium semper est quamdiu subiectum existat, (etiam in primo momento) inesse susceptibili subiecto: ut homo à principio nativitatis est vel sanus, vel æger; at non est necessarium alterum *privantium* in *quocunq;* tempore inhærere subiecto susceptibili, sed solum in tempore determinato à natura: vt canis catulus ante diem nonum nec cœcus est, nec videns.

3. *Ad contraria denique mediata*, quoniam in nullo tempore necessarium est alterum eorum inesse; quoniam medium aliquod inesse potest; ut in nullo tempore necessarium est, lignum album esse, vel nigrum, cum alterius alicuius coloris medii esse potest. At licet non in *quocunq;* tempore, in tempore tamen *assignato* & *definito*, necessarium est alterum privantium inhærere in subiecto susceptibili: vt canis catulus post diem nonum, aut necessariò cœcus est, aut videns.

SECT. 34.

SECT. 34.

De comparatione Contradicentium ad alias oppositorum species.

Vltimò comparat contradicentia eadem ratione ad alia omnia opposita, quoniam in contradicentibus necessarium est alterum contradicentium verè, alterum falsò subiecto vnicuiq; attribui: ut si sedens verè affirmatur de *Socrate*, non sedens falsò eodem tempore; at in cæteris oppositis, non est necessarium alterum oppositorum verè affirmari de quolibet; nam lapis nec sanus est nec æger nec cœcus nec videns, nec pater nec filius; nec solùm de quolibet ente, sed & de non ente alterum contradicentium vere affirmari potest; vt *Socrates* siue sit, siue non sit, vel est sedens, vel non sedens; at cæterorum oppositorum, nec de quocunq; non existente, nec existente, (sicut diximus) necessarium est alterum affirmari.

SECT. 35.

De proprietatibus, seu potius quinq; regulis oppositorum, & primò de prima.

Aristoteles ad maiorem explicationem contrariorum, eo quod eorum inter omnia opposita est usus frequentissimus: quinque proponit regulas contrariorum; ex quibus fiat eorum natura magis dilucida.

Prima est talis: *bono ex necessitate malum contrariatur, malo autem, vel bonum, vel malum potest esse cõtrarium*: quam ita intelligas: (bono) moris, id est virtuti; ex necessitate, malum) moris, id est vitium; (contrarium est) nam unum bonum non potest alteri contrarium esse; (malo) id est vitio, (aut bonum) id est virtus, (aut malum) id est vitium, potest esse contrarium; ut liberalitati quæ virtus est & bonum moris, alia virtus contraria esse nequit, sed solum vitium; ut profusio aut auaritia, at profusioni; quæ malum est & vitium, non solùm malum, ut auaritia; verum etiam bonum, ut liberalitas, est contrarium.

Triplex autem est bonum, 1. *Metaphysicum*, entis. 2. *Physicum*, naturæ, 3. *Ethicum*, moris: et hoc in sensu, hic accipitur.

Ethicũ enim bonum maximè *virtus* est, & pro varietate *boni*, est etiam malum triplex: nam

acceptum
1. *Metaphysicè*, est negatio *entis*, nam bonum (hac ratione) enti æquale est.
2. *Physicè* verò, *privatio naturæ*; aut naturalis boni.
3. *Ethicè* verò, est contrarium virtutis; & tripliciter acceptum

sc. vel
1. *Negativè*.
2. *Privativè*.
3. *Positivè*: vltimo tantum modo hic accipitur.

Hoc tamen non est ita accipiendum, ac si *omni* bono esset aliquod malum contrarium; sed si *alicui* aliquod sit contrarium, id necessariò malum est.

SECT. 36.

De secunda contrariorum regula.

Secunda regula talis est: *non est necessarium vtrumq; contrariorum esse in rerum natura.*

(Non est necessarium) sc. ex necessitate *alicuius dependentiæ*, quam ad se invicem habent: (vtrumq; contrariorũ) scilicet *per se*, vt contrariasunt (esse): in *actu*, (in rerum natura:)

Ob. Aristoteles in secundo libro de cœlo, text. 18: planè contrarium dicit; sic enim ait: *si vnum contrariorum sit in rerum natura, necesse est alterum esse*; ergo falsa est hæc regula.

Sol. Aristoteles hic, de contrarijs *accidentibus* seu de contrariis *per se*; ibi, verò de contrariis *per accidens* (id est) de *contrariis subiectis* loquitur; scilicet: de igne & terra: nam si eorũ unũ sit, necessariũ est alterum esse; (necessariũ) dico, non ex aliqua necessitate *dependentiæ* vnius ex altero, sed ex necessitate *dependentiæ alicuius tertii ab vtrisq;*, scilicet mundi, quoniam mundus ex his, tanquam ex suis partibus, constat: cùm ergo *Aristoteles* hic negat esse necessarium; *posito vno contrariorum, ponatur vt alterum*: loquitur de necessitate *dependentiæ vnius ab altero*, id est, unum contrarium, non ita dependet ab altero, ut eo pòsito, & ipsum poni necesse est; cùm verò ibi dicat *Aristoteles hoc esse necessarium*: loquitur de dependentiâ *perfectionis Vniversi ab vtrisq;*; quoniam mundus non potest esse *perfectus*, nisi ambo existant; sed hoc intelligendum est, (sicut dixi) de *elementis*, non *accidentibus contrariis*; nam illa, non hæc, partes sunt mundi; necessitas itaq; de quâ hic loquitur *Aristoteles*, *est absoluta*; de quâ ibi, *conditionata*; scilicet ex conditione perfectionis *Vniversi*.

SECT. 37.

De tertia, quarta, quinta, Contrariorum regula.

Tertia regula talis eſt, *Contraria ſimul non ſunt in eodem ſubiecto*; quam ita intelligas: (contraria non ſunt ſimul) in *actu denominationis*, id eſt, in tam *intenſis* gradibus, ut ambo poſſunt prædicari de ſubjecto eo, nam poſſunt eſſe in *potentiâ*, & *remiſſis* gradibus in eodem ſubjecto, ſcilicet numero.

Quarta verò regula, quæ huic reſpondet, ita ſe habet: *contraria ſimul exiſtunt in iiſdem ſubiectis*, ſpecie ſcilicet, vel genere; *actu*, perfectè, ut *Angelus* albus eſt, & niger *Æthiops*, qui ſpecie cõveniunt: at aliquis eorum *ſimul* albus & niger eſſe nequit.

Quinta regula conſiſtit in eorum diviſione: ſunt autem triplicia:

Alia nempe:

1. *Subiecta eidem generi*, ut album & nigrum eidem generi, & eidem proximo generi ſubjiciuntur.
2. *Subiecta diverſis proximis generibus, contrariis*; quamvis in remoto conveniunt: ut timiditas & fortitudo: nam quamvis ambo conveniunt in genere *habitus*, proximis tamen diſtinguuntur, nam alterum ſubjicitur *virtuti*, alterum vitio.
3. *Genera ipſa*, ut bonum, ideſt virtus, & malum, id eſt vitium, nam hic (ſicut dixi) bonum moris intelligendum eſt.

Ob. Hæc diviſio *Ariſtotelis*, repugnat ejus definitioni: nam definiuntur contraria eſſe, *quæ ponuntur ſub eodem genere*: aut ergo definitio convenit omni: & ſic diviſio nulla eſt: aut non convenit omni, & ſic falſa eſt definitio: adde quod bonum & malum, aut ſunt *ſumma* genera, & tum plura ſunt quam decem: aut *ſubalterna*, & ſic continentur ſub aliis generibus.

Sol. Definitio illa omnibus *per ſe* contrariis convenit, nec tamen falſa diuiſio: non enim voluit bonum et malum ſub nullo genere contineri, ſed ipſa genera eſſe ſumma, non quidem *ſimpliciter*, ſed inter *contraria* genera: nec enim ipſa diuerſis generibus contrarijs ſubjiciuntur, nec alicui eidem quod ſit alicui contrarium: ſunt ergo ſubalterna in ſerie *prædicamenti*, ſumma in ſeriebus *contrariorum*, quoniam non ſunt aliqua contraria genera his ſuperiora.

Sol. 2.

Sol. 2. Aliter responderi potest, quod bonum et malum summa sunt genera, non tamen *prædicamentalia*, sed *moralia*, i. non *absolutè* summa, quæ in prædicamento sunt, sed summa, quæ à *morali Philosopho* considerantur: sicut et corpus, quandoque in prædicamento *substantiæ* (à quibusdam *Philosophis*) *summũ* genus appellatur; non quidẽ *simpliciter* (summum) intelligentibus; sed summum quod in *Physicam considerationem cadit*: sed prior responsio est *Aristoteli* accommodatior: diligenter autem hoc obseruandum, quoniam hic locus quam plurimos *interpretes* mirum in modum torquet.

SECT. 38.

De vsu prædictæ tractationis oppositorum.

Duplex est utilitas huius tractationis, alia scilicet

1. *Prædicamentalis*, quoniam facilius intelliguntur illa huius libri loca, in quibus *Aristoteles* proprietates prędicamentorum assignans, de *contrariis* mentionem facit.

2. *Topica*, quoniam omnes oppositorum species inter loca *topica* recensentur: quarum omnium natura, ex his, (quæ de illis dixit *Aristoteles*) adeoque ipsæ regulæ facilè colliguntur.

Hæc de Oppositis.

De

De Modis Prioris.

SECT. 1.

De modis priorum & primò de iis in genere.

Secundum *post-prædicamentũ* (*modi prioris,*) constituunt: quos ea ratione, hîc tractat *Aristoteles*, quod de *priori* in prædicamentis mentionem fecerat, vt in capite de *substantia*, vbi singularem substantiam *primam* appellauit: & in capite de (ad aliquid,) vbi scientiâ prius scibile affirmat &c.

Nec te moueat, quod hic *Aristoteles* omnes hujus nominis significationes non enumerat quarum, in alijs locis meminit quoniam hic de illis, solum facturus est mentionem, quarum notitia, ad dilucidiorem *prædicamentorum* cognitionem conducere potest; quæ vero hunc ad vsum, conferre non possunt, eas relinquit, non quod minus propriè nominis *prioris*, rationem participant; (nam sunt alia significata æquè propria) sed quòd proposito minus conducant.

Est autem hæc diuisio *prioris*, distinctio *Analogi* in sua *Analogata*: est enim (*prius*) *Analogum*, ea Analogia, quam *significationis* diximus: sunt autem quinque ejus modi quia aliquid dicitur

prius, vel
1 *Tempore.*
2 *Natura.*
3 *Ordine.*
4 *Dignitate.*
5 *Causalitate.*

SECT. 2.

De primo modo prioris, quo prius tempore *aliquid dicitur.*

Primus modus *prioris* est prius *tẽpore*, & hoc maxime propriũ hujus nominis signi(catum est: & ab *Arist.* illud esse definitur; *secundum quod*

alterum altero antiquius, vel vetustius esse dicitur, antiquitas enim prioritatem (vt ita dicam) *temporis* designat; facilius & clarius definiri potes prius tempore, esse id, quod *prius altero generatur: seu quod est prius via generationis.*

Hujus tamen modi est duplex gradus, prior *existentiæ*, posterior *generationis.*

Prius *tempore*, quoad *existentiam* dico *quod desinit existere, priusquam alterum esse incipit:* sicut tempore priorem dicimus, *Pythagoram Aristotele:* quòd antequam natus est *Aristoteles*, mortuus est *Pythagoras.*

Prius *tempore* quoad *generationem* appello, *id quod altero prius generatur, quamuis cum eo existat*, & hac ratione *Platonem* priorem *tempore Aristotele* dicimus, quod quamuis simul vixerunt, prius tamen natus fuit *Plato* quam *Aristoteles*; vnde patet omne quod est prius *existentia*, esse prius *generatione.*

SECT. 3.

De secundo modo prioris; *& primo de distinctione nominis ambigui* (*naturâ* prioris.)

Prius autem *naturâ* dicitur dupliciter, sc.

1 *Effectiuè*, seu *causalitate tantum*, quod quidem licet cum effectu conuertatur in *essendo*, est tamen ipsum causa ejus: sicut rationale est prius naturâ homine, & homo risibili, & sic est quintus modus, de quo dicemus.

2 *Consequutione* & *causalitate:* quod sc. non modo est causa alterius; verum talis, vt ab ea ad alterum affirmatiuè duci non potest consequentia, sed rectè negatiuè; sicut animal est prius homine, homo *Socrate.*

SECT. 4.

De definitione eius quod est prius naturâ, in consequutione.

Prius *naturâ* aliquo illud definitur: *à quo non conuertitur essendi consequutio*, id est, à quo ad alterum cum quo comparatur, non conuertitur consequentia essendi, (id est) quo ex altero posito, in esse ipsum ponatur,

tur, non vero è conuerſo. hoc prius *natura quoad conſequntionem* appellatur.

Vt autem dicamus explicatius: ſi è duobus propoſitis indicare velis quod natura prius ſit, quod poſterius; ſi vno eorum poſito, alterum ponatur, non è conuerſo: tum illud quo poſito alterum non ponitur, eſt prius *naturâ*: (verbi gratia) homine poſito ponitur animal, at animali poſito non ponitur homo: ideoque non eſt conuerſio conſequentiæ; ergo per hanc definitiuam regulam; animal eſt prius homine *naturâ*.

Ob. Ab albedine ad parietem, non conuertitur eſſendi conſequentia, quia non ducitur argumentum ab albedine ad parietem: vt albedo eſt ergo paries eſt; nec tamen eſt prius natura pariete, cum paries ſit ſubſtantia, albedo accidens, ergo falſa eſt definitio.

Sol. Non cõuerti eſſendi conſequentiã bifariam dicitur, nimirum vel

1 *Negatiuè*, quomodo inter ea dicitur, *non conuerti eſſendi conſequentiam*, inter quæ omnino eſt conſequentia; ſicut inter albedinem & parietem: nam à neutro eorum ad alterum recte dicitur conſequentia.

2 *Priuatiuè* quomodo inter ea non dicitur duci eſſendi conſequentia in quibus eſt quidem ex altera parte conſequentia, non vero eſt ex altera; id eſt, quorum vnum ex altero in *eſſe* conſequitur, ſed non è contra: nam in talibus dicitur eſſe *conſequentia*, ſicut in homine & animali, ſed non *mutuitas*, ſeu *conuerſio conſequentiæ*; & in hoc ſenſu, non in priori accipiendum (non conuerti conſequentiam eſſendi.)

Ob. Brutum eſt prius natura *Socrate*, nam eſt ſimul cum homine; quia ſunt ſpecies diuidentes idem genus: homo verò eſt prior natura *Socrate*, ſicut ex definitione patet: non tamen poſito *Socrate*, ponitur brutum; mala ergo definitio eſt, aut definitionis ſenſus.

Sol. Prius aliquod dicitur altero *natura*, duplicitèr; vel reſpectu ſc.

1 *Conſtitutionis ſuæ*, quod quidem in ſua natura prius conſtituitur, quam alterum in ſua: & ſic quidem eſt prius *natura* brutum; quam *Socrates*.

2 *Ordinationis ad alterum*, quod non ſolum in ſe prius eſt, ſed & ipſum conducit ad eſſe ejus, quo prius eſſe dicitur: & in eo ſenſu hic accipitur: cum autem brutum nullam habet talem connexionem cum *Socrate*, non prius *natura* dicendum eſt: adde quod (ſicut notauimus) prius hic *natura*, non in *genere* definitur, ſed illud ſolum, quod prius *natu-*

rà quoad *consequutionem* diximus, non verò quoad *constitutionem* aut quoad *effectum*.

Ob. A superficie ad lineam ducitur essendi consequentia; nam non potest superficies esse sine linea, cum linea sit ejusdem terminus communis: sed non conuertitur essendi consequentia à linea ad superficiem: nam non sequitur linea est; ergo superficies est: non tamen est linea *prior*, sed *simul natura* cum superficie, cum sint species ejusdem generis, docente *Aristotele* in capite sequenti, ergo.

Sol. Superficies & linea & cætera quæ similem rationem induere videntur: vt numerus binarius, & cæteræ species numeri dupliciter possunt respici,

vel scilicet
- 1 *Respectu communis naturæ generis*, quam cum simul participant omnes ejusdem generis species; hac ratione *simul* esse dicuntur.
- 2 *Respectu propriarum naturarum* quam vna, prius alterâ potest habere: itaque si ad se invicem quoad naturas suas proprias conferantur, vna sane est prior alterâ: at si quoad naturam generis, sic simul sunt: & illud intelligit *Aristoteles*.

SECT. 5.

Quæ conditiones requiruntur, vt quid quoad consequutionem prius natura esse dicatur?

Duæ autem conditiones requiruntur vt aliquid prius altero *natura* quoad *consequutionem* sit:

Altera nimirum
- 1 *Affirmatiua*, vt sit causa ejus & quod alterum quoad essendi consequutionem ab eo necessario dependeat: vnde hac conditione in priori, *causalitatem*: in posteriori, *dependentiam*, in vtrisque vero quandam *ordinationem* vnius ad alterum requirimus, vnde illud quod respectu alterius rationem nullius causæ habet, non potest eo dici quoad consequutionem *natura prius*.
- 2 *Negatiua*, vt non conuertatur ab ipso ad alterum essendi consequentia, non enim quælibet causa alterius quoad *consequutionem* prior esse dicitur; (quamuis omnis sit *effectione* prior) sed illa solum, qua posità, non ne-

cesse

ceſſe eſt poni alterum cuius eſt cauſa, nam ſi quæ cauſa tam neceſſariam habeat mutuamque cohærentiam, vt eâ poſitâ, neceſſariò ponatur effectus, non ea, (hoc modo) prior *naturâ* eſſe dicitur: nam cauſa cum effectu conuertibilis, ad quintum modum prioris, & non conuertibilis cum effectu ſolo, ad ſecundum modum referenda eſt.

SECT. 6.

De tertio modo prioris, qui eſt prius ordine.

Tertius modus prioris eſt *prius ordine*, ſc. docendi; & deſcribitur, illud eſſe *ordine prius*, quod *in tradendis diſciplinis vel ſcientiis prius cognoſcendum diſcenti proponitur*. ſicut in *Grammatica* literæ priores ſunt ſyllabis; & in *Rhetorica* exordium narratione, &c. quam autem ſit multiplex hic docendi ordo, non eſt hujus loci explicare; in libro enim de *Methodis*, de ejus generibus diximus.

SECT. 7.

De quarto modo prioris, ſiue de eo quod eſt prius dignitate.

Quartus modus prioris, ab *Ariſtotele* aſſignatus, eſt prius *dignitate*, eſtq; hic modus duplex, aut enim eſt *prius dignitate*, quod ex ſeipſo, aut ſuapte natura tale eſt, ſicut homo ſtudioſus *reipſa* melior eſt vitioſo: & *Deus* omnibus rebus: aut quod tale eſt *exiſtimatione* & *opinione* hominum, quomodo quod nobis charius eſt quamuis in ſe excellentius non ſit, melius eſſe dicimus: horũ autem duorum modorum, ille *abſolutus* & *firmus* eſt; hic *variabilis*, cum idẽ (hoc pacto) diverſorum reſpectu & *prius* & *poſterius* dici poteſt. Vnde ille, modus *excellentiæ* & *perfectionis*; hic verò, *honoris* & *æſtimationis* proprie nominari poteſt: Excellentia autem ex qua res *abſolute priores dignitate nominantur*,

Duplex eſt: alia *eſſentiæ* alia *habitus*,

1 *Eſſentiæ*, quo pacto res dicuntur *excellentiores*, quæ naturas perfectiores habent; ſicut Deus Angelis; Angeli hominibus.

2 *Habitus* quomodo res *excellentiores* nominantur, quæ habitibus *excellentioribus* ſunt præditę, quamuis *natura æquales* fuerint, ſicut homo ſtudioſus, vitioſo eſt *excellentior*.

SECT. 8.

De quinto modo prioris, siue de eo quod prius est quoad affectionem

Quintus modus prioris quem adjecit superioribus *Aristoteles*: est quem, *prius natura* quoad *affectionem* vel *causalitatem* diximus; quomodo ea priora naturâ dicuntur, quæ sunt aliorum *causa*, ita tamen vt cum illis conuertantur, nam si aliquid sit *causa* alicujus, & non conuertatur cum eodem: erit prius quidem naturâ, sed *consequutione*, non *effectione*: (id est) erit secundi modi prioris non hujus quinti; itaque hoc modo causæ rerũ cõuertibiles priores illis esse naturâ dicuntur: & hoc modo definitio est prior definito; & differentia proxima, specie: & ipsa species, sua passione; vnde duo requiruntur vt aliquid hoc modo sit *natura prius*.

1 *Causalitas*, vt causa sit alterius.

2 *Conuertibilitas* vt conuertatur cum eodem (id est) tanto nexu cohæreant, vt si vnum existat, necessarium sit alterum existere: vt rationale & homo: homo & risibile: per quam à secundo distinguitur.

SECT. 9.

De distinctione horum modorum inter se, & de modis posterioris.

Notandum autem hos modos distingui inter se ratione *formæ*, non *subiecti*: (id est) non ita distinguuntur, vt sc. vnum, pluribus horum modorum non possit esse prius; nam est homo prior *Socrate*, tum *naturâ*, tum *tempore*; & *Deus* omnibus, *naturâ*, & *dignitate*; sed distinguuntur (sicut dixi) *forma* & *ratione*: quoniam idem, secũdum *eandem rationem*, non est prius *naturâ* & *tempore*, sed secundum *diuersas*: sicut in lacte distinguuntur albedo & dulcedo, non quidem *subiecto*, quoniam eidem insunt, sed *propriis suis rationibus & essentiis*.

Deinde notandum, quod si quinque sunt modi *prioris*, ita etiam & *posterioris*, quos non expressit *Aristoteles*: quòd necessariò ex dictis colligendi sunt; cum prius *relatiuè* oppositum sit posteriori: quot autem modis vnum oppositorum accipiatur, tot alterum: (iuxta peruulgatam *Dialecticorum* regulam.) Atque ita de modis quinque prioris dictum est, quorum primus est *durationis*, secundus *consequutionis*, tertius *doctrinæ*, quartus *præstantiæ*, quintus *effectionis*.

De

De Modis Simul.

SECT. 1.

De modis simul, *& primò de primo modo qui est* simul tempore.

Quod autem admonuimus de modis *prioris*, etiam de modis *simul* obseruandum est; sc. non omnes enumerari hoc in loco significationes ejus, nam plures alijs in locis *Aristoteles* assignauit; sed eas omnes, quæ ad prædicamentorum intelligentiam conferant; sunt autem illæ duæ

in genere, *simul* { 1 *Tempore.* 2 *Natura.*

Simul autem tempore dicuntur ea, quorum ortus est in eodem tempore; quam definitionem ita intelligas; (simul tempore sunt) ea singularia generabilia, (quorum ortus seu generatio) nam non ortus *loci*, sed *naturæ* intelligitur: (est in eodē tempore) *inclusiuè*, non *adæquatè*: (id est) in temporis termino, (nulla enim generatio in tempore est) id est *successiua* pro duratione *temporis*, sed *indiuisibilis* pro ratione *terminī* temporis, id est, instantis, in quo est: dicitur tamen esse in *tempore*, quia est in *instante* quod est in *tempore*: hic ergo modus hic definitus est singularium; vniuersalia autem omnia *simul tempore* esse dicuntur, sed non ratione *generationis*, sicut singularia, quæ in eodem tempore oriuntur; sed ratione *existentiæ*, quia licet nunquā *generantur* vniuersalia; tamen *existunt* in eodem tempore, & hac ratione dicuntur esse *simul tempore*, sicuti singularia, quæ generantur in eodem tempore. Et hoc in sensu dicimus speciem & proprium, genus & speciem, *simul esse tempore*, scilicet in eodem tempore *existentiæ* non *generationis*.

SECT. 2.

De secundo modo Simul, *qui est* simul natura *per relationem.*

Modus autem secundus generalis qui est *simul natura*, duplex est, vel { 1 Ex *Relatione.* 2 Ex *Diuisione.*

Simul

Simul natura quoad *relationem* definiuntur esse, *ea correlatiua, quæ reciprocantur in argumentatione:* nam dupliciter reciprocantur correlata, & quoad *essentiam* vt pater est filij pater, & filius est patris filius, &c. nam in ea conuersione habitudo essentiæ correlatorum consistit; & hæc reciprocatio in propositionibus exercetur: reciprocantur etiam quoad *existentiam*, vt pater est, i. existit, ergo filius est; & è conuersò hac autem reciprocatione ostenditur *coexistentia* correlatorum, & exercetur per argumentationem: harum autem reciprocationum prior fit in *obliquis* casibus, & ita est propria *relatiuorum*; posterior in *rectis*, adeoque quibusdam *absolutis* rebus conueniens, quâ si vnum sit (id est) *actu* existat, alterum esse, i. *actu existere* concluditur: sed neutiquam alterum est causa alterius, scilicet *procreans*, sed sunt sibi inuicem *conseruantes* causæ. Adde secundo *nec ambo effectus eiusdem tertii*, sc. procreantis.

Vnde tria requirnutur vt aliqua simul sint naturâ, nimirum

1 *Dependentia* ex se inuicem quoad *existentiam*, vt reciprocentur in argumentatione: quâ, si vnum sit, alterum esse *necessario* concluditur.

2 *Independentia* ex se inuicem quoad *procreationem:* vt vnum non sit causa *procreationis* alterius.

3 *Independentia* ex eodem tertio: vt ambo ab eodem tertio, tanquam à causa producente non dependeant: (producente) dico, nam sicut relata dependent à se inuicem, tanquam à causa *conseruante*, ita ab eodem genere relationis dependent, tanquam à causa *constituente*; hęc enim vltima particula definitionis (nec ambo effectus ejusdem tertij) *consultò* adjicitur, ad excludendas ejusdem speciei passiones: vt (verbi gratia) flebile & risibile conuertuntur in argumentatione, nec sibi inuicem causæ sunt, sed ambo effectus ejusdem tertij, sc. hominis.

Secunda autem particula, (vt vnum non sit causa alterius) adjecta est ad ea excludenda inter quæ, est ordo *causæ* ad effectum, quantumvis conuertantur: vt rationale & homo, homo & risibile, nam rationale est causa hominis, homo risibilitatis, ex his itaque patet correlatiua & omnia & solum (hoc modo) *simul esse natura.*

SECT. 3.

De tertio modo simul, qui est simul natura per diuisionem.

Tertius modus *simul* est eorum, quæ *simul natura* diximus esse, ratione

ratione *diviſionis*, & ita definiuntur.

Simul natura per diviſionem ſunt ea, quæ ex eodem genere contradiuiſa ſunt.

Quam definitionem ita brevitèr intellige; (ſimul natura ex diviſione ſunt ea) eę ſcilicet ſpecies, eæquè differentiæ (quæ ex eodem genere contradiviſæ ſunt) ſcilicet quæ ſunt oppoſita membra ex diviſione generis; ſic (hoc modo) ſimul ſunt & *ſpecies*, quæ idem genus dividunt, vt homo & brutum, quæ ſunt quaſi *materialia* membra in diviſione generis; atque etiam *differentiæ* per quas genus dividitur in ſpecies; vt rationale & irrationale: quæ ſunt in diviſione quaſi membra *formalia:* dividitur enim genus in ſpecies per differentias: nam in diviſione *obiectum diviſionis* circa quod verſatur, id eſt, id quod dividitur, genus eſt: *terminus* diviſionis ad quem progreditur, id ſcil. *in quod* dividitur, *ſpecies eſt*: at inſtrumentum & *medium* diviſionis, id ſcil. *per quod* dividitur; differentia eſt.

Vt vero aliqua ſint ſimul naturâ quoad *diviſionem*, tres conditiones requiruntur, ſcil.

1° *Diviſio eiuſdem generis:* vt ſint membra dividentia idem genus.

2° *Oppoſitio in diviſione*, vt ſint membra dividentia non ſibi invicem *ſubalternata*, (ſicut homo & animal ſunt membra corporis, quorum vnum continetur ſub altero;) ſed ſibi invicem *oppoſita* & *contradiviſa*.

3° *Æqualitas*, & *immediatio diviſionis*: vt ſint membra, non ſolùm ſibi invicem *oppoſita*, (nam ſic homo & planta ſunt, cum tamen ſimul natura non ſunt,) ſed vt æquali jure, id eſt, æquè primò, & *immediatè* ipſum genus dividant, id eſt brevitèr, vt ſint membra *immediatè* dividentia genus, ſibi invicem è regione reſpondentia, id eſt, (ſicut dixi) immediatæ ſpecies, vel immediatæ differentiæ alicujus generis.

SECT. 4.

Quomodo accipiendum, ſpecies vel differentias ſimul eſſe natura?

At de multis ſpeciebus dubium eſſe poteſt: nam *tactus* eſt

prior cæteris ſpeciebus ſenſus, docente *Ariſtotele* 2° libro de Partibus, animal. text. 8. & motus localis cæteris ſpeciebus motus, 8 Phyſicorum, t. 58. & linea prior ſuperficie: & numerus binarius prior ternario: ſed quomodo hoc intelligendum ſit, *ſpecies eiuſdem generis ſimul eſſe natura* ſupra diximus: eſſe ſimul, ſcil. reſpectu *naturæ communis generis*, quia æquè primò, & ſine ordine ejus naturam participant, quamvis ſi reſpiciamus proprias earum & ſpecificas naturas, vna prior altera eſſe poteſt: ſimiliter & reſpectu generis ipſæ differentiæ *natura ſimul* dicuntur, cum tamen quandoque inter ſe vna ſit prior altera; diverſo tamen modo à ſpeciebus; ſpecies enim quia æquè naturam generis participant; differentiæ autem, quia æquè primò dividunt.

Hæc de Modis Simul ſufficiant.

De Motu.

SECT. 1.

De motus generibus, & primò de ambigui nominis Motus *distinctione*

Duplex est significatio hujus nominis *motus*

1 *Materialis*, & sic *Motus* nihil aliud est quàm forma *fluens*, & procedens ab agente, & movente, in patiens, & movens: sicut calor fluens ab igne calefaciente in aquam calefactam.

2 *Formalis*, & sic *motus* est ipse *fluxus* vel processio formæ, ab agente in passum; sicut ipsa aquæ calefactio, quâ continuè & successivè calor in aquam derivatur, & hæc distinctio (quam tradidimus de *genere*,) etiam ad *species* motus applicanda est: vt generatio vel pro formâ *inductâ*, vel *inductione* formæ: augmentatio vel pro *inducta* majore quantitate, aut ejus *inductione* sumatur: & sic de cæteris speciebus.

SECT. 2.

Motum variis modis acceptum, variis modis in Prædicamentis collocari.

In motu etiam tria spectare possumus, (quod etiam in singulis motus speciebus intelligendum est,) nempe

1 *Materiam*, & sic motus *species* eodem modo sunt in prædicamento, atq; eorum *termini*; nam (hoc modo sicut dixi) motus non est aliud quam forma aliqua per fluxum tendens ad majorem perfectionem; sic generatio eodem modo est in prædicamento substantiæ, atq; inducta forma; & augmentatio & diminutio in prædicamento quantitatis, atque ipsæ quantitates inductæ: &c.

i. *per se*, cum (sicut dixi) ab ipsis terminis non *essentiâ*, sed solùm *perfectione* distinguantur.

2 *Formam*, & sic ejus species sunt *reductivè* in ijs prædicamentis, in quibus sunt earum termini *ad quos*: nam hoc modo non est ipsa forma *procedens*, sed *processio* formæ, vnde & gratiâ formæ ad quam terminatur,

revocari dicitur ad prædicamentum & ſedem formæ.

3 (*Menſuram*, & ſic ejus ſpecies, (quatuor ſaltem) ſunt in prædicamento *quantitatis*; menſura enim earum tempus eſt: & in hoc ſenſu intellige tempus revocari ad prædicamentum quantitatis, ſicubi illud apud quoſdam *Philoſophorum* legeris.

SECT. 3.

Quam variè apud Ariſtotelem *nomen* motus *ſit acceptum.*

Vt autem *Ariſtoteles*, (qui in enumerandis ſpeciebus *motus* ſibi-ipſi videtur inconſtans) ſibi-ipſi concilietur, obſervandum, quod motus *formalitèr* ſumptus, (nam iſta acceptio huic loco maximè convenit,)

duplicitèr accipitur, vel pro

1 *Progreſſu* alicujus rei à *potentia* eſſendi ad *actum* eſſendi, ſive ſit *ſucceſſivus*, & in tempore, ſive *indiviſibilis*, & in inſtanti; & ſic ab *Ariſtotele* capitur, 3°. *Phyſ.* & in hoc loco, vbi ſex ejus ſpecies recenſentur.

2 *Tali progreſſu continuo & ſucceſſivo*, quo aliquid ſucceſſione quadam (pars poſt partem) à *potentia* evadit in *actum*; & ſic accipitur, 5. *Phyſ.* cum negentur generatio & corruptio eſſe motus.

SECT. 4.

Quibus modis definitus ſit motus ab Ariſtotele?

Sicut autem ab *Ariſtotele* diverſis modis ſumitur, ſic etiam & diverſis modis definitur, ſecundum aliam & aliam ejus acceptionem: & reſpectu,

ſcilicet

1 *Subiecti*, quomodo in priori acceptione ſumptus definitur: 3. Phyſ. t. 6. *Motus eſt actus entis in potentia, vt eſt in potentia*; & ſic, & *indiviſibili*, & *ſucceſſivæ* mutationi convenit, vt docet *Ariſtoteles*, & modo nos dicemus; hæc (inquam) definitio datur per *ſubiectum*, nam ens in *potentia*, eſt *ſubiectum* motus.

2 *Terminorum* inter quos fit, & ſic in poſteriori ſignificatione

nificatione definitur 5. lib. t. 9. *motus est mutatio à subiecto ad subiectum*, i. ab ente positivo, ad ens positivum; nam ibi per subjectum, non subjectum *inhæsionis*, sed *terminationis* intelligendum est; ista autem definitio cæteris tantum quatuor speciebus, non autem generationi & corruptioni convenit: quòd hæ mutationes non sunt inter entia *positiva*, sed *privativa*, formam sc. & ejus privationem: (sicut modo exponemus.)

Ex quibus patet, *motum*, hoc in loco, in *priori* sensu esse accipiendum, cum ita acceptus, generationem & corruptionem comprehendat; non autem *posteriori*: quibus autem differentijs distinguatur à motu generatio, non est hujus loci explicare, transcendit enim *logicum* negocium; de his autem rebus, partim in lib. de *naturâ motus*, partim in libris de *generatione*, fusiùs & subtiliùs disputavimus.

SECT. 5.

De definitione motus, eiusque explicatione, primò autem de primâ ipsius definitionis particulâ.

Quamvis autem subtilior explicatio definitionis motus, perinde atque ipsa definitio, ad *physicam* disciplinam spectet; placet tamèn aliquam afferre expositionem, vt tibi defectus interpretum (qui in hujus explicatione rari sunt) suppleatur: præcipuè quod eorum quamplurimi, sive ob *negligentiam*, sive ob *naturalis philosophiæ ignorantiam*, hanc motus tractationem sine multis erroribus non reliquerunt; definitio *Aristotelis* ejusmodi est: *Motus est actus entis in potentiâ, vt est in potentia*: (motus est *actus*.)

Actus autem triplex est, alius

1 *Essentiæ*, qui *primus actus* nominatur à *Philosophis*; & sic forma substantialis rei nominatur *actus*, vt anima hominis.

2 *Operationis*, qui ab ijsdem *secundus* appellatur: & sic actiones formam rei consequentes *actus* eius nominantur, vt ratiocinatio hominis.

3 *Tendentiæ passivæ*, & *progressionis*, quo scil. aliquid tendit ad aliquid recipiendum, ideoque tenden-

tiam *passivam* dixi; nam etiam per actum *operationis* tendit in aliquod ipsum agens, sed *activè* non *passivè*, ad aliquid *producendum*, non ad aliquid *recipiendum*; *actus ergo nihil aliud est, quam tendentia & progressio rei ad aliquod recipiendum.*

Vt autem hoc meliùs percipiatur, observandum est duplicem esse actum,

Alius enim est

1 *Completus*, quem totum simul subjectum possidet, sicut est in igne *essentialis*, ejus forma; *accidentalis*; ejus calor; & talis *actus* motus non est.

2 *Incompletus*, quem totum simul subjectum non habet, sed partem post partem recipit, & talis *actus* motus est: motus enim est *actus* rei mobilis, nec *ante* motum, cum quiescat in *termino à quo*, nec *post* motum, cum quiescat in termino *ad quem*; sed tantùm dum movetur; nam priusquam subjectum moveatur, est in actu *completo*, dum tamen movetur, est in actu *incompleto*, tum ex parte ipsius *motus*, cui nunquam toti *simul*, sed partibus ejus *successivè* subest: tum ex parte *formæ* acquirendæ per motum, dum ejus partes successivè recipiat; sed continuò dum movetur aliqua pars formæ, est acquisita mobili, secundum quam est in *actu*: aliqua verò requirenda secundum quam est in *potentiâ*; vnde motus est medium inter actum & potentiam, vel actus *permixtus* potentiæ dici jure potest: exempli gratiâ, (vt illud quod diximus exemplo facilius reddamus,) est calefactio, aquæ *motus* & alteratio ejus, vnde & aquæ *actus* dicitur, non quidem *ante* receptionem caloris, i. priusquam aliquem calorem acquisivit; nec *post* receptionem caloris, i. cum totum calorem acquisiverit, sed tantùm *in* ipsa receptione, i. dum progrediatur à frigiditate ad calorem; nam *ante* receptionem est in *completo* actu *frigoris*, & *post* totius caloris receptionem est in *completo* actu *caloris*: at dùm adhuc moveatur, i. dum calefit, & dùm est *in* ipsa receptione caloris, est in actu *incompleto*, quia nec est perfectè in termino *à quo*, nec in termino *ad quem*, sed quasi in medio, & progressione ab vno ad alterum.

Ob. Si omnis modus actus sit, tum aut primus, aut secundus: non primus, quia non est forma substantialis: nec secundus, quia est aliquis motus, sc. generatio prior forma substantiali, i. prior primo actu, ideoque secundus esse non potest, ergo non est actus.

Sol. Motus est & actus *secundus*, respectu *principii* à quo profluit, sicut generatio respectu *generantis*; & *primus* actus, ratione *termini*, qui per ipsum efficitur; sicut generatio respectu *generati*, nec tamen est

forma

forma ſubſtantialis: forma enim eſt primus actus *eſſentiæ*, motus autèm primus actus *acquiſitionis*: ſicut enim per formam, res aliqua *conſtituitur* primò, ita per motum, primò terminus *ad quem* in ſubjectum *inducitur*.

SECT. 6.

De terminis duobus motionis.

Ne aliquam confuſionem pariat nomen terminorum, obſervandum terminum *à quo* illud eſſe, *quod per motum amittitur*: terminum *ad quem*, *quod per motum acquiritur*: ſicut in calefactione aquæ, frigus amittitur, hoc ergo eſt terminus *à quo*; acquiritur autem calor, ille ergo eſt terminus *ad quem*: & ſic de cæteris motionibus; nam cum omnis motus duo denotet, *diſceſſum* ſc. ab vnâ re, quæ *amittitur*; & *acceſſum* ad aliam, quæ *acquiritur*; neceſſarium etiam eſt, vt duo ſint motus termini, alter ex parte *diſceſſus*, qui eſt terminus *à quo*; alter ex parte *acceſſus*, qui eſt terminus *ad quem*: vnde & optimè, ille *receſſionis*, hic *acceſſionis* terminus appellari poteſt.

SECT. 7.

De explicatione ſecundæ particulæ ipſius definitionis motus.

(Entis in potentiâ) non eſt enim motus actus cujuſlibet entis, ſed ſolum (entis in potentiâ.)

Eſt autē *potentia* triplex, vel

1 *Obiectiva*, quæ à *Philoſophis* dicitur potentiâ *ad eſſe: quâ id quod non eſt, poteſt eſſe*: vt homo nondum generatus.

2 *Activa*, quæ dicitur potentiâ *ad agere: quâ id quod eſt, poteſt agere*: vt homo ſilens ad loquendum.

3 *Receptiva*, quæ nominatur potentiâ *ad formam*: *quâ id quod eſt, poteſt aliquod recipere*: vt aqua ad calorem, nam licet aqua ex ſe, non habet *vim efficiendi* calorem, (cum ſit frigida) habet tamen *potentiã patiendi*, & *recipiendi* calorem.

Eſt autem motus, *actus*, & entis in potentiâ *activâ*, & entis in potentiâ *paſſivâ*, i. & moventis, & mobilis; ſed diverſâ ratione: nam eſt actus *internus mobilis*, quia illi *inhæret*: *externus* moventis, quia ab ipſo *profluit*: mobilis (inquam) vt *ſubiecti*; moventis vt *principii*:

quamvis

quamvis autem idem motus sit vtriusque *actus*, tamen ratione moventis nominatur actus *productionis*, quoniam movens per ipsum *producit* aliquem effectum: ratione mobilis actus *receptionis*, quoniam mobile per ipsum *recipit* effectum; in hâc tamen definitione per (ens in potentiâ) intelligendum, non quidem ens in potentiâ *activâ*, quod potest *movere*, sed ens in potentiâ *passivâ*, sc. quod potest *moveri*: quod hic *Aristotelis* sensui melius respondeat.

Ob. Alteratio est actus entis in actu, sc. corporis, docente *Aristotele*: lib. 1. de Gen. t. 23. ergo omnis motus non est actus entis in potentiâ.

Sol. Alteratio, sicut & cæteri motus, sunt actus entis in actu *actualitate existentiæ*, nam actu existunt subjecta omnis motus: sunt tamen actus entis in *potentia ad terminos* motus: vt aqua dum alteratur in calefactione, est ens quidem in *actu* quoad *existentiam*; est enim aqua in actu; ens tamen in *potentia* est ratione *termini ad quem* movetur: nam non est actu *completo* calida; sed potest esse; sic deambulatio in homine est *actus* quidem ipsius hominis, qui subsistentiam *actualem* habet; qui tamē est in *potentia* ad locum, ad quē deambulat, & non *actu* habet: i. ad terminum motionis: intellige ergo, hoc in loco, per (ens in potentiâ) ens in potentiâ ad *terminum* motus.

SECT. 8.

De expositione tertiæ particulæ definitionis motus.

(Vt est in potentiâ) est enim motus actus entis in potentiâ, non secundum quod *quiescit*, sed secundum quod *tendit* ad perfectiorem terminum,

duplex enim potentia est ad terminum motus, vel

1 *Mediata*, quæ motum antecedit, sicut aqua quæ nondum est in calefactione, dicitur esse *in potentia* ad calorem.

2 *Immediata*, quæ ipsi inductioni formę conjungitur, terminum autem ipsum antecedit; prior ergo potentia est ad motum, tanquam ad *viam* & *medium*: & ad terminum motus, tanquam ad *finem* & *perfectionem* medij: posterior est ad *terminum* motus tantùm, non ad *motum*; sicuti aqua dum est in calefactione, non dicitur esse *in potentia* ad *calefactionem*, sed solum ad *terminum* calefactionis, i. ad calorem.

Cum

Cum ergo dicamus motum esse *actum entis in potentiâ*, intelligimus vt est *in potentiâ immediatâ*, ad terminum solummodò motus; non autem ad motum ipsum: nam (sicut dixi) motus non est actus alicujus rei, nisi secundùm quod actu tendit ad vlteriorem terminum.

SECT. 9.

Applicatio brevis dictorum ad propositam definitionem Motus.

Definitionem ergo ab *Aristotele* propositam, cõmodissimè sic intelligere potes, (Motus est actus) tendentiæ sc. ad aliquid recipiendũ, internus & imperfectus, (entis in potentiâ) non *activâ*, sive *obiectivâ*, sed *receptivâ* (secundùm quod est in potentia) sc. immediata, i. secundùm quod ordinatur immediatè ad terminum motus; quamvis concedi possit motum esse actum entis secundùm quod est in vtraq; potentiâ, sc. actus *terminativus* quantum ad *remotam*; actus *informativus* quantum ad *immediatam* potentiam: sed subtiliora ea sunt, quàm quæ huic disciplinæ conveniant: id tamen colligi potest ex ijs quæ diximus, esse motum nihil aliud quam *actum quendam recipiendi, quo aliquid acquirit illud ad quod est in potentia.*

Et quidem clarissimum est, hanc definitionem omnibus sex motionis speciebus convenire; nam generatio est *actus* generabilis in quantum generabile, & corruptio *actus* corruptibilis in quantum corruptibile: i. actus, quo id quod potest generari, fit *actu* generatum: & quod potest corrumpi, fit *actu* corruptum; & sic de cæteris speciebus motus.

SECT. 10.

De omnibus causis motionis.

Quatuor (sicut aliarum rerum) motionis sunt causæ:

nempe causa
- 1. *Efficiens*, quæ est movens.
- 2. *Materialis*, quæ est triplex, sc.
  - 1. *In qua*, est mobile.
  - 2. *Ex qua*, est actus.
  - 3. *Circa quam*, est forma fluens.
- 3. *Forma*, est progressio.
- 4. *Finis*, est terminus *ad quem* ipsius progressionis.

SECT. 11.

Motum esse verè genus vnivocum respectu suarum sex specierum.

Non autem credendum est communi opinioni *Dialecticorum*, affirmantium motum esse analogum, non vnivocum; nam quamvis analogum est, ea analogia, quæ *ordinis est*, & *dignitatis*, non tamen analogia *significationis*, quæ solùm vnivocationem tollit: Motus enim localis cœli, *Aristotele* teste, lib. 8. Phys. t. 55. & est prior, cùm sit aliorum causa, & præstantior, cùm sit motus dignissimi corporis cæteris omnibus; eandem tamen participant omnes species motus, & denominationem, & definitionem, æquali enim jure prædicta definitio illis competit.

Ob. Quod autem quidam objiciunt reperiri motum in alijs prædicamentis, ideoq; non esse vnivocum.

Sol. Facilè refellitur. Nam ea ratio de ijs solis concludit, quæ sunt in *rectâ serie* prædicamenti, motus verò *formalitèr* sumptus, (sicut hìc accipitur) non nisi per *reductionem* in prædicamento reponitur.

Ob. At dices, si sit vnivocum, quidni ponatur in recta alicujus prædicamenti serie?

Sol. Respondendum, hoc impedire, non *æquivocationem*, sed *imperfectionem*, cùm non sit quidem ens *perfectum*, sed solùm *via* ad perfectionem.

SECT. 12.

De divisione motus in suas species.

Motus autem (inquit *Aristoteles*) sunt sex genera, id est, sex species, sc. *generatio*, *corruptio*, *augmentatio*, *diminutio*, *alteratio*, & *latio*; est enim omnis

motus

motus vel
- 1. *Indivisibilis*, qui instanti perficitur, & motus *substantialis* dici potest, quia per ipsum mutatur substantia rei; aut
  - 1 Propter *acquisitionem* substantiæ; qui est *Generatio.*
  - 2. Propter *amissionem* substantiæ; qui est *Corruptio.*
- 2. *Divisibilis*, qui in processu temporis ad finem ducitur, qui dicitur *accidentalis*, quia mutatur res per eum, solum in accidentibus, sc. vel
  - 1. In *quantitate*, idq; vel
    - 1. Per acquisitionem *maioris*, & est *augmentatio.*
    - 2. Per acquisitionem *minoris*, & est *Diminutio.*
  - 2. In *Qualitate*, & sic est *alteratio.*
  - 3. In *positione locali*, & sic est *latio.*

SECT. 13.

Dubitationes de hac divisione motus.

Ob. Nutritio est motus, est enim actus quo acquiritur pars substantiæ, & capit prædictam motus definitionem; at non aliquis horum sex: ergo. Ita etiam & digestio: ergo.

Sol. Nutritio omnis est generatio, & digestio est corruptio; ab ijs haud aliter differentes, quam inferiora à superioribus, superaddit enim nutritio generationi *restaurationem deperditi*; digestio corruptioni *restaurationem alimenti.*

Ob. Si nutritio sit generatio, ergo qui nutritur generatur; (à conjugatis tenet) & consequenter homo cùm seipsum nutrit, seipsum generat; quod est ridiculum & absurdum. ergo.

Sol. Nutritio est generatio *partis*, non *totius*; & qui nutritur generatur secundum *partem*, non secundùm *totum*: atq; ita homo sui partem aliquam generat, non totum seipsum generat.

Obſervandum enim duplicem eſſe generationem, alteram
1. *Diſiunctam & perfectam*, quâ aliquid ſibi ſimile in ſpecie producit: ſicut generatio quâ homo hominem generat.
2. *Coniunctam & imperfectam*, quâ aliquid integralē ſui partē generat, & talis eſt nutritio.

Ob. Intenſio & remiſsio motiones ſunt, item condenſatio & rarefactio; non tamen aut *illæ* ſub iſtis ſex comprehenduntur, cùm terminentur ad relativa, ſc. intenſum & remiſſum: cùm tamen ad relationem, non ſit aliquis dictarum ſpecierum motus, 5. Phyſ. t. 1. Aut *hæ*, cùm non ſunt motus locales; terminantur enim ad qualitates, ſc. ad raritatem & denſitatem, nec tamen alterationes, cùm per ipſas ſubjectum moveatur localitèr, acquirendo majorem locum per rarefactionem, minorem per condenſationem, ergo.

Sol. Intenſio & remiſsio alterationes ſunt, (vt ſupra diximus) non tamen *abſolutæ* quibus qualitas ſimplicitèr producitur, cum prius non fuerit; qualis eſt alteratio aquæ â frigore ad calorem; ſed *comparativæ* quibus præexiſtenti qualitati, gradualis aliqua pars vel adjicitur, ſicut per *intenſionem*; vel detrahitur, ſicut per *remiſſionem*; vt cum aqua tepida evadat calida.

Duplex ergo eſt terminus intenſionis & remiſſionis, alter
1. *Materialis*, & talis terminus eſt *qualitas*, ideoq; alteratio eſt.
2. *Formalis*, & talis terminus eſt *gradus* qualitatis, ideoq; comparata alteratio eſt; completus ergo terminus intenſionis eſt qualitas ſubjecta *maiori*, remiſsionis eſt qualitas ſubjecta *minori* gradui; ſunt ergo alterationes, quia earum termini ſunt qualitates; quamvis ſubiectæ relationibus.

Condenſatio etiam & rarefactio *alterationes* ſunt (ſi *eſſentiam* ſpectemus) quia earum termini ſunt *raritas* & *denſitas*, quæ ſunt tertiæ ſpeciei qualitates; ſunt autem *motus locales* (ſi *conſequentiam* reſpiciamus) quia ex acquiſita denſitate, *minor*; raritate, *maior* locus ſequitur; altera enim ſemper *dilatationem* ſubjecti, altera ejuſdem *contractionem* ſequitur: termini ergo condenſationis & rarefactionis *immediati* & *per ſe*, ſunt denſitas & raritas: *mediati* & *per accidens*, ſunt minor et major locus; illi *intrinſeci*, hi *extrinſeci* termini ſunt: vnde fit, vt potius inter alterationes cenſeantur.

SECT. 14.

SECT. 14.

De duplici modo definiendi prædictas motus ſpecies.

Motus autem ſpecies dupliciter definiri poſſunt, vel reſpectu

1. *Subiectorum* ſuorum, ad modum ipſius generis, (cujus definitionem ſuprà explicavimus) et ita definitur generatio, *actus* generabilis; corruptio, *actus* corruptibilis; alteratio, *actus* alterabilis; latio, *actus* loco-mobilis: et ſic in cæteris; intelligendo in omnibus (in quantum ſunt hujuſmodi.)

2. *Terminorum ad quos* tendunt ipſi, et adducunt ſubjectum, et hic modus definiendi magis *Philoſophis* vſitatus eſt, vtpote qui et *explicatior* eſt, et (vt ita dicam) *eſſentialior*, cùm procedat per genus et terminum *ad quem*, qui locum differentiæ ſupplet, diſtinguens motionem cuius eſt terminus ab omnibus aliis: vt nihil ferè facilius ſit, quam auditis ipſis nominibus ſpecierum, eas ſtatim definire, cum maxima ex parte impoſita ſunt iis nomina à terminis ad quos procedunt; ſic calefactio eſt *motus* ad calorem, dealbatio ad albedinem, condenſatio ad denſitatem; et ſic in cæteris.

Ob. Si motus genus ſit, reſpectu earum ſex ſpecierum, vt earum definitionem ingrediatur; aut ergò genus ſummum erit, et ſic erunt vndecem prædicamenta, aut ſubalternum, et ſic erit ſpecies alicuius generis ſummi, et conſequenter directè in aliquo prædicamento collocabitur; at vtrumque falſum eſt, ergo non eſt genus.

Sol. Eſt motus genus, tamen nec *ſummum*, nec *ſubalternum*, quia non eſt *perfectum* aut *prædicamentale* genus: iſta autem diviſio non de *omni* ſimpliciter genere, ſed de *prædicamentali* intelligenda eſt. Vnde errant illi homines, qui eâ diviſione omne genus comprehendi volunt, ſicuti in libro de Vniverſalibus obſervavimus.

SECT. 15.

De definitione Generationis, & eius explicatione.

Vt aliorum definitiones omittamus, ita breviter generationem definiemus. *Generatio est motus materiæ, à privatione formæ substantialis, ad formam substantialem,*

Quam ita brevitèr intellige, (Generatio) sc. simpliciter dicta, (est motus) indivisibilis & instantaneus (materiæ) tanquam subjecti, materia enim prima est omnis generationis subjectum: (à privatione formæ substantialis) tanquam à termino *à quo*, & *recessionis*, (ad ipsam formam substantialem,) tanquam ad terminum *ad quem*, & *accessionis:* vbi tria principia generationis, de quibus *Aristoteles* 1. Phys. eorumq; officium comprehendimus; nam *privatio* est ejus principium quia *inchoat*; *forma* quia *perficit*: *materia* quia *defert* generationem.

Exempli gratiâ, generatio hominis est motus materiæ hominis, sc. corporis à privatione, & *non esse* ipsius animæ rationalis, ad ipsam animam rationalem; ita vt cum forma substantialis (quæ priùs non fuit actu in materia) in ipsam inducitur, tum ipsa forma pariter, & totum quod ex materiâ, & formâ conflatum est, *generari* dicitur.

SECT. 16.

Dubitationes contra ipsam definitionem.

Ob. Si materia sit subjectum generationis, tum materia generatur, (nam accidens inhærens denominat) at non generatur, 1: Phys. text. 82. ergo.

Sol. Aliquid generatur tripliciter, aut sc.

1. *Subjectivè*, tanquam subjectum generationis; & sic *materia.*
2. *Terminativè*, tanquam immediatus terminus generationis: & sic *forma*;
3. *Completivè*, tanquam vltimus terminus generationis, & quod per se existit post generationem; & sic *Compositum* generari dicitur. Vnde subjectum *inhæsionis* respectu generationis, *materia* est; subiectum *denominationis*, *compositum*,

positum est, nam hoc propriè generari dicitur, sicuti & forma cùm hæc incipiant esse per generationem quod autem subiectivè generatur sicut materia, non *simpliciter* esse incipit sed tantùm sub *hac vel illa formâ*: vnde generatio respectu *materiæ* est *progressio*; respectu *formæ*, *inductio*: respectu *compositi*, *productio*.

Ob. Generationem negat esse motum *Aristoteles*, 5. Phys. t. 5. ergo.

Sol. Negat esse motum *continuum* & *successivum*, non *indivisibilem*, & successione carentem; negat esse motum, duobus *contrariis* terminatum, (sicut quatuor illæ species,) motum autem esse *privativis* oppositis concluſum, non negat.

Ex definitione autem prædictâ, facilè colligitur; quam fallax sit illa definitio, quæ (inter *Dialecticos*) circumfertur, quâ definitur esse *progressionem à non ente tali, ad ens tale*; sicut progressio ab ovo ad pullum, vel ab homine ad cadaver: cùm illa progressio non solùm *generationem*; sed etiam *corruptionem* denotet; nam illa recessio à formâ ovi est *corruptio*, illa autem solùm accessio ad formam pulli est generatio; quamvis autem necesse sit in omni generatione mutari materiã ab vnâ formâ ad aliam, sic quòd vna extinguitur cùm alia inducatur, non est tamen extinctio *præcedentis*, de ratione generationis *eius quæ inducitur*, sed amissio prioris ad *corruptionem* spectat, acquisitio posterioris ad *generationem*.

SECT. 17.

De Generatione secundùm quid.

Notandum præter generationem, quæ est generatio *simpliciter*, & *absoluta*; esse aliam, quæ generatio secundùm *quid* nominatur ab *Aristotele*; illa quidem *substantiarum* hæc *accidentiũ* propria est: animadvertendum tamen, non *quamlibet* accidentium productionem, generationem secundùm *quid* nominari ab *Aristotele* (sicut imperiti quidã existimârunt) sed *subitaneam*, solùm, & (quæ instanti mensuratur) accidentium productionem, hâc ratione generationem dici, sicut est productio luminis in aëre, vel specierum coloris in medio, & omnium accidentium, quæ in eodem instanti producuntur cum subiecto: ea verò accidentium productio; quæ est *successiva*, sicut caloris in aquâ, humoris in terrâ, &c: minimè inter generationes habenda est: vnde etiam

patet

patet, non *quamlibet* mutationem ad qualitatem esse alterationem; sed eam solum quæ *successiva* est; nam si in *instanti* fiat, non erit alteratio dicenda, sed generatio.

SECT. 18.

De definitione corruptionis, atq; eiusdem expositione.

Cognitâ autem definitione generationis, facilè est intelligere definitionem corruptionis, quam ita definimus: *Corruptio est motus materiæ à forma substantiali, ad eiusdem privationem*: quam ita intellige, (*Corruptio*) sc. dicta simpliciter, (est motus) sc. indivisibilis et instantaneus, (materiæ) vt subjecti corruptionis, (à formâ substantiali) vt à termino *à quo*, et amisso, (ad ejusdem formæ privationem) tanquam ad terminum ad quem, et acquisitum. Vnde eadem sunt tria principia generationis et corruptionis, *materia, forma, privatio*, quamvis inter terminos sit contrarius processus: nam forma quæ est terminus *ad quem* generationis, est *à quo* corruptionis: cùm autem dico corruptionem esse à formâ, vt à termino *à quo*; id tu intelligas de termino *proximo*, (nam est et ipsum compositum corruptum terminus *remotus* corruptionis,) exemp. grat. Corruptio hominis est motus materiæ humanæ, sive corporis, à forma hominis ad privationem ipsius formæ; sic quod corruptio nihil aliud est quàm mutatio quâ materia aliqua, forma substantiali prædita, eâdem privata redditur; sicuti est mors, quâ materia habens animam, ab ea separatur.

SECT. 19.

Dubitationes contra positam definitionem corruptionis.

Ob. Corruptio vnius est generatio alterius, docente *Aristotele* l. 1. de Gener. et corrupt. t. 17. ergo corruptio est generatio, et consequenter non sunt opposita (sicut *Aristoteles* docet) nam vnum oppositorum non affirmatur de altero.

Sol. Sunt

Sol. Sunt oppoſita reſpectu *eiuſdem*, non *diuerſorum*, ideò non eſt inconueniens generationem vnius rei eſſe *alterius* corruptionem, at generationem vnius corruptionem *eiuſdem* eſſe, eſt impoſſibile.

Sol. 2 Prædicatio eſt triplex,
- 1 *Formalis*, quæ eſt prædicatio alicujus vniverſalis, vt homo eſt albus.
- 2 *Cauſalis*, quæ eſt prædicatio cauſæ vel fundamenti; vt æqualitas eſt quantitas.
- 3 *Cõcomitatiua*, quę eſt prædicatio alicujus inſeperabilitèr rem concomitantis: vt generatio eſt corruptio, vel è contra: ea autem prædicatio ad hunc ſenſum explicanda eſt in *obliquo*, *generatio vnius eſt cum corruptione alterius, & è contra.*

Subjectum autem corruptionis duplex eſt, aliud
- 1 *Inhærentiæ*, id ſc. cui innititur corruptio; & ſic *materia.*
- 2 *Denominationis*, id ſcilicet quod denominat, & ſic *compoſitum* extinctum dicitur ſubjectum corruptionis.

SECT. 20.

De Corruptione ſecundum quid.

Obſeruandum autem quod ſicut diſtinximus generationem, ita corruptionem diſtinguendam eſſe ex *Ariſtotele*, quod alia ſit *ſimpliciter dicta*, quæ eſt ſubſtantiæ extinctio; alia verò *ſecundum quid*, quæ nihil aliud eſt, quam accidentis deletio ſubita; (*ſubitam* dico) nam ſi *ſucceſſiua* fuerit, ad alias motionis ſpecies eſt referenda: quod ſi inſtantanea fuerit, ſiue fuerit ad qualitatem, ſiue ad quantitatem &c. non augmentatio, vel diminutio, vel alteratio appellanda eſt, ſed corruptio: ſicuti eſt in aere (candela extincta) ſubitanea deletio luminis, & ſicuti corrupto homine aliquo, eſt ſubita deficientia paſſionum & ſcientiarum ejuſdem.

SECT. 21.

An generatio & corruptio Genera ſint vel ſpecies infimæ.

Obſeruandum tamen ad hanc quęſtionem diſcutiendam ex *Ariſtotele*

5. lib. phy. t. 31. motus distingui per rationem terminorum *ad quos* vadunt; ita quòd illi motus sunt diuersi genere, quorum termini *ad quos genere* differunt; illi solum diuersi *specie*, quorum termini specie differunt; omnium vero motuum conuenientiam & discrepantiam dependere ex terminorum conuenientiâ, vel dissidio; ex: grat. calefactio, & frigefactio differunt *specie*, quoniam calor ad quem vadit calefactio differt *specie* à frigore, ad quod vadit frigefactio; calefactio autem & augmentatio, non *specie* solùm differunt, sed etiam *genere*, quoniam terminus *ad quem* augmentationis, sc. quantitas, genere differt à calore, qui est terminus calefactionis: Ita etiam & generationes distinguendæ sunt, pro varietate terminorum, i. formarum quæ generantur; ita quod generatio hominis *specie* differat, à generatione bruti, quod ipsum brutum & homo *specie* differunt; generatio autem hominis à generatione lapidis etiam *genere* distinguatur, quòd genericam habet homo à lapide distinctionem: generationes denique duorum hominum *numero* tantùm differunt, quòd ipsi homines generati ita differunt: vnde patet generationem & corruptionem genera esse, non vero imas species.

Ob. Si certa sit ea distinguendi motus regula, tum generatio & augmentatio &c. in nullo genere conuenirent, quòd eorum termini sc. substantia, quantitas, qualitas, in nullo genere conueniunt, & consequentèr motus non est eorum genus.

Sol. Duplex est genus sc.
1 *Prædicabile*, quod de ijs enunciatur, & tali genere non distinguuntur, dictæ motionis species.
2 *Prædicamenti*, & eo quidem distinguuntur, ratione terminorum.

Distinguuntur ergo motiones dupliciter, vel
1 *Intrinsecè*, & essentialibus differentijs suis: atque ita *specie* differre, non genere dicuntur.
2 *Extrinsecè*, ex eorum terminis ad quos accedunt atque ita differunt *genere*, (genere dico) ad quod reducuntur, non vero *cui* directè subijciuntur.

SECT. 22.

De augmentatione, & primò de eiusdem distinctione.

1 *Strictius*, pro extensione viuentium corporum, ex conuersione alimenti, in naturam aliti corporis; atque

fic

Nomẽ *augmentationis* duplicitèr accipitur ab *Ariſtot.* vno modo

ſic de ea diſputat *Ariſtoteles*, 1. l. de generat. & cor. atque 2. l. de Anima.

2 *Fuſius*, pro quacunque additione quantitatis ſiue in viuentibus, ſiue in inanimatis corporibus; & in eo ſenſu, hoc in loco nomen *augmentationis* accipiendum eſt: ſimilis eſt etiam *diminutionis* diſtinctio.

SECT. 23.

De definitione augmentationis, atque eiuſdem explicatione.

Augmentatio eſt motus à minori quantitate ad maiorem quantitatem: quam ita intellige, (eſt motus) ſucceſſivus, non inſtanti menſuratus, ſed tempore; (à minori quantitate) ſc. *magnitudinis* non *virtutis*, (nam talis quantitatis additio etiam qualitatum eſt dum intendantur;) tanquam à termino *receſſus*; (ad majorem quantitatem) tanquàm ad *acceſſus* terminum: ſic quòd augmentatio non aliud eſt, quam rei quantæ additio majoris quantitatis, ſiue fiat per *aggregationem* in diſcretis, ſicut in adjectione lapidis ad cumulum; ſivè per *continuationem* in conjunctis, vt in additione aquæ ad aquam.

SECT. 24.

De definitione Diminutionis, atque eiuſdem explicatione.

Diminutio autem eſt augmentationi planè contraria, nam definitur, eſſe *motus à maiori ad minorem quantitatẽ*: atq; eodẽ plane modo explicanda eſt, quo augmentationis definitio explicata eſt.

Ob. Augmentatio & diminutio non ſunt à contrario in contrarium: quia ſunt ab vna quantitate in aliam, quantitati autem nihil eſſe contrarium ſuperiùs aſſeruit *Ariſtoteles*; at motus eſt à contrario in contrarium 5. lib. phyſ. t. 20. ergo non ſunt motus.

Sol. Quantitati (vt *quantitas*) nihil eſt contrarium, ſed bene vt *terminus* motus, i. major & minor quantitas quoad *inhærentiam* contraria non ſunt, (nam major quantitas non *expellit* minorem, ſed *perficit*:)

ſed quoad *terminationem* ipſius motus.

Ob. Termini motionis ſunt incompoſſibiles, i. ſimul non poſſunt conſiſtere, ſed vno accedente, alter recedit: at minor quantitas poſt augmentationem manet cum majori, nam ridiculum eſt dicere cum homo augeatur, eum totam priorem quantitatem perdidiſſe, & totam de nouo eſſe productam, ergo minor & major quantitas non ſunt termini augmentationis.

Sol. 1. Dixi eſſe contraria reſpectu *motus*, non reſpectu *ſubiecti*: in *motu* ergo ſimul non poſſunt conſtere, ſed vna accedente, altera recedit; in *ſubiecto* autem bene conſiſtere poſſunt.

Sol. 2. Vel aliter dicendum: quod non quantitas *abſolute* ſumpta eſt terminus *ad quem*, ſed quantitas vt *maior* eſt: nec *abſolute* accepta, eſt ejuſdem terminus *à quo*, ſed vt *minor* eſt; licet ergo maneat quantitas præcedens (qua quantitas) ſc. *materialiter*, non tamen *formaliter* vt *minor* quantitas: nam inducta maiori quantitate ipſa (vt ita dicam) *minoritas* amittitur, licet quantitatis *eſſentia*, vt *extenſio*, maneat.

Ob. Augmentationis & diminutionis termini *ad quos*, ſunt ejuſdem ſpeciei; nam *corpus* de prædicamento quantitatis, eſt terminus vtriuſque: hoc autem eſt infima ſpecies, majoritas autem & minoritas cum ſunt relationes, non poſſunt facere quantitates differre ſpecie: ergo augmentatio & diminutio non differunt ſpecie, nam differentia motuum eſt ex differentia terminorum. 5. phyſ. t. 31.

Sol. Duplex eſt differẽtia augmentationis & diminutionis, alia enim eſt
1 *Extrinſeca*, quæ conſiſtit in diuerſitate *terminorum*, & ſic non differunt *ſpecie*, quia ſunt ad eundem *ſpecie* terminum.
2 *Intrinſeca*, quæ conſiſtit in varietate *eſſentialium differentiarum*, & ſic differunt à ſe inuicem *ſpecie*, quia diuerſas habent differentias conſtituentes.

SECT. 25.

De Alteratione, eiuſque definitione & eius explicatione.

Alteratio eſt motus à contraria qualitate in contrariam qualitatem: ad quam definitionem intelligendum, obſeruandam eſt, & *definitum* & *definitionis partes*.

De

De *definito* autē notandum, quod alteratio eſt duplex, altera *immaterialis*, eadēq; *immanens*, qualis eſt alteratio qua humana ab anima ignorātia alteratur ad ſcientiā, qualis etiā eſt alteratio voluntatis, ſeu appetitus, cum perturbationibus affici, *alterarique* dicatur: & hæ, cum non niſi *metaphoricè* motus dicantur, minime huic loco conveniunt; eſt alia etiam materialis, eademque tranſiens, *quæ eſt tranſmutatio rei ſubiectæ ab vnâ corporeâ qualitate in aliam*; & ea acceptio huic labori propria eſt. Ddefinitionem autem ſic intelligas, *Alteratio* ſc. materialis & propria, (eſt *motus*,) ſc. ſucceſſivus, nam ſi inſtantaneus ſit, quamvis ſit ad qualitatem, eſt generatio *ſecundum quid*; non alteratio; (ab vnâ qualitate,) ſc. corporea, i. inhærente corpori, contraria, aut *ſimplicitèr*, vt motus ab albedine in nigredinem; aut ſecundum *quid*, vt à rubedine in albedinem, (in aliam qualitatem) corpoream.

Alteratur autem aliquid aut
1 *Subiectiue*, vt ſubſtantia, quæ eſt ſubjectum.
2 *Terminatiue*, & ſic qualitas quæ eſt *terminus alterationis*, alterari dicitur.

SECT. 26.

De Latione, & primò de ejus definitione & eiuſdem explicatione.

Omiſſis aliorum definitionibus ita à nobis definitur localis motus, *Localis motus eſt motus corporis à loco ad locum, vel circa locum.*

Ad quam definitionem rectè intelligendam, obſeruandum primò duplicem eſſe localem motum.

Alter enim dicitur
1 *Rectus*, qui fit per diametrum ſphæræ, vel *ſurſum* verſus *cœlum*, vel *deorſum* verſus centrum; & hic eſt motus proprius rerum *inferiorum*, quæ naturali vi grauitatis aut leuitatis feruntur, vt ignis, lapis, terra, lignum.
2 *Circularis*, qui fit per circulum circa orbis centrum: & hic eſt proprius *cœleſtium* & æternorum corporum, ſicut ille *caducorum* & *ſublunarium*.

Secundo obſeruandum, vt melius hæc innoteſcant, quod duplex locus eſt alicujus rei, nam alius nominatur locus
1 *Magnitudinis* & *continentiæ*, qui eſt ille locus qui vndecunque continet alicujus corporis magnitudinem, de quo ſupra diximus.

scilicet { 2 *Motionis*, estque hic duplex pro ratione corporum quæ mouentur; namque in rebus *inferioribus* illud dicitur locus *motionis*, *ad quod* feruntur; in *cœlestibus* verò, illud dicitur locus *motionis*, *circa quod* feruntur: vt exem. grat. locus *magnitudinis* terræ, est concaua superficies elementi aquæ, aquæ vero concauum aeris: at locus *motionis* terræ, non est concauum aquæ, sed terræ centrum, quoniam *naturaliter* ad centrum tendit; aquæ autem non concauũ aeris, sed terræ conuexum, quoniam ad terram aqua *naturaliter* dilabitur: in cœlo autem non est animaduertere aliquem locum *ad quem* moueatur, sed solum *circa quem*: quo sensu, centrum terræ (quod grauitatis dicitur à *Philosophis*) diximus esse cœli locum, non quidem *magnitudinis*, quia non continet cœlum, sed ab eo continetur; sed *motionis*, quia circa ipsum mouetur cœlum.

SECT. 27.

De ratione huius diuersitatis in motionibus cœlorum & inferiorum corporum.

Vnde apparet diuersitas localis motionis inter *cœlestia* & *inferiora* corpora, nã *inferiora* dicuntur moueri localitèr, quoniã mouentur à loco vno *in aliũ*, at *cœlestia* ideo moueri dicuntur localiter, quod in eodẽ situ perpetuo manentia, voluuntur *circa locum*; ratio autem quare *inferiora* potiùs quam *cœlestia* ad locum moueantur, hæc assignari potest, quoniam *inferiora* mouentur propter perfectionem *acquirendam*, quæ partim consistit in quiete, (nã hæc est perfectio motus) partim in conseruatiua quadam potentia, quæ in loco naturali viget: docente *Aristotele*. 4. l. phys. t. 4. hæc autem est perfectio mobilis, *cœlum* autem cum non propter aliquam perfectionem *acquirendam* moueatur, sed vel propter *conseruandam* eam quam in actu possidet; vel *continuandam* eam quæ in inferioribus est, quamuis necessario moueri debeat, non tamen mutare locum, sed in eodem semper manens situ, circa terram, ejusque centrum perpetuo volui: vnde inferiora *deferri*, cœlestia *circumferri* proprie dicimus.

SECT.

SECT. 28.

Applicatio dictorum ad definitionem.

Definitionem ergo sic intellige,(motus localis est motus) successivus, nam si sit instantaneus(qualis est motus angelorum & incorporearum substantiarum)*mutatio* potius localis, quam *motus* dicendus est; (à loco ad locum)quantum ad corpora inferiora quæ siue moueantur motu *voluntario*,vt animalia;siue motu *naturali*, vt alia corpora; ideo dicuntur *localiter* moueri, quia mouentur ab vno loco in alium:(vel circa locum) quantum ad corpora cœlestia,quæ cum aut in nullo sunt loco,vt orbis vltimus,aut semper & adæquatè in eodem loco, vt orbes inferiores; ideò tamen dicuntur moueri *localitèr*, quia circa terram,aut ejus centrum(quod locum *motionis* diximus) continuo moventur.

SECT. 29.

Triplicitèr dici corpora moueri localitèr.

Dicuntur autem corpora triplici ratione moveri *localitèr*, secundum quod est

Locus triplex, alius
- 1 *In quo*, qui dicitur locus *conninentiæ*, quòd corpus contineat.
- 2 *Ad quem*, qui dicitur locus *terminationis*, quod locum terminet.
- 3 *Circa quem*, qui dicitur locus *circumuolutionis* quia circa ipsum, tanquam circa medium & centrum, corpus cietur.

Quædã igitur corpora mouentur
- 1 Et *in loco* & *ad locum*, sicut inferiora; *in loco* propter circumscriptionem magnitudinis, qua fit, vt ab exteriori corpore ambiuntur: *ad locum* propter defectum perfectionis, quo contingit vt ad alium, in quo recipiant debitam perfectionem, contendant.
- 2 Nec *in loco*, quia non habent aliud corpus extra se: nec *ad locum* quia nulla debita perfectio illis deficit, sed

circa

circa locum, i. circa centrum; vt vltimum cœlum.

3 *In loco* quidem, quod ab alio contineantur, & *circa locum*, sed non *ad locum*; sicut inferiores orbes, qui *in locis* quidem mouentur sc. in concauis superficiebus superiorum orbium, non quod hoc ad rationē circularis motus requirendum sit, sed quod cum superioribus sphæris minores sint, ab illis extra se positis contineantur.

SECT. 30.

De contrarietate motus & quietis.

Duplicem deinde statuit *Aristoteles* motuum contrarietatem, alteram *priuatiuam* quæ est generalis omnium motus specierum ad quietem, i. aut ad quietem *compositam*, quæ est priuatio successiui motus, aut ad quietem *simplicem*, quam *Arist* 5. phys. t. 55. mutationem vocat, qualis est priuatio motus momentanei.

Ob. Quies est finis motus, nam mouetur aliquid ad aliquem terminum, vt sub termino acquisito conquiescat; ergo non est motus priuatio.

Sol. Quies duplex est alia enim est

1 *Priuatiua*, ea sc. quæ nihil aliud est quam *carentia fluxus, in subiecto apto nato:* & hæc est priuatio motus.

2 *Positiua*, ea sc. quæ est in termino *ad quem* motus, quæ non aliud est quam *terminus acquisitus quiescens post motum in subiecto*, (sed potius vt mihi videtur) complacentia naturalis subiecti in eo termino naturalem motum consequens, & hæc quies est perfectio motus.

SECT. 31.

De contrarietate specierum motus ad se inuicem.

Secunda contrarietas motuum est *positiua*, eaque inter se, qua vna species alteri est contraria; nam generatio est contraria corruptioni, intellige, si ad idē referantur, nā respectu diuersorū, generatio & corruptio simul sunt in eadē materia; vt in eodē instāti quo homo corrūpitur,

genera tu

generatur cadaver;& augmentatio contraria eſt diminutioni;alteratio autem & motus localis non contrariantur vllis ex enumeratis ſpeciebus; ſed cum genera ſunt,habent ſub ſe ſpecies quæ ſunt ſibi invicem contrariæ; ſicut ſub alteratione calefactio & frigefactio, dealbatio & denigratio, &c. ſub motu locali, motus *ſurſum* qui eſt verſus cœlum; & motus *deorſum*,qui eſt verſus centrum, &c.

Dupliciter autem motus ſpecies dici poſſunt inter ſe *contrariæ*: tum reſpectu

1 *Inhærentiæ in ſubiecto*; quia ſimul nequeunt hæ motiones (quas contrarias diximus) de eodem affirmari, nam non poteſt idem ſimul generari & corrumpi,augeri & diminui, calefieri & frigefieri: & hic modus eſt communis accidentium aliorum.

2 *Progreſſionis ad terminos*, non tam quod ad contrarios *terminos* progrediantur, (quamvis hoc in contrarijs lationibus & alterationibus verum ſit,) quam quod contrarijs *modis* progrediantur; nam altera per *acquiſitionem*, ſicut generatio & corruptio; altera per *amiſſionem*, ſicut corruptio & diminutio: & hic modus eſt motionum proprius.

SECT. 32.

De diſtinctione prædictarum ſpecierum aſſignata ab Ariſtotele.

Præter autèm *eſſentialem* differentiam ſpecierum motus à ſe invicem, (quam ex earum definitionibus licet colligere:) aſſignat *Ariſt.* aliam differentiam in *exiſtentiâ*: quod nulla ſit ſpecies motus, quin poteſt ſine aliâ motus ſpecie *exiſtere*: quod tu intelliġe de *exiſtentiâ* motus in aliquo particulari ſubjecto; ad hunc ſenſum: quod nullus motus eſt, quin ſine motu alterius ſpeciei actu exiſtente, in aliquo particulari ſubjecto inveniri poteſt; dixi conſultò, (in aliquo particulari ſubjecto:) nam alitèr *Ariſtoteles* eſſet ſibi-ipſi contrarius;cum 8. Phyſ. t. 55. &c. doceat & demonſtret non poſſe alios eſſe motus ſine motu locali,cum ille continuus & perpetuus ſit, prior naturâ cæteris, & cæterorum cauſa, t. 55. & 56. ſed hoc intelligendum eſt, de *abſolutâ* exiſtentia ipſorum motuum in mundo;non de *determinatâ* exiſtentiâ eorum in aliquo particulari ſubjecto; nam non poteſt eſſe motus aliquis in iſtis rebus inferioribus, niſi cœlum moveatur, cum ille motus cœleſtis, cauſa ſit omnium inferiorum motuum: attamen in particulari aliquo ſubjecto veluti in *Socrate* aut *Platone*, vnam motionem invenire ſine aliâ non eſt impoſſibile: poteſt enim generari, aut corrumpi,

rumpi, aut alterari, aut augeri, interim vt *localitèr* non moveatur.

Obſerva autem quod non dico in quolibet particulari ſubjecto inveniri vnam ſpeciem ſine aliâ; nam cor viuentium nunquam ſine ea motione, quam *Syſtolen* & *Diaſtolen medici* nominant, invenitur, quacunque aliâ motione affectum ſit; nec mare ſine fluxu, refluxuve ſuo; nec elementum ignis, ſine ſuâ ſub lunari orbe circumgyratione, quomodocunque alitèr alteretur, augeatur, vel diminuatur; ſed in aliquo ſubjecto poſſe, quod ſatis oſtendit, eas motiones ita eſſe diſtinctas, vt à ſe invicem in exiſtentiâ neceſſariò non dependeant: dixi autem conſultò, hoc intelligendum eſſe non tantum de particulari exiſtentia motionum in ſingulari aliquo ſubjecto; ſed de actuali earundem exiſtentiâ, ad hunc ſenſum; quod poteſt in aliquo ſubjecto inveniri vnaquæq; actu exiſtens, ſine alia in eodem ſubjecto actu exiſtente; quod adjeci, quia ſunt quædam motiones, quæ ſine alijs præeuntibus nequeunt exiſtere; ſicubi non poteſt eſſe aliqua generatio, niſi in eâdem materiâ præeat aliqua alteratio, quod hæc diſpoſitio ſit neceſſaria generationi; nec poteſt eſſe augmentatio ſine motu locali antecedente, quo illud accedat, quod alterum augere debeat, &c.

Quamvis autem hæ motiones ſine illis *antecedentibus* non inveniuntur, inveniuntur tamen ſine illis *actu conſiſtentibus*: quod hic ſolùm *Ariſtoteles* intellexit: hæc dixi ad reconciliandum ſibi-ipſi *Ariſtotelem*; quod ab interpretibus neglectum eſt, cum tamen ſibi-ipſi *Ariſtoteles* nullibi videtur magis contrarius, cum hinc quamplurimæ apparentes contradictiones colligi poſſunt, quas ad librum ſolutionum contradictionum *Ariſtotelis* rejecimus.

Hæc de Motu.

De Modis Habendi.

SECT. 1.
De vltimo Poſt-prædicamento, ſcil. Modis habendi.

Vt meliùs intelligatur hoc vltimum Poſt-prædicamentum: notandum eſt, quod *habitus* ſumitur quadruplicitèr, vel pro

1 *Formâ paſſivâ*, quæ opponitur *privationi*: quomodo ſumitur in cap. de Oppoſitis.

2 *Primâ ſpecie Qualitatis*; vt in cap. de prædicamento *Qualitatis* tractatur.

3 *Relatione veſtimenti ad veſtitum*, & ſic eſt vltimum Prædicamentum.

4 *Relatione habiti ad habentem*; & ſic eſt vltimum Poſt-prædicamentum: & ſpectat ad hoc propoſitum.

SECT. 2.
De Modis habendi.

Habitus complectitur tum

1 *Qualitatem*, vt virtutem ſcientiam, &c.
2 *Quantitatem*, vt magnitudinem, multitudinem.
3 *Ornamentum*; vt veſtem, tunicam, &c.
4 *Aliquid in corporis parte*, ſc. artificiale, vt annulum in manu.
5 *Contentum*, vt vinum in lagena.
6 *Poſſeſſionem*, vt agros, domum.
7 *Partem*, vt pedem, manum.
8 *Vxorem*, vt vir dicitur *habere* fœminam.

Sed hic vltimus modus *Ariſtoteli* maximè improprius videtur: nam qui hoc modo *habet*, etiam *habetur*; & à nonnullis dicitur *alieniſſimus* modus *habendi*, quia non conducit ad cognitionem Prædicamentorum. Atq; hi octo modi, hoc dyſticho comprehenduntur:

Affectum, Quantum, Veſtitum, dic velut Aurum,
Membrum, Contentum, Poſſeſſum, vir (Mulierem.

SECT. 3.
De vtilitate horum Modorum.

Prodeſt diſtinctio modorum *habendi*, ad Prædicamentorum cognitionem: nam primus modus ad *Qualitatem* ſpectat, proximus ad *Quantitatem*: tertius & quartus ad Prædicamentum *Habitus*; de cæteris notandum eſt, vtrum in eandem aliquam communem rationem incidant, necne? & ſi non incidant ad quas Categoriarum claſſes ſinguli modi pertineant?

Habitus ſumitur dupliciter, vel
- 1 *Generaliter*, vt ſe extendit ad omnes ſuos modos, & ſic ponitur *reductivè* in diverſis Prædicamentis, & hoc modo, eſt *Poſt-prædicamentum*.
- 2 *Formaliter* prout eſt corporum, eorumque, quæ ſunt circa corpora adjacentia, & ſic eſt *Prædicamentum*.

FINIS.

obedientes Bm̃os tibi et